















HERMANNI VENEMA

INSTITUTIONES HISTORIAE ECCLESIAE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI


TOMUS IV.

SEU

NOVI TESTAMENTI, AUT ECCLESIAE CHRISTIANAE


SECUNDUS.

AB INITIO SECULI QUARTI AD SEXTI FINEM.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,
LEOVARDIÆ,
Apud GERARDUM TRESLING.


MDCCLXXX.



SECULUM QUARTUM

SCRIPTORES CELEBRIORES.

GRAECI.

§. I.  E*Usebius*, Caesareensis, a loco Episcopatus, Palaestinus a patria, et Pamphili a singulari cum eo amicitia, adpellatus, Palaestinam habuit Patriam, uti cum ex loco episcopatus, nam extraneos non erat moris eligere, *colligitur*, tum quod se ibi esse educatum testetur Vit. Const. l. I. et litteras, ad Palaestinos missas, dicat, ad *nos* ib. l. II. Natus autem ibi est sub finem Gallieni Inperatoris, uti ex Hist. ejus Eccles. jam observavit Valesius: Paulum utique Samosatenum, qui Gallieni 12*mo* mortuus est, *sua* vixisse *aetate* tradit l. III: 28. et V fin., et de Gallieni tempore agens, *suam* dicit describere *aetatem* lib. VII. Caesareae factus ab Agapio Episcopo Presbyter arctam cum Pamphilo contraxit amicitiam, cujus opibus et Bibliotheca, quam ibi construxerat amplissimam, se multum fuisse adjutum testatur, et quocum quinque libros defensionis Origenis

 elabora-

elaboravit in carcere, sextum post ejus mortem absoluturus. Solum Eusebium eos composuisse, et Arianismum sapere, temere inde colligitur, quod a martyre proficisci nequeat haeresiarchae defensio, quippe quod utrumque sublestum est. Deinde Tyrum et in AEgyptum profectus ac Thebaidem, Hist. Eccles. VIII: 7, 9 et Caesaream redux, successit in Episcopatu Agapio, mox post sedatam persecutionem Diocletianeam ann. 314. Inter Agapium enim et Eusebium male interferitur Agricola, ut demonstravit Valesius ad Eus.

§. II. Turbis, Arii causa suscitatis, Eusebius inmixtus litteras in favorem Arii scripsit ad Alexandrum, Ep. Alexandrinum, petens, ut sedi suae restituatur; quae in Actis Syn. OEcumen. VII*mae* recensentur, et inde a Valesio excerptae sunt. Interfuit Synodo Nicaenae, dexter adsedit Constantino, quem nomine Synodi adlocutus est, Vit. Const. l. I. in prooemio, et lib. III. Sozom. H. E. l. I. Concepit quoque formulam fidei, in qua, praeter vocem ὁμουσιος *homoousios* nihil fuit desideratum. Recusavit quidem in initio formulae Nicaenae, propter eam vocem, subscribere, sed, mente Synodi rectius intellecta, id fecit, et in litteris, ad Caesareenses suos scriptis, id testatus est. Interfuit quoque Synodo Antiochenae, a qua Eusthathius est depositus, sed Episcopatum Antiochenum, ipsi oblatum, recusavit a. 330. Judex etiam Athanasii sedit in Synodo Tyria, nec tamen ipse, verum Eusebius Nicomediensis praesedit. Obiit haud diu post mortem Const. M., sub exordia Constantii Augusti, a. 340. Socrat. H. E. l. II.

§. III. Aliis praetermissis, duo adtingam, quae Eusebio maculam inurunt, et ipsi inputari solent; eo scopo, ut sanum de veritate accusationis feratur judicium: quorum unum est, quod idolis sacrificaverit, vigente persecutione, alterum quod Arianus fuerit. Prius cum unius Potamonis, Episcopi Heracleopolitani, testimonio apud Epiph. haeres. Meletian., et in Epistola Syn. Alex. apud Athanasium, qui il-

lud

lud in Synodo Tyria ipsi palam objecit, innixum sit, plenam non meretur fidem. Praeterquam enim quod acerrimus ejus fuerit adversarius, ipse non nisi per consequentiam illud ex eo colligit, quod vivus et integer ex carcere evaserit. *Qua ratione*, haec enim ejus verba sunt, *e carcere evasisti? nisi quod persecutoribus nostris spospondisti, te rem nefariam admissurum, et forte etiam admisisti.* Quod quanti sit faciendum, in oculos facile incurrit. Accedit, nusquam tale quid de Eusebio exstare relatum, nec, si verum fuisset, ad summum Cleri gradum ipsum promotum fuisse.

§. IV. Alterum quidem majore pollet specie, et doctos in partes divisit, veteres aeque ac recentiores. Veterum judicia *pro*, ut dicitur, et *contra*, prostant apud Valesf. in Proleg. ad Hist. ejus Ecclesf. Photius Ep. 144., in Eusebium iniquior, quod cultus imaginum non fuerit fautor, Arianismum non tantum, sed et Origenianismum, respectu resurrectionis corporum, ipsi temere admodum inputavit. Inter Recentiores Petavius, Montfalconius in Proleg. ad Comm. Eus. in Psalm. et Clericus in Epist. Crit., Arianismum ejus demonstrare conati sunt, sed Bullus def. fid. Nic. sect. III. et Cave in Diss., script. ejus Ecclesf. subjuncta, eum defenderunt: qui autores consulendi sunt. Ex mea opinione, si quis aequum amat ferre judicium, 1. ab hac sejungere debet causa, quae praeter praejudicium nihil evincunt, licet ad judicia formanda adripi soleant. Quo pertinet, quod pro Ario scripserit ante Synodum Nicaenam, formulae Synodi in principio ob vocem *homoousios* subscribere noluerit, Synodis contra Eustathium et Athanasium interfuerit, quae supra in vita ejus observavi; praeterea, quod ab Arianis pro fautore et patrono fuit habitus, teste Theodoret. in prooemio ad Epist. ad Hebr., zelotae vero inter Orthodoxos, qui ejus moderationem aegre tulerunt, eum suspectum habuerint, et condemnarint: denique Arianismi historiam silentio involverit. Sed haec, et horum similia, rem ipsam non tantum non adfirmant, ut facile videre est, sed et eo

refutantur, quod formulam Nicaen. dein adoptaverit, et a nonnullis Veterum absolutus sit, imo in nonnullis martyrologiis locum inter sanctos acceperit, nisi illud ex confusione cum Eusebio Caesareense in Cappadocia, Basilii decessore, quis ortum velit, sed Eustathio Antiocheno in Hexaemer. adpellatur *quis sanctorum*, et ab Ecclesia Gallicana pro martyre est agnitus. De quo vid. Janningus in Apolog. pro Papebrochio, praefixa Act. Sanct. Mens. Jun. Quod vero Ario faverit, nonnullis Catholicis fuerit adversatus, nihil aliud probat, ac ipsum de Ario moderatius sensisse, vel minus recte fuisse instructum, forte etiam aliquid Eusebio Nicomediensi amico dedisse, denique ferventiora aliorum studia damnasse. Quare Arianismi historiam praetermiserit, mox dicam.

§. V. 2. Opus est judicio critico in spuriis aut dubiis Eusebii effatis dijudicandis. Utique Ariani, homines multarum artium, Eusebio nonnulla inscribere potuerunt, quae ejus non sunt, aliqua etiam ex confusione cum Eusebio Nicomediense ejus accepisse nomen. Dubium mihi est, num quae Syn. Nic. II. Sec. VIII. ipsi tribuit, genuina sint, ut et num clausula epist. Eus. ad Caesar. apud Theodoret. H. E. I: 12., quae his verbis incipit, *priusquam actu gigneretur, potentia erat in Patre* etc. ejus sit, cum eam nec Socrat. H. E. I: 8. nec Epiphanius Scholasticus habeat. Tradit quidem Athanas. Ep. de Synod. Arimini et Seleuc. Oper. t. II. Eusebium in aliqua Epist. scripsisse, Filium non esse *verum Deum*, sed addit, se eam in manibus non habere. Pseudo-Augustin. Quaest. ex V. et N. Test. ad calcem August. Oper. t. III. dicit, Eusebium adseruisse, *Spiritum S. nescivisse mysterium nativitatis Christi*, sed tale quid nusquam apud Euseb. reperitur. Denique 3. cum de fide alicujus ex ipsius Scriptis rectius judicetur, conferenda sunt sequentia Eus. scripta; libri ejus contra Marcellum, et de Ecclesiast. Theologia, Hist. Eccles. I: 2. ubi fidem de Christo exponit, et Epist. ejus ad Caesar. supra memorata. Addi

possunt,

possunt, sed judicio adhibito, quae Synod. Nic. II. ex ipso citavit.

§. VI. Haec monumenta qui sine partium studio consuluerit, pro indubiis mecum habebit, Eusebium nusquam dixisse 1. verbum Dei esse *κτίσμα creaturam*, aut *ἐξ οὐκ ὄντων ex non exsistentibus*, sed saepe contradixisse, 2. nec etiam, *fuisse tempus, cum non esset verbum*, verum e contra, esse *aeternum*, 3. nec, verbum esse *alius* aut *diversae* essentiae, sed e Patris essentia natum, et generationem esse incomprehensibilem. 4. Accedit, eum ex animo *τὸ ὁμοούσιον homoousion* agnovisse, ut ex subscriptione formulae Nicaenae, et Epist. ejus ad Caesareens., manifestum est. Sed 5. ab altera quoque parte verum est, Filium, secundum ipsum, esse Patre *inferiorem*. Quae num Arianismum, seu Semi-arianismum; an Catholicismum hujus temporis, sapiant, harum rerum peritus facile dijudicaverit, et ex sequente tractatione in lucem prodibit. Nobis hic diutius non est morandum, sed potius festinandum ad scripta ejus, quae Hist. Eccles. studioso nota esse debent, et trita, recensenda.

§. VII. *Historica*, quae quantivis pretii sunt, Chronicon, Hist. Eccles., et de vita Constantini, ac de locis Hebraicis, seu Onomasticon, comprehendunt. *Chronicon*, seu *παντοδαπὴ ἱστορία* in duas fuit divisum partes, *χρονογραφίαν* et *χρονικὸν κανόνα*; *prior* populorum origines, et memorabilia ab orbe condito, ex Juliano Africano praecipue petita, exhibebat, sed *posterior*, etiam *epitome* dicta, omnia ad annos suos reducta, compendiose una serie sistebat, ab anno vocationis Abrahami, seu a Kalend. Sept. ann. Per. Jul. 2697, ante Christum 2017, secundum Petav. doctr. temp. l. IX., usque ad vicennalia Const. M., seu ann. Christi 325, quo anno etiam lucem vidit, cum anno seq. historia ejus, post Chronicon, publicata sit. Interiit hoc opus, magno damno, Graecum, fragmentis tantum servatis apud Syncellum, Chronici Alex. autorem, et Cedrenum. Latine vertit Hieronymus, sed aliis additis, aliis demtis. Collegit autem fragmenta Graeca Ill.

 Scaliger,

Scaliger, sed valde inperfecte, propter corruptos codices, qui etiam autor est habendus ἱστοριῶν συναγωγῆς, quam cum Eusebianis suis publicavit, uti ex ipsis Scaligeri verbis nuper observavit Cl. Valckenaerius noster ad Theocrit. *Adoniazus*, digress. IIItia. Ceterum optima Chronici Gr. et Lat. editio est, cum multis additamentis ac notis, viro magno dignis, Ill. Scaligeri.

§. VIII. Anno seq., seu 326, *Historiam* edidit *Ecclesiast.*, ut ex ult. cap. lib. X., ubi Crispi, adhuc vivi, qui ann. 327. occisus est, et Licinii jam e medio sublati a. 325, meminit, colligitur. Terminavit vero in gloriosa Ecclesiae pace, post mortem tyrannorum a Const. M. procurata, historicos, in glorioso exitu desinere solitos, imitatus: quae ratio est, quare, observante Valesio, Synodi Nicaenae non meminerit. Subjunctus autem ei est, instar adpendicis, liber de *Martyribus Palaestinae*, post Hist. Eccles. scriptus, sed qui mutilus est. Optima ejus est editio, a Valesio adornata, novissime in Anglia recusa. Latine olim vertit Ruffinus, sed, praeter addita, demta, integer lib. 10*mus*, una cum Martyr. Palaest., desideratur. Sed integram fere Eus. historiam in suum opus transtulit scriptor recentior, Nicephorus Callistus. Ceterum libri hi Eusebii sunt quantivis pretii, absque quibus parum de antiquae Ecclesiae rebus constaret; licet naevis suis non careant, et judicium minus criticum subinde spirent. Minoris faciendi sunt *quatuor* ejus libri de *vita Const. M.*, si ad exactam veritatem respicitur, cum panegyrin potius redoleant, licet, quoad rei summam, fide non destituti. In animo sese tantum habuisse ipse testatur l. I. c. 11. ea, quae ad pietatem et religionem Constantini pertinent, describere. Scripti autem sunt Const. M. jam defuncto, et in edit. Hist. Eccles. Valesii etiam comparent. Exstat denique liber ejus posterior de *nominibus locorum* et *urbium* in Script. S., Latine ab Hieronymo versus, sed Graece primum a Bonfrerio editus, emendatius dein a Martianaeo, et nitidius a J. Clerico,

rico, ſed qui adcuratiorem adhuc requirit manum criticam.

§. IX. Scripta Theologica, ſive didactica ſint et polemica, ſive exegetica, aetatem tulerunt ſequentia. 1. *Praeparationum* Euangel. libri quindecim contra Gentiles, ut ad Euangelium admittendum praeparentur, qui monumenta et teſtimonia ſcriptorum exoticorum maximam complectuntur partem, eoque nomine utiliſſimi, et *Demonſtrationum* Euangel. libri *viginti*, ſed quorum *decem* tantum ſuperſunt; ad veritatem euangelicam ex Prophetis demonſtrandam contra Judaeos, continentque collectionem vaticiniorum de Chriſto. Scripti ſunt ante Hiſt. Eccleſ., ubi citantur l. I. c. 2. adeoque ante Synodum Nicaenam. 2. Libri *quinque* contra Marcellum, Ancyrae Epiſcopum, quorum tres inſcribuntur *de Eccleſiaſt. Theologia*, quibus opinio Sabelliana de Trinitate ipſi inputatur, et refutatur. Scripti ſunt poſt damnatum Marcellum, ut ipſe indicat de Eccleſ. Th. l. I. c. 14. adeoque poſt Synodum Conſtantin. a. 335 vel 336. 3. Scripſit etiam contra Hieroclem, praefectum Auguſtalem, et praecipuum perſecutionis Diocletian. inſtrumentum, probe ab Hierocle Philoſopho, qui ad *aurea carmina* Pythagorae commentatus eſt, diſtinguendum. De quo vid. Valeſ. Emend. l. 1. c. 5. Ediderat vero noſter librum contra Chriſtianos, cui titulus φιλαλήθης *amator veritatis*, in quo ex Porphyrii et Celſi ſcriptis refutare inſtituit Chriſtianam religionem. 4. Commentarii in Pſalmos et Jeſaiam, editi Gr. et Lat. a Montfalcon. in *nova collectione Patrum*, propterea non inutiles quoque, quod multa citentur fragmenta Aquilae, Symmachi, et Theodotionis. Sequitur Euſebius paſſim Origenem, et ex eo rurſus multa ſumſerunt Hieronymus, Procopius Gazaeus, ac Catenarum ſcriptores. Negat quidem Hieronym. ad Jeſ. XVIII. ſe ſua ex Euſebio hauſiſſe, ſed illud tantum ad litteralem et hiſtoricum ſpectat ſenſum, quem Euſ., licet promiſerit, ſectatus non eſt, allegoriis contentus.

§. X. *Athanasius*, cujus vitam compendiose exhibet vetus, et aequale fere, monumentum, a Maffejo publicatum, plures conscripserunt, et novissime ac optime Benedictini, in praeclara operum ejus editione; nos summatim perstringemus. Alexandriae circa finem sec. superioris natus, narratur a Ruffino Hist. Eccles. X: 14. adhuc puer baptizasse per ludum, inspectante Alexandro Episcopo, pueros, absque ut baptismus fuerit ab Episcopo rescissus: sed fabulam illud sapere jam est observatum, etiam demonstratum a Montfalconio in peculiari *diatriba:* quare ei non inmorabor. Diaconus ab Alexandro factus, ipsi strenuam contra Arium in Synodo Nicaena tulit opem, ita ut omnibus in eo refutando praeripuerit palmam. Unde conficta est *disputatio* ejus cum Ario inter opera Athanasii: fictum enim esse illud opus inter doctiores jam constat, nec in antiquis operum ejus collectionibus, testibus Benedictinis, in praemissa *admonition e*, comparet, et stili nimis est manifesta differentia; ne alia memorem indicia. Alexandro mortuo, ipsi in Episcopatu successit, ab ipso ante mortem nominatus, Sozom. H. E. II: 17. a plebe avidissime petitus, et ab AEgypti Episcopis electus; uti ipsi Praesules in Epist. Synodica referunt, quae in *Apologia* Athanasii contra Arianos exstat, et calumnias Arianorum de illegitima ejus electione refutant. Functus vero est per annos 47 hoc munere, uti a Cyrillo et aliis traditur; mortuus ann. 373, ut ex antiquo monumento, modo memorato, constat, et aliunde etiam demonstratum est a Montfalconio.

§. XI. Sed mira fuit fatorum ipsius in munere vicissitudo, quinquies enim sedem coactus est deserere, et toties eam recuperavit. *Prima* vice sub ipso Const. M., quando Treviros in Galliam missus est in exilium a. 336, et duobus annis post, mortuo Constant. M. revocatus, cum aliis Catholicis exulibus a. 338. *Secunda* vice, cum Gregorius, is enim est, et non Georgius, ab Arianis Episcopus Alexandrinus electus, cuncta, Judaeorum et Gentilium manu

stipatus,

ſtipatus, ibi turbaret, et in Athanaſianos ſaeviret, ipſe ſe ſubducens, Romam ſeceſſit a. 341, praemiſſa Epiſtola *encyclica* ad omnes orbis Epiſcopos, quae inter ejus opera ſupereſt, qua, quid Alexandriae actum eſt, narratur, ſicut et in ejus *hiſtoria Arianorum* ad Monachos, ibid. Manſit triennium Romae, et in Synodo Romana abſolutus eſt a Julio Papa a criminibus inpactis. Eum ibi *ſynopſin Scripturae*, inter opera ejus obviam, conſcripſiſſe, nonnulli opinantur, ſed eam non eſſe Athanaſii jam demonſtravit Montfalcon. in vita Athanaſii, tom. II. *novae collectionis Patrum*: autorem habere juniorem Athanaſium ſec. V. probabile fecit Fabric. Bibl. Gr. l. V. Moratus in exilio ad a. 349. rediit Alexandriam, poſtquam a. 347. a Sardicenſ. Occidentalium concilio eſſet abſolutus, et a Conſtante Auguſto ſerio, nec ſine minis additis, eſſet Conſtantio fratri commendatus; a quo itaque reſtitutus eſt, epiſtolis in ejus gratiam miſſis; ut refert Athanaſ. l. c. Verſatus eſt Alexandriae, ad a. 356. quo temporis ſpatio *apologiam* ſcripſit contra Arianos a. 350., qua eorum calumnias ex actis et monumentis authenticis convicit falſitatis, nec non *Epiſtolam* de *Nicaenis decretis*, et aliam de *ſententia Dionyſii Alexandrini* a. 352. Dein, cum in Synodo Arelatenſi a. 353., et Mediolanenſi a. 355., denuo eſſet damnatus, multa quoque caedes ab adverſariis, ipſam Eccleſiam irrumpentibus, eſſet perpetrata, *tertia* ſe ſubduxit vice a. 356, et per ſeptem annos exulem egit. Invaſit ſcilicet ſedem Alexandrin. Georgius, vir peſſimae vitae, et Catholici, vel Athanaſiani, in AEgypto et Libya varie vexati, indigni Epiſcopi ubique introducti ſunt, et AEgyptus Arianiſmo infecta eſt. Seceſſit vero in remotiora AEgypti loca. Quod vero Palladius hiſt. Laus l. VIII., eum ſex annos apud virginem latuiſſe tradit, pro fabula quidem haberi ſolet; ſed idem tamen refert Sozom. H. E. l. V., qui addit, eam omnium foeminarum pulcherrimam, ad miraculum uſque, fuiſſe. Scripſit vero in ſecretioribus illis eremi locis, praeter varias epiſtolas ad

gregem Alexandr., quae ἑορταστικαὶ *festales* adpellantur, *apologiam* ad Constantium a. 356, et aliam de *fuga* sua, quam carpebant adversarii, a. 358, ut et *historiam Arianorum* ad Monachos, modo Athanasii sit genuinus foetus, praeterea *quatuor* libros contra eos, Epistolam quoque ad *Serapionem* de morte Arii, modo genuina sit, et alias de *Spiritu S:*, prorsus egregias.

§. XII. Juliano ad inperium evecto, Georgius a Gentilibus in seditione misere, cum multis aliis, occisus est, quam necem Ariani Catholicis adtribuerunt, uti refert, sed rejicit, Sozom. H. E. l. V. Athanasius vero cum aliis exulibus revocatus est, et ita *tertia* vice redux a. 362. Sed, Juliano per gentiles in eum concitato, eumque occidendum jubente, *quarta* vice se subtraxit, et in deserto apud Monachos est diversatus, a. 362. verum mox, Juliano mortuo, rediit, a. 363. Redux cum otio et pace sub Joviano frueretur, scripsit vitam Antonii eremitae, nec non librum de *Trinitate*, et *incarnatione*, contra Arianos et Macedonianos, a. 365. Sed, cum Valens Catholicos persequeretur, Athanasius se *quinta* vice clam proripuit, ut tumultus, sui causa ciendos, praeveniret, a. 367. sed mox revocatus est per Valentem, qui popularem metuebat seditionem, eodem anno: a quo tempore inperturbata gavisus est pace ad mortem usque, per *sex* annos, teste Theophane. Quando Epistolam ad *Afros* scripsit, ut eos contra Arianos muniret, ut et contra *Apollinaristas* ad Epictetum, Corinthi Episcopum, mox etiam, ut putatur, duos contra *Apollinarem* libros, sed tacito ejus nomine: coluit enim cum illo Athanasius, dum in vivis fuit, amicitiam, sed tractatus duo contra Apollinarem nec stilum nec ingenium Athanasii sapere videntur; imo autor censeri potest unam tantum in Christo voluntatem percepisse, ita ut humana voluntas per divinam absorpta fuerit.

§. XIII. Tantae infestationis causae licet crimina fuerint Athanasio inpacta, saepe refutata, identidem renovata, ori-

go

go tamen repetenda est ab odio Meletianorum ac Arianorum in Ipsum, tanquam fidei Nicaenae nimium habitum zelotam. Quae paulo adcuratius merentur in lucem protrahi. Recensentur illa a Semi-arianis apud Hilarium Operum fragm. 3*tio*, unde multa ad historiam, prout ab illis narratur, disci possunt. Crimina, Athanasio inputata, sub Const. M., propter quae duabus in Synodis, Caesareens. et Tyria, a. 333 et 334. damnatus est, praecipua fuerunt, sacri calicis confractio, mensae sacrae eversio etc. a Macario, presbytero Athanasii in Ecclesia viculi Mareotis, cui praeerat Ischyras, Arsenii, Episcopi Hypseles, caedes, ab Athanasio procurata, in cujus indicium manus Arsenii, sed ipso occultato, circum ferebatur. Addit Ruffinus H. E. l. X., ex quo alii receperunt, mulierculam ad Synodum Tyr. detulisse, virginitatem suam, quam Deo voverat, ab Athanasio fuisse violatam; sed quae criminatio fuisset e vestigio falsi convicta, cum, Timotheum, Athanasii presbyterum, ejus loco designando, sibi Athanasium esse ignotum, demonstrasset. Sed haec historiola merito pro fabulosa habetur, cum nulla Synodus, nec ipse Athanasius, ejus meminerit, et simile quid Eustathio Antiocheno ab Arianis inputatum, haud majore fundamento, narretur a Theodor. H. E. I: 21. Cum vero Athanasius, ob haec crimina damnatus, ad Const. M. confugeret, et Inperator ad se vocaret ejus judices, illi, judicium justificaturi, aliud addiderunt crimen, in Synodis non memoratum. Ipsum scilicet frumenti commeatum, quotannis Alexandria Constantinopolin transvehi solitum, se intercepturum fuisse comminatum: propter quod ultimum crimen in primis fuit a Constantino relegatus Treviros; uti Theodoret. l. c. refert l. I. c. 31.

§. XIV. Deinde, sub Constantio, iisdem repetitis, adjecerunt alias criminationes; scilicet, Athanasium, non exspectato Synodi judicio, sedem sua sponte repetiisse, reducem vero, omnia motibus et seditionibus replevisse, male quoque apud Constantem locutum esse de Constantio, fa-

viffe etiam Magnentio usurpatori, praeterea in Magna Ecclesia Synaxin celebraffe ante ejus dedicationem, quod fine Inperatoris juffu nefas erat, denique eum ad litteras Constantii ad eum non veniffe. Quae crimina, tanquam partim ficta, partim figmentis incrustata, ab Athanafio, in apologia ad Constantium, refutata non tantum funt, fed et a Synodis variis, uti Alexandrina a. 340. Romana fub Julio Papa a. 342. et Sardicenfi a. 347.

§. XV. Interea dubium non eft, quin haec omnia originem ex odio Meletianorum ac Arianorum ergo Athanafium, quod eos acerrime oppugnaret, et ad communionem recipere nollet, habuerint. Ex quo enim aditum ad Ecclefiam Ario, licet Inperatoris juffu munito, negavit, furor Arianorum fefe in eum exferuit, tanquam apertum hoftem, et pacis Ecclefiae perturbatorem. Ceterum Athanafius fidei fuae zelo totus arfit, forte etiam nimio, fcientia Theologica, et Script. S. peritia, probe inftructus. De quo opera ejus quoque teftantur, quae maximam partem funt Orationes, Epiftolae, et Apologiae: ex quibus multa, ad hiftoriam Arianifmi, et fidem Catholicam, fpectantia, peti poffunt, quae poftea fuis locis proferam. Commentariorum ad Script. S. fuperfunt tantum fragmenta. Edita funt noviffime a Benedictinis, quibus addi debent opufcula a Montfalconio publicata in *nova collectione* Patrum. Sed inter quae, ut id obiter obfervem, *fermo major de fide* occurrit, qui per omnia fapit Neftorianum autorem. Sunt inter opera Athanafii et alii nonnulli tractatus, praeter in vita Athanafii fupra memoratos, qui ejus non effe videntur, ut *epiftola de incarnatione verbi*; quae Apollinariftam habet autorem. Statuit utique in Chrifto *fpiritum* et *carnem*, per fpiritum intelligens *divinitatem*. Illis, qui perfectum Deum in homine perfecto ftatuebant, dicam fcribit, fimul adfingit confequens, quod duo *προσωπα perfonas* admittere debeant, et *λογον fermonem* ita effe in homine Chrifto, ut fuit in prophetis: ficut Apollinaris in difputatione cum ortho-

doxis

doxis instituit; ut ex Gregorio Nysseno patet. Solet quidem simili viro adtribui tractatus Athanasii de *incarnatione verbi Dei*, nec sine specie, cum carnem tantum in Christo agnoscat, et cum *corpore* confundat, et ab eo distinguat *πνευμα spiritum*, seu divinam naturam: verum, cum Christum profiteatur *nobis* per omnia *similem*, et qua hominem profecisse sapientia, duplicem etiam ei tribuat voluntatem, divinam et humanam, Apollinarista non videtur fuisse autor, nec tamen Athanasius, cujus stilum, et morem ratiocinandi, non redolet, Prov. VIII. *Dominus condidit me* etc. aliter exponit ac Athanasius. Ipsa *historia* Arianorum ad Monachos dubito sitne Athanasii? a cujus scribendi modo multum abhorret, estque repetitionibus plena; etiam in nonnullis ab aliis Athanasii scriptis diversa, ut ex. gr. p. 387. edit. Benedict. ut in notis observatur.

§. XVI. *Basilius*, vulgo *Magnus* dictus, cujus vitam optime, et fuse quoque, depinxerunt Benedictini, novissimi operum ejus editores, sive Caesareae in Cappadocia, sive in Ponto natus, circa ann. 329., paternum genus e Ponto, maternum a Cappadocia, habuit, parentem utrumque dignitatibus et opibus non tantum, verum et fide ac pietate clarum, patrem Basilium, qui eloquentiam docuit in Ponto, et matrem Emmeliam. Pie et bene educatus, primum ab avia Macrina, famigeratissimo Gregorio Neocaesar. devota, dein a matre Neo-caesareae, ac Patre, qui Rhetoricam ibi docuit, in alias provincias, studiorum causa, missus, post mortem Patris a. 342 vel 347, ut videtur, primum Caesareae, non Palaestinae, sed Ponti, studiis incubuit, dein Constantinopoli, praestantissimis Philosophis et Rhetoribus tunc illustri, ubi Libanium habuit Magistrum, quocum, si litterae ipsorum mutuae sint genuinae, quae exstant, amicitiam diu coluit, tandem Athenis, ubi Gregorium Nazianzenum nactus est studiorum socium, et arctam cum eo contraxit amicitiam, quocum etiam in notitiam Juliani, postea Inperatoris, venit. Athenis relictis a. 356, et in Patriam

 redux,

redux, postquam Rhetoricam ad breve tempus docuisset Caesareae, vitam professus est asceticam, a sorore Macrina potissimum instigatus, sed ante baptizatus Caesareae a Dianio, urbis Episcopo, circa ann. 357. Visitavit mox, asceticae vitae studio ductus, Orientis et AEgypti monasteria, in quibus severam quidem vitam, sed multas quoque lites et dissensiones se reperisse, testatur in *Prooemio Moralium*. Domum redux, bonis omnibus in pios erogatis usus, ut Monasticam degeret vitam, secessit ad ripas Iridis fluvii, haud procul Neo-caesarea, juxta villam, in qua educatus erat ab avia Macrina. Elegit autem vitam vere quidem Monasticam, sed mediam inter anachoretas, seu ἀζύγους, et practicos, seu μιγάδας, qualem tenent Coenobitae, uti ex ejus regulis, et asceticis, quae supersunt, patet: cujus quoque instituti in Ponto et Cappadocia autor est habendus. Composuit quoque, dum ibi versabatur, una cum Gregorio Nazianzeno, qui epistolis ejus, quarum una superest, quae vitae delineat institutum, excitatus ad eum venit a. 358. *Philocaliam*, seu collectionem e scriptis Origenis, variasque scripsit Epistolas.

§. XVII. Deinde a. 359. a Basilio Ancyrano et Eustathio Sebasteno evocatus, cum iis tetendit Constantinopolin, ac in disputatione cum Eunomio et Arianis secundas tulit sub Ancyrano Ep. Biennio vero post, sive a. 361. scripsit *Moralia*, quo opere jussa, vetita, ex Script. S., et ipsis ejus verbis, ad certas redegit regulas, occasione corruptionis et litium in Ecclesia grassantium, ut in *prooemio* testatur. Post primum hoc ejus opus scripsit a. 363. vel 364., ut videtur, libros contra Eunomium Arianum, quibus *apologiam* ejus refutavit: ad quos, non nisi diu post, defuncto jam Basilio, respondit Eunomius. Quo ipso tempore, seu a. 364. Valente jam dominante, ordinatus est Presbyter Caesareensis, cum Arianismus denuo caput erigebat sub Valente, uti indicat Gregor. ep. 11. ad Basilium. Cum autem Episcopus Caesar. Eusebius, qui tunc erat, incertum

qua

qua de causa, ipsum haud diu post ab Ecclesiae administratione removeret, indeque schisma videretur oriundum, ipse, ut id evitaret, secessit in Pontum a. 365. attamen, cum haeresis per Arianos in eam irreperet Ecclesiam, opera Gregorii cum Episcopo reconciliatus, rediit eodem anno, et haereticos cum pudore repulit; quando arctissime cum Episcopo mansit conjunctus. Plurima licet negotia ipsi fuerint in Provinciis, Ecclesiae Caesareensi subjectis, ab Episcopo commissa, testibus quoque variis Epistolis ab ipso Presbytero conscriptis, vixit tamen in monasterio Caesareae erecto, et ex Ecclesiis Caesareensibus unam accepit administrandam, ut ex Hom. ad Ps. CXLIV. colligitur. Multum quidem Ecclesiis pacificandis inpendit operae, sed irrito cum effectu.

§. XVIII. Episcopus dein Caesareensis, in locum Eusebii defuncti, factus, ope maxime Gregorii Nazianzeni Patris, a. 370. varias, praeter precum descriptiones et Psallendi ritum, condidit leges, ad Ecclesiae utilitatem, Episcopos multos Cappadociae, ab ipso, propter ordinationem ejus, quam aegre ferebant, abalienatos, sibi constantia, virtute, et in primis lenitate, devinxit, Catholicis quoque ab Arianis separandis, et, sopitis dissensionibus, secum invicem conciliandis, multam inpendit operam. Sed nondum in Episcopatu expleverat biennium, cum grave ipsi certamen cum Valente, ejusque instrumentis, subeundum fuerit de fide Catholica, quam qua minis, qua blanditiis, expugnare conatus est Valens, divicit quoque constantia et intrepiditate sua Inperatorem, ita ut se, totamque Cappadociam, ab ejus liberaverit persecutione. Referuntur quidem nonnulla miraculosa, quae Valenti, decretum de Basilii exilio signaturo, ejusque filio aegrotanti, accidissent, sed quae lubens omitto. Benevolo quoque Valentis in Basilium animo acceptum est ferendum, quod, Episcopos dare Armeniae, et res Ecclesiae ibi collapsas instaurare, ipsi commiserit: quod, quantum pote, perfecit a. 372. Nec tamen aliis

turbis fuit Cappadocia exemta, quae ex ejus in *primam et ſecundam* diviſione, et Tyana ſecundae conſtituta metropoli, quae Eccleſiaſticam diviſionem, Anthimo, Tyanae Epiſcopo, ſibi in eas Eccleſias adrogante primatum, ſecum traxit, ortae ſunt, et multa pepererunt mala; de quibus ſaepe conqueritur Baſilius. Pax dein inter ipſum et Anthimum hac facta eſt conditione, ut Epiſcopatus in Cappadocia multiplicarentur.

§. XIX. Ariani quoque animum Valentis de novo exaſperare non ceſſarunt, nulla occaſione, dicta ejus carpendi, et eum variis proſcindendi calumniis, omiſſa. Cum autem a. 374. crimen ipſi intendiſſent, acſi peregrinis de Spiritu S. uteretur vocibus, ſcripſit librum, qui ſupereſt, *de Spiritu S.* Pneumatomachi, ut adpellabantur, de quibus poſtea, aeque ac Ariani erant ipſi infeſti; ut patet ex Ep. 212. et variis libri citati locis, ipſe quoque Atarbius, Ep. Neocaeſar., et Euſtathius Sebaſteni Ep., de occulto amico factus hoſtis, ſed uterque in fide quoque minus ſanus. Exſtat ejus epiſt. 223. a. 375. ſcripta, qua totum hoc tractat negotium, et innocentiam ſuam luci exponit. Vid. etiam epiſt. 226. ad Monachos, quae, poſtquam Euſtathius ſeſe Arianis in Synodo Ancyrana a. 375. palam adjunxiſſet, ſcripta eſt. Interea malis omnibus ereptus eſt, etiam cum Demoſthenes, vicarius Cappadociae, perſequeretur orthodoxos a. 375., et diem obiit ſupremum a. 379., cum octo annos praefuiſſet Eccleſiae Caeſareenſi, ordinatus a. 370. Vid. Gregorius Nazianz. carm. 65. et Nyſſenus in vita Macrinae: vidit quoque ante mortem pacem Eccleſiae redditam per obitum Valentis, qui paulo ante acciderat.

§. XX. Baſilius vere *magnus* fuit in munere, et laboribus, quos pro fidei puritate non tantum, ſed et pace Eccleſiis reſtituenda, exantlavit, licet pro pace ceciderint fruſtra. Culpatur tamen in ipſo animi quaedam elatio, et amicorum contemtus, de quo ipſe Gregorius Nazianz., viliſſimo oppido Zazimo ab ipſo praefectus Epiſcopus, ſtomachoſa

machosa admodum scripta Epistola, quae est ejus 13*tia*, acerbe est conquestus. Sed singulare est, Basilium a nomine Dei, Spiritui S. dando, abstinuisse, non quod ei non competeret, sed ut calumniatoribus, qui, Spiritum S. Patri ab ipso praeferri, dixerant, ansa eriperetur, et ut infirmioribus succurreret, mediumque teneret inter eos, qui nimium et minus Spiritui tribuebant. Vid. Ep. ejus 113. Offendit tamen in eo Monachos. Sed eum defendit Athanasius in Ep. ad Johannem, Antiochum, et Palladium. Opera ejus, praeter Epistolas magno numero, praecipua sunt homiliae novem in Hexaemeron, reliquae enim tres sunt spuriae, et septendecim in Psalmos, quarum nonnullae quoque non sunt ejus, ante Episcopatum conscriptae, *commentarii* in Jesaiam, maximam partem ex Eusebio desumti, scripti quo tempore Anomoeorum haeresis coepit progerminare, ut dicitur ad Jes. X. Negant quidem nonnulli, vel in dubium vocant, esse genuinum Basilii foetum, sed sine solida ratione, nec aliquid ab ipso alienum continent. Denique, ut alia mittam, libri quinque contra Eunomium supersunt, qui ejus nomen praeferunt, sed *duo* postremi non videntur eum habere autorem, cum stilus sit nimis diversus, et nonnulla ab ejus opinionibus aliena occurrant. Spuria etiam mihi videtur homilia XXIII. in Mamantem Martyrem; est enim nimis insulsa, a scopo aliena, et stilo diversa, nihilque sapit Basilianum.

§. XXI. *Gregorius* Nazianzenus, aequalis, et intimus amicus, Basilii, cujus historia, ne recentiores memorem, petenda est ex carmine ejus de vita sua, ac orat. XIX. de obitu Patris, nec non sec. X. scriptore Gregorio Presbytero, in vita nostri, in operibus ejus obvia, natus fuit Arianzi, de quo loco vid. Muratorius in Anecd. Gr., in praedio paterno, prope Nazianzum Cappadociae, unde nomen Nazianzeni traxit, secundum vulgatam opinionem, post Syn. Nic. a. 325., cui favet, quod in *vita* sua p. 9. se Patre jam Episcopo esse natum indicare videatur, nisi locus sit adfectus,

vel de presbyterio Patris intelligatur, sed, secundum Papebrochium in vita Greg. in Act. Sanct. Maji, in principio seculi, qui illud probabile fecit. Parentes habuit honestos et nobiles, sed Patrem erroribus Hypsistariorum innutritum, dein, ope uxoris Nonnae Christianae conversum, et Episcopum Nazianzenum factum a. 329., eoque munere per 45. ann. functum, mortuum fere centenarium; ut in ejus vita tradit noster, orat. XIX. cit. Ceterum Hypsistarii traduntur, religionem, ex Judaismo et Paganismo mixtam, tenuisse, ita ut ex *hoc* cultum ignis ac lucernarum, ex illo sabbatum, ac a certis cibis abstinentiam, non vero sacrificia aut circumcisionem, habuerint. Greg. vero Nyss., qui Orat. II. contra Eunomium de iis agit, refert, quoque in eo a Christianis fuisse diversos, quod Deum ὑψιςῶν *altissimum*, unde nomen Hypsistariorum, sed non Patrem, agnoscant.

§. XXII. Studiis primum Caesareae Cappadociae, dein Caesar. Palaestin., et Alexandriae, ubi Rhetoricam praecipue excoluit, operam dedit, quae dein Athenis perfecit, ubi triginta annos inpendit eloquentiae, ut in *vita* sua tradit, et Prohaeresio Christiano, summo Oratore, usus est praeceptore, in cujus laudes epigramma effudit apud Murator. in Anecdot. Gr. Inde a. 354. discedens, et in Patriam redux, cum ad vitam monasticam, sed in medio populi degendam, inclinaret, presbyter factus est Nazianzenus, licet invitus, a Patre. Quo tempore aliquot habuit Orationes, et in carminibus, quovis metri genere, componendis fuit, ut edictum Juliani, quo via ad eruditionem secularem claudebatur Christianis, eluderet. Duas etiam edidit orationes, quae 3*tia* et 4*ta* sunt, invectivas in Julianum, modo mortuum, a. 363., quae adfectum minus aequum, a lenitate, etiam justitia, alienum, spirant; ex quibus qui de Juliano judicaverit, ab injuria Juliano, principi alias non contemnendo, illata, inmunis pronunciari non poterit. Muneris pertaesus ad Basilium M. sese in solitudinem Ponticam contulit,

tulit, ſed haud diu poſt, precibus Patris victus, rediit Nazianzum, et ejus coadjutor factus eſt, ſcripſitque apologiam de *fuga*, et orationem habuit 5*tam*. Deinde a Baſilio, jam Epiſcopo Caeſareenſi, electus eſt, et ordinatus, nolens volens, Epiſcopus Saſimorum, loci vilis, inſalubris, et inteſtinis tumultibus pleni, quod aegerrime quidem tulit, attamen accepit munus; et orationem habuit 7*mam*, ſed mox poenitentia ductus, aufugit rurſus in ſolitudinem, unde altera vice Nazianzum evocatus, Patri in munere ad mortem uſque opem tulit, quare *συνααρων* *Co-Aaron* adpellatur apud Murator. in Anecdot. Gr. Nec tamen Epiſcopum ibi egit, aut Patri ſuccedere voluit, a. 374., quando orationem illam funebrem in Patrem habuit. Incertum, quid eum ad Epiſcopatum ibi recuſandum moverit, niſi quis majus ab ipſo theatrum deſideratum velit, quo dona explicare poſſit: quod etiam conſecutus eſt.

§. XXIII. Conſtantinopolitana Eccleſia cum tota fere ab Arianiſmo eſſet oppreſſa, Gregorius a Synodo aliqua, ſive Antiochena a. 379., poſt mortem Baſilii, ut vulgo putatur, ſive alia, ante Baſilii obitum, a. 378. ut Pagi ad Baron., invitatus, eo venit, et in aedibus Nicobuli adfinis tanto docuit cum ſucceſſu, ut aedes mox in Templum ſint erectae, quod a fidei puritate reſtituta nomen *Anaſtaſiae* nactum eſt. Quando Catholici Gregorium voluerunt Epiſcopum CPolit., ſed praeventi a Maximo aliquo, Philoſopho Cynico, ſed Chriſtiano, qui Petri Ep. Alex. ope adjutus, per multas artes nefarias, nec ſine tumultu, ordinatus eſt Epiſcopus, abſente Gregorio, qui tamen mox ejectus, et fugere coactus eſt. Nec tamen, hoc ſublato aemulo, omnia ſuperare potuit Gregorius obſtacula, cum ipſi, inter alia, fuerit objecta ordinatio ejus Saſimis, nec a loco ad locum tranſlatio per canones eſſet licita: quare ipſe Papa Damaſus ejus ordinationem inprobavit. Sed Theodoſius M. Inperator, fidei Nicaenae inſignis patronus, a. 380. CPolin veniens, Arianis Eccleſias ibi ademit, quas per 40 annos te-

C 2 nuerant,

nuerant, ab anno scilicet 40*mo* seculi, quo Episcopus factus est Eusebius Nicomediensis, Sozom. H. E. VII: 5., et Orthodoxis reddidit, simul Gregorium in sede CPolit. confirmavit. In hoc munere versatus varias conscripsit orationes, inter quas eminent, praeter 20*mam* in laudem Basilii M., modo mortui, 33—37. de *fide Trinitatis:* sed haud diu sedem tenuit. Etsi enim Syn. CPol. a. 381. in causa Macedonii celebrata, electionem Gregorii initio adprobavit, postea tamen juniorum et turbulentorum Episcoporum factionibus, in primis postquam Timotheus Alex. Ep. eo venisset, et iis, una cum AEgyptiis, praebuisset manus, res eo est redacta, ut Gregorius sese sponte abdicaverit, post orationem 14*tam* de *Pace*, et aliam, quae est 27., qua se ab ambitionis crimine purgavit. Munus autem Orat. 32*da* deposuit, postquam triennium ibi triverat, a. 381. Incidisse in odium Episcoporum fertur ob eloquentiam, et scientiarum gentilium studium, et schisma Antiochenum. Timotheus vero antiquo odio, causa Maximi Cynici concepto, adhuc in eum flagrabat. Secessit itaque Nazianzum, et reliquum vitae sine munere trivit: utique Episcopum non fuisse Nazianz., quod Valesf. ad Theodoret. H. E. V: 8. censuit, jam observavit ad eum locum Lowth. Epistolis vero et carminibus conscribendis sese occupatum tenuit ad mortem usque, quam annos 90 natus subiit a. 391. ut ex Suida, et aliis, demonstravit Pagi.

§. XXIV. Ceterum fuit acerrimus fidei Nicaen. defensor, Platonicae deditus Philosophiae, et eloquentia in primis celebris, quare et stilo utitur sublimiore, et de rebus fidei ac religionis nimis Rhetorice disserit. In specie notari meretur, ipsum ob divinitatem Christi strenue adsertam elogium *Theologi* eximie meruisse, sed de miraculis sanctorum defunctorum, eorumque intercessionibus, nimis superstitiose sensisse, et locutum esse, adeo ut ad preces ad defunctos in Ecclesia stabiliendas multum contulerit: de quo postea. Denique vitia sacerdotum et Synodorum passim

vivis

vivis depinxit coloribus: uti Ep. 55, 65, 71, 72, 74. carm. 10mo, et aliis. Opera ejus prostant 2 vol. in fol., sed meliorem et pleniorem requirunt editionem.

§. XXV. *Gregorius* alter, *Nyssenus* a loco Episcopatus dictus, frater Basilii M., et ejus ac Nazianzeni aequalis, utrique in studiorum genere et zelo orthodoxiae similis, sese in principio quoque totum dedit Rhetoricae, adeo etiam, ut, postquam Lectoris officio aliquandiu functus esset, ad illud redierit; donec, Gregorii Nazianzeni epist. quae est 43tia, permotus, ut videtur, ἄδοξον εὐδοξίαν, quae Nazianz. phrasis est, *ingloriam gloriam*, cum Script. S. studio commutaverit, seseque Ecclesiae consecraverit. Num antequam Episcopus factus est, monasticam quoque vitam, pro more seculi, coluerit, adfirmare non ausim, maxime cum Socrat. H. E. IV: 26. id negare videatur, nec contrarium evincat, licet dubium faciat, epist. Basil. M. 33. ad Aburgium. Sed illud tanti non est. Episcopus autem Nyssae, urbis Cappadociae non adeo celebris, factus, incertum quo praecise anno, forte, ut docti volunt, a. 372., munere haud diu functus est tranquille, quin Orthodoxiae fervens studium exilium, jussu Valentis, produxit, jam in principio Episcopatus. Vexationem enim illam octo annos toleravit, et post mortem Valentis mox sedi est restitutus, ann. 380. ut ipse in vita Macrinae, sororis suae, tradit.

§. XXVI. Sedi redditus scripsit, inter alia, libros tredecim, mox post mortem Basilii contra Eunomii apologiam, qua Basilio responderat, qui a Veteribus valde laudati sunt, et supersunt. Deinde, a Synodo, non CPol. oecumenica, ut putatur, sed Antiochena, ut probabile est, de quo Tillemont. in vita Nysseni vid., post mortem Basilii habita, ad Ecclesias Arabiae et Palaestinae visitandas, et reformandas, missus, ea occasione Hierosolymam, et loca, sic dicta, sancta, invisit, sed corruptione morum, ac discordiis Christianorum, haud leviter fuit offensus, ut Ipse in Epist. ad Eustathium non tantum, sed Epist. de *peregrinatione Hierosolym.*,

§. XXVIII. Eaedem cauſae, poſtremo hoc facinore excepto, irritarunt Chryſoſtomum. Conſtantinopolin, ſtudio in Origeniſtas inflammatus cum veniſſet, ut monachis Nitrienſibus, qui a Theophilo expulſi eo venerant, ut apud Imperatorem quererentur, noceret, Chryſoſtomum non tantum in communionem admittere, niſi prius damnaſſet Origenem, recuſavit, ſed et in ejus jura involavit, Diaconum in Eccleſia ejus ordinando, aliaque contra canones agendo, Socrat. H. E. VI: 14. Quare acriter a Chryſ. objurgatus, nec ab Eudoxia Auguſta ſatis bene tractatus, ſeſe inde proripuit, et in itinere mortuus eſt, a. 402., teſtibus Socrat. et Sozom. l. c. Addit Socrat., Epiphanium, navem conſcenſurum, dixiſſe Chryſoſtomo, *ſpero te non moriturum Epiſcopum*, et pro reſponſo tuliſſe, *noli ſperare Epiphani! te in Patriam rediturum*: ſed cum de fama illud tantum narret Socrat., veritas facti manet dubia. Opera Epiphanii, quorum optima eſt Petavii editio, cum eruditis obſervationibus, duobus vol. in Fol., ſunt 1. *Ancoratus*, ſeu expoſitio fidei Catholicae de Trinitate, inſtar *anchorae* cujuſdam, ſcriptus a. 373. Propter quem librum multos ei voluiſſe dicam haereſium ſcribere, traditur apud Sozomen. H. VIII: 15. 2. *Panarion*, cujus ſupra memini. Cujus ſcrinia, compilarunt qui de haereſibus ſcripſerunt, Philaſtrius, Theodoretus, et Joh. Damaſcenus; ſed Auguſtinus alio ejus libro uſus eſt, ut ex praefat. et haereſ. 57. liquet. 3. *Anacephalaeoſis*, ſeu epitome Panarii. 4. De *ponderibus* et *menſuris*, ubi Canon Script. S., qualem Hebraei habent, reperitur, et de Verſionibus Graecis diſſeritur. 5. Epiſtolae, altera ad Johannem Hieroſ., altera ad Hieronymum, inter Hieronymianas. Ceterum ex hiſtoria vitae ejus et ſcriptis patet, eum haereſes multiplicandi et adgravandi, ac odioſas reddendi, nimio arſiſſe ſtudio. In Chronologicis et hiſtoricis narrationibus minus quoque exactus eſt et fidelis, in ſtilo negligentior et obſcurior, ſed a ſuperſtitione circa imagines alienus, ut ex facto, ſupra narrato, et haereſ. 79. Collyrid., aliisque hujus deperditis, patet.

§. XXIX.

§. XXIX. *Johannes Chryfoftomus*, omnibus feculi Scriptoribus praeferendus, five vitae et morum habeatur ratio; five facillimae eloquentiae, five laborum et fcriptorum, quae omnia pietatem, et dexteritatem judicii in Script. S. explicanda, fpirant, cujus vitam ex Veteribus confcripfit Palladius in dialogo, probe ab alio ejus nominis, Laufiacae fcriptore diftinguendus, ex Recentioribus, poft alios, omnium adcuratiffime Montfalconius oper. Chryf. tom. XIII., Chryfoftomus, inquam, ut fumma vitae ejus capita perftringam; parentes habuit honeftos et opulentos, fed gentiles, Chriftianos factos ante natum Johannem. Patre vero brevi mortuo, mater, una cum filio, 23 annos nato, baptizata eft a Meletio, Epifcopo Antiocheno. Natus autem eft Antiochiae ad Orontem fluvium, circa ann. 354. Juvenilibus ftudiis, Rhetorices fub Libanio, et Philofophiae fub Andragathio, defunctus, ann. aetatis 20*mo*, Meletio, Ep. Antiocheno, fefe dedit informandum; a quo tribus poft annis facro lavacro tinctus eft, et Lector ordinatus. Monafticae vero vitae defiderio flagrans, fefe ad monafterium Antiochiae vicinum, matre forte, quae femper obftiterat, mortua, contulit, et quadriennium trivit, S. litterarum ftudio, ducibus Carterio, et Diodoro, poftea Tarfenfi Epifcopo, tunc Archimandritis Antiochenis, operam dedit, et litteralem Script. S. interpretandae methodum inbibit, allegoriis fepofitis. Sed poftea, arctioris difciplinae ftudio ductus, indoli, et opinioni feculi, convenienter, remotiorem petiit eremum, fefeque in fpelunca inediis, vigiliis, aliifque devotionis exercitiis, biennio maceravit, virefque exhaufit; quando Antiochiam reductus a. 381. Diaconus eft a Meletio ordinatus, et quinquennio poft a Flaviano Presbyter, a. 386. Quo tempore plurimas habuit conciones, inter quas mirabiles illae eminent *εἰς τοὺς ἀνδριάντας in ftatuas*, ad populum Antiochenum, tunc tumultuantem: quibus motus compefcuit cum Libanio, et Inperatorem Arcadium, Antiochenis ob ftatuas confractas infenfum, placavit.

§. XXX. Quo munere cum duodecim defunctus esset annos, ad sedem Constantinopolitanam, in locum Nectarii defuncti, translatus est ab Arcadio a. 397., indignantibus Antiochenis, a quibus aegre est avulsus, et in malum suum. Corruptos enim urbis mores, in primis Eudoxiae Inperatricis, ejusque aulae, cum acriter perstringeret, disciplinae Ecclesiasticae studio flagraret, Origenistas susciperet, et fidei Nicaenae contra Arianos zelotam ageret, acerrimos sibi concitavit adversarios, Eudoxiam, Arianos, et Theophilum Alexandrinum, Origenis persecutorem, ipsi quoque, ob praereptam Isidoro, diacono suo, sedem CP., infensum, quippe quem eam in sedem fraudulenter conatus fuerat Theophilus intrudere: cujus horrenda in Chrysost. convicia exhibet Facundus Hermian. *pro tribus capitulis* l. IV. c. 6. Quantopere vero Arianis restiterit, vel ex eo patet, quod Gainae, Gotho et Ariano, qui primas apud Inperatorem habebat, Ecclesiam pro sua secta petenti, obicem posuerit; unde multa orta sunt mala. Nec tamen Gothofredo, post Baronium, conjectanti, Arcadium, ejus suasu, leges capitali poena sancitas tulisse contra Eunomianos et Montanistas, adcrediderim, cum illud ab ejus genio abhorreat. Vid. Gothofr. ad Cod. Theodos. l. XVI. tit. V. ubi ipse citat locum ex Chrys. contrarium. Dicit quoque hom. de Phoca martyre Oper. t. II. *consuetum mihi est persecutionem pati, non persequi, vexari, non vexare.* Effecerunt vero adversarii, ut Synodo 45 Episcoporum Chalcedone coacta, ob levissimas criminationes, quas vel responsione indignas judicavit, inauditus, cum nollet comparere, fuerit depositus, et edicto Caesareo in exilium pulsus in Bithyniam a. 403. Plebe vero propterea tumultuante, revocatus quidem mox est, sed et novis mox turbis objectus.

§. XXXI. Cum enim a studio in vitia publica declamandi non desisteret, coacta Synodo, ab ea, hoc praetextu, quod a Synodo depositus, nec absolutus, sedem recepisset, sede est deturbatus, fautores quoque ejus, *Johannitae* dicti, qui

qui seorsim collectas agebant, varie vexati sunt. Missus itaque a. 404. est Caucusum, Armeniae secundae urbem, locum valde sterilem, in exilium. Perhonorifice tamen in itinere ubique est susceptus, imo Cappadociae confinia transeunti adclamatum ipsi est ab Episcopis, et aliis, *satius esse solem radios subtrahere, quam Johannis os silere*; non sine adlusione ad nomen *Chrysostomi*, seu aureum ejus os. Ne sic quidem contenti adversarii inpetrarunt ab Arcadio, ut Pithyunta, desertissimum Ponti locum, transferretur. Sed in itinere, cum ad Comanam Ponticam pervenisset, multis curis, laboribus, vexationibusque confectus, ad pacificas sedes coelestes avolavit a. 407., paulo supra 52. ann. natus. Post mortem vero honori redditus est, et adversarii pudore sunt confusi. Ossa enim ejus post 30 annos sunt CPolin translata, et in Basilica Apostolica condita, nomen quoque diptychis Eccles. inscriptum est, primum ab Alexandro Antiocheno, dein aliis. Vid. Sirmond. ad Facund. Herm. l. IV. init. Scripta Chrysostomi, homilias, Epistolas, Commentarios in totam Script. S., aliosque tractatus, complexa, quae, ut solet, adcurate recensuit Fabricius Bibl. Gr., ut notum est, novissima editione Montfalcon. prostant. 13. vol. in fol.

§. XXXII. Praeter hos celebriores scriptores fuerunt quidem alii, sed quorum scripta vel sunt dubiae fidei, vel minoris pretii, et usus, exceptis paucis, quorum aliqua adhuc facienda est mentio. *Eustathii*, Episcopi Antiocheni, qui synodo Nicaenae interfuit, superest *Commentarius* in Hexaemeron, a Leone Allatio editus, sed spurius, nec non Dissertatio de *Engastrimutho* contra Origenem, ab Eodem publicata. *Serapion* ex Monacho Episcopus Thmuitarum, familiaris Athanasii, et *Titus* Bostrorum in Phoenicia Episcopus, tempore Juliani et Joviani scripserunt contra Manichaeos, quorum libri prostant in *Antiquis Lection.* Canisii. *Amphilochio* Iconii, metropolis Lycaoniae, Episcopo, Basilio et Nazianzeno familiari, nonnulla tribuuntur opera, a Combe-

fisio collecta et edita, sed incertae fidei. Exstat quoque ejus *Epistola Synodica* in monum. Cotelerii t. II. quae sola forte genuina est. Duo celebrantur quoque *Macarii*, alter *AEgyptius*, major ob aetatem dictus, monachus Scetensis in superiore AEgypto, alter *Alexandrinus*, minor aetatis respectu, sed *politicus*, ob urbanitatem et hilariorem faciem, adpellatus, archimandrita Nitriensis; uterque Antonii discipulus, et severioris devotionis. Alexandrini superest sermo de *exitu animarum piorum et inpiorum*, apud Cave in hist. litt. ex cod Mss., sed parvi pretii, superstitionis et fabularum plenus. Longe utiliora sunt, et lectu dignissima, quae AEgyptio competunt, opuscula, severiorem pietatem, et interiorem Christianismum spirantia, a. Georg. Pritio edita. *Didymus*, luminibus licet quinquennis jam orbatus, magnam sibi comparavit eruditionem, et scholae Alexandr. praefectus, summo cum adplausu docuit Sacras Litteras; magna quidem, dum vixit, in existimatione, sed postea cum Origene, quem sectatus erat, damnatus. Scripsit librum de *Spiritu S.*, quem vertit Hieronymus, et contra *Manichaeos* in Lect. Ant. Canisii. *Diodorus*, Tarsi Episcopus, qui concilio CPol. I. interfuit, cujus quaedam tantum supersunt fragmenta apud Marium Mercat., Leontium contra Eutychian., Facundum Hermian. de *tribus capitulis*, et alios, ideo memorabilis est, quod, repudiatis allegoriis, litteralem sectatus sit Script. S. interpretationem, Sozomen. VIII: ejusque discipuli fuerint Chrysostomus, et Theodorus Mopsuestenus, denique Pelagianis praeluserit et Nestorianis. De quo suo loco.

§. XXXIII. Peculiarem meretur adtentionem *Cyrillus*, Hierosolym. Episcopus, quippe cujus opera optime a Millesio, Oxon., et novissime a Toutteo, Benedictino, Paris. edita, ingentem praebent ad doctrinam et religionem hujus sec. cognoscendam utilitatem: ut sequens docebit tractatio. Vitam, fata et labores descripserunt viri memorati, in primis fusius Toutteus; nos strictim summa capita exhibebimus;

mus; cum prolixioribus esse non liceat. Ubi, quando, et quibus parentibus, fuerit natus cum incertum sit, mitto, verbo notasse, contentus, ex parentibus Christianis videri ortum, circa ann. 315., cum Presbyter jam fuerit a Maximo, praesule Hierosol., ordinatus a. 345. Quo munere functus habuit Catecheses, quae supersunt, a. 347. vel. 348. et concionatus est. Fuerunt autem catecheses ejus σχεδιασθεῖσαι extemporaneae, post meditationes sine scripto pronunciatae. Ecclesia hoc tempore vehementer turbata, et in factiones Eusebianorum ac Athanasianorum, quorum illi Arianismi, hi Sabellianismi habebantur suspecti, quique sese invicem hac ratione diffamabant, divisa, Cyrillus, cum Episcopo et Ecclesia sua, neutri parti accedens, a neutra quoque sese separavit, tantum dissidia deploravit, et pro signis adventus Antichristi praenunciis habuit; vitavit quoque voces controversas *homoousiou*, seu consubstantialis, et unius vel trium substantiarum in Trinitate, quare in suspicionem Simi-arianismi quoque incidit.

§. XXXIV. Maximo, vel ab Acacio Caesareens., et sociis, deposito, quod ad Athanasii transierat partes, ut Socrat. H. II. et Sozom. H. IV. tradunt, vel potius aut senio confecto aut mortuo, ut Hieron. in Chron. et Theodoret. H. II. referunt, suffectus est ann. 350. Cyrillus, et *canonice ab Episcopis Provinciae ordinatus* est, teste Epist. concilii Constantin. OEcumenici ad Occidentales, apud Theodoret. H. V. ab Acacio vero, tanquam metropolita, consecratus: quocum tamen brevi post grave subiit certamen de primatu et jure metropolitico; ac varia subiit fata. Cyrillus videtur sedem suam, quippe Apostolicam, jurisdictioni nullius, ne quidem Metropoliticae sedis, esse subjectam tenuisse; quare Acacio, ipsum in jus vocanti, sese sistere per biennium recusavit; nisi id fecerit, vel metu accusationum; ut tradit Socrat. H. II 40. vel cum illae levissimae fuerunt, ut ex Theodoret. H. II. et Sozom. H. IV. colligere licet, earum contemtu. Rectene an contra jus Metropoliticum ita

egerit Cyrillus, non disputo, licet mihi de immunitate sedis Hierosol. ab alia jurisdictione nihil constet. Hieron. quoque Ep. 61. contra Johannem, nostri successorem, contrarium haud obscure urget, de quo postea suo loco. Quicquid sit, in mutuas quoque de fide accusationes eruperunt. Cyrillus enim Acacio Arianismum purum inputavit, sed hic illi vel similitudinem essentiae, Filio cum Patre conpetentem, quod erat Semi-arianum, ut Sozomen. H. l. IV. refert, vel consubstantialitatem, secundum fidem Nicaenam, quod tradit Niceph. Callist., autor recentior, H. IX: 46. Quod posterius rectius in Cyrillum, qui sanam semper fovit opinionem, ut ex scriptis ejus patet, quadrat, licet suspectus fuerit habitus Semi-arianismi, ut supra observavi.

§. XXXV. Contentio haec eo usque processit, ut Acacius Cyrillum, in jus licet vocatum, nec per biennium comparentem, convocata nonnullorum Episcoporum provinciae, ipsi adhaerentium, Synodo, non tantum deposuerit, sed et urbe expulerit, inputatis ipsi levissimis commissis, teste Theodoreto l. c., quorum unum memorat Sozomen. l. c. quod in egestate publica thesauros Ecclesiae, et sacra vela divendisset, quae mercator mulieri scenicae rursus vendiderat. Factum illud videtur a. 357., cum Cyrillus, ut refert Theodor. l. c., Antiochiam mox contendens, sedem eam repererit vacantem, Leontio modo mortuo, circa fin. istius anni. Deinde cum Cyrillus, qui apud Sylvanum, Tarsensem Ep. Eusebianum, versatus et Eusebianis sese adsocians, tunc in Ecclesiae communione adhuc degentibus, ad plenius provocasset concilium, causa ejus discussa est in Seleuciensi, ubi Orientis Episcopi congregati fuerunt a. 359., Acacius condemnatus et Cyrillus restitutus est, utique sessionem qua Episcopus habuit in concilio, et Hieronym. in Chron. tradit, eum sedi redditum esse, antequam Herennius, eo iterum pulso, eam accepit; quod anno seq. post concilium CP. factum est. Sed mox a. 360. in Synodo CP. rursus cum aliis condemnatus, ope Acacii, qui Inperatorem in partes

partes traxerat, et Cyrillum ei et hoc nomine odiosum reddiderat, quod, uti calumniabatur, vestem aureis filis contextam, a Constantino Patre in usum baptismi donatam, vendidisset mimo; simul per Inperatorem in exilium missus est, cum aliis, qui Seleuciensi Synodo praefuerant. Theodoret. H. l. c. Constantio vero mortuo, et Juliano ei suffecto, Cyrillus cum reliquis exulibus restitutus est, et ad sedem suam reversus, a. 361. quam pacifice, usque ad Valentis initia, seu a. 367., tenuit. Sed quam tertia vice a. 367. deserere coactus est, a. Valente in exilium missus, sed recuperavit, teste Hieron. et Sozomen., post Valentis mortem sub Theodosio, post longioris temporis absentiam a. 378., tenuitque teste Hieronymo in catal. script. 8 annos, mortuus a. 386.

§. XXXVI. Inter opera Cyrilli, a viris supra memoratis publicata, eminent Catecheses *octodecim* φωτιζομένων ad *competentes*, seu baptismi candidatos, quibus praecipua Christianae religionis capita exponit, et vindicat, nec non *Mystagogicae quinque* ad modo baptizatos, quibus de eorum officiis, chrismate et Eucharistia agit. Quas catecheses, a nonnullis Protestantibus spurias, vel interpolatas, habitas, luculenter vindicavit Toutteus post Tillemontium, et alios satis notos. Prostat praeterea προκατήχησις, seu prologus prioribus Catechesibus praemissus; et *Epistola* ad Constantium Inperatorem de *cruce* in coelo visa Hierosolymis a. 351. cujus quoque meminit Sozom. H. IV. sed ejus forte nomen mentitur. Alia mitto. Ceterum licet Ruffinus tradat, Cyrillum *aliquando in fide, saepius in communione variasse*, Socrat. quoque et Sozom., eum *mutata sententia* adhaesisse in Syn. CP. *consubstantiali*, illud tantum verum est, ipsum, pacis studiosum, Maximo, Episcopo Hierosl., adhuc in vivis, nulli parti se in dissensionibus adjunxisse, vocem *homoousion* in initio, tanquam non Scripturariam, nec satis aptam, non admisisse, deinde, ea adoptata, eorum, qui vocem illam refugiebant, communionem propterea non vitasse, attamen sanam semper

 de

de Trinitate, hoc tempore pro Catholica habitam, doctrinam tenuisse, et professum esse; ut ex historia, et scriptis, ejus manifestum mihi videtur, de quo postea, ut et de aliis ejus opinionibus.

§. XXXVII. Ad Latinos scriptores antequam adcedam, verbo quaedam de *Ephraemo* Syro, ad Orientales, sed non Graecos, pertinente, monebo, cum ejus scripta, quae antea Gr. et Lat. tantum exstiterunt, nunc quoque multa Syriace prostent; adeo ut omnia ejus opera, Gr, Lat. et Syriace in manibus nostris sint, cura Assemanni et Benedicti, *sex* tomis in Fol., una cum Veterum et Recentiorum judiciis de Ephraemo, et scriptis ejus. Praemissa quoque sunt Oper. Syr. tom. III. acta Ephraemi, sed plena miraculorum, et ab homine credulo valde et superstitioso scripta. Graeca quoque scripta, et Vossii fidelitatem, pluribus contra Kohlium, Tentzelium, et alios, vindicavit Asseman. in Proleg. tom. II. oper. Gr. et Lat. Ephraemi. Sunt tamen inter illa, quae vix defendi posse videntur, uti sermo de *transfiguratione* Domini Oper. t. I., cum ad Nestorianismum et Eutychianismum ibi manifeste respiciatur, et formulae, iis oppositae occurrant. Fuit autem Ephraem Nisibenus, Jacobi Nisibeni discipulus, dein Diaconus, et forte etiam Presbiter Edessenus, mortuus a. 375.. Vir fuit summae aestimationis apud Veteres, sicut encomium Greg. Nysseni in eum, et alia testimonia, oper. ejus ab Assemanno praemissa, docent. De fide et opinionibus ejus suo loco agam.

LATINI.

§. XXXVIII. Primus inter eos locus dandus est Arnobio et Lactantio, qui in principio sec. floruerunt. *Arnobius*, probe a juniore ejus nominis Sec. V. distinguendus, fuit professione Rhetor, simul acerrimus Gentilismi defensor; dein ad Chiristianam religionem conversus, eruditos illos scripsit libros *contra Gentes*, plenis a Doctis illustratos commentariis,

tariis, durante persecutione Diocletianea; sed in quibus nonnulla occurrunt singularia, de origine animae, formatione corporum, et eorum unione cum animabus: quae redolent Manichaeismum, ab aliis jam notata, uti a Beausobre Hist. Man. tom. II. Similes opiniones de origine mali inbibit quoque et explicuit *Lactantius*, ejus discipulus, et ad ejus exemplum Christianus factus, si pericopa Instit. II: 8. et VII: 5. ac de *opificio Dei* cap. 19., in multis codicibus desiderata, genuina sit, uti probabile fecit Beausobre Bibl. Germ. t. 43., et ex comparatione cum l. II: 12. et IV: 13. confirmatur. Statuit vero, malum aeque ac bonum esse necessarium in mundo, ut lucem et tenebras, esseque malum ex directa Dei intentione et voluntate, nec tamen ex Deo, tanquam causa efficiente, sed ex diabolo; produxisse vero Deum, cum mundum crearet, duos spiritus supremos, alterum, *filium* Dei dictum, quod in similitudine Dei mansit, alterum, *spiritum*, factum malum, ex invidia erga filium Dei, eumque esse autorem omnis mali, sicut omnis boni alter est, seu Filius Dei, quod in creatione locum habet, adeo ut animus hominis sit a bono, et corpus, sedes mali, a principio malo: esse quoque animam aeternam Dei emanationem, Vid. etiam Instit. VII: 12. et de Filio Dei ib. IV: 6, 8, 10., agnoscit tamen unitatem Patris et Filii l. IV: c. 20., eodem modo fere quo Tertullianus, et *Anthropianos* (seu homuncionitas, qui Christum nudum hominem dixerunt) et *Arianos*, si ea vox non sit intrusa, haereticis accenset ibid. c. 30. Ceterum Lucius Caelius, vel Caecilius, Lactantius, ut plene adpellatur, Firmianus, a Firmio, agri Piceni oppido, ad mare Adriaticum, unde forte oriundus est, Christo nomen dedit saeviente adhuc persecutione Diocletianea, et causam Christianorum contra Maximum Philosophum, et Hieroclem, Bithyniae Praesidem, strenue egit. Deinde a Constant. M. ad filium Crispum litteris erudiendum est admotus; obiit vero senex et pauper. Scripsit *Institutionum* libros septem, pro Christiana religione contra

Gentes, Institutionum *epitomen*, nec non de *ira*, de *opificio* Dei, et aliis materiis: denique ei quoque tribui solet insignis ille liber de *mortibus persecutorum*, primum a Baluzio in Misc. editus, dein ab aliis, optime a Bauldry, cum virorum eruditorum notis. Stilo utitur longe faciliore, quam Arnobius, et magis Ciceroniano.

§. XXXIX. *Hilarius* Pictaviensis, ab urbe Aquitaniae secundae, ubi natus, et ad a. 368. usque Episcopus fuit, cujus vitam, doctrinam, et opera fuse enarrarunt Benedictini in Proleg. ad novissimam edit. Paris., ab ipsis adornatam, studio Arianos, qui in Occidente, et maxime in Gallia, tempore Constantii, multiplicari incipiebant, compescendi celebrem sese praestitit. Quorum quantus fuerit hostis, vel illud de Auxentio Mediolanensi ejus dictum testatur, *mihi certe ille nunquam aliud, quam diabolus erit, quia Arianus est.* Nec zelus ejus fructu caruit, cum *unius Hilarii beneficio Gallias piaculo haeresis liberatas inter omnes constare*, adferat Sulp. Sever., nec tamen sine multo labore et periculo, in exilium quoque a Constantio, ope Saturnini Arelatensis, missus in Phrygiam, quo tempore, quod *quatuor* est annorum, scribendo incubuit. Scripsit enim tunc 12 libros de Trinitate, librum de Synodis, orationes ad Constantium, et alia. Praesens quoque adfuit concilio Seleuciensi a. 359. in quo Ecclesias Gallicanas a Sabellianismo vindicavit. Legatos vero Synodi Constantinopolin secutus, *tribus libellis* ab Inperatore frustra petiit disputationem cum Arianis. Denique, tanquam perturbator Orientis in Galliam redire jussus, Pictavum repetiit, et, frequentioribus habitis Synodis, Arianismum per Gallias fere exstirpavit. Obiit a. 367.; ut demonstrat Pagi ad Baron. Ceterum nonnullae opiniones male sanae Hilario tribuuntur, a quibus ipsum liberare conati sunt Benedictini, editores operum ejus novissimi, Christum scilicet non ex Maria, sed Spiritu, habere corpus, humanam ejus naturam nullum dolorem, aut passiones, sensisse, et ab ea discessisse divinam tempore mortis, et huma-

nam

sam naturam, post resurrectionem, fuisse a Divina absorptam; denique nos *natura* cum Deo et Christo unum esse. Utitur vero stilo turgido nimis, et Gallicam sapit grandiloquentiam, adeo ut Hieronymus eum *eloquentiae Rhodanum* adpellaverit.

§. XL. *Ambrosius*, ex illustri Gallorum familia, et Patre Praefecto praetorio Galliarum natus, cum causas primum in foro egisset, dein Liguriae et Aemiliae provinciis praefectus esset, Mediolani sedem habens, ad Episcopatum Mediolanensem mirabili modo fere invitus tractus est, a. 374. Cum enim Auxentio Ariano surrogandus esset Episcopus, et Catholici ac Ariani acriter secum de successore contenderent, Ambrosius, qui aderat, ut motus compesceret, subito proclamatur Episcopus, cui voci adstantes mox adclamarunt: quando ipse adhuc catechumenus mox sacro tinctus est lavacro, mox sacro muneri, licet contraniteretur, initiatus est. Pro qua electione Valentinianus Inperator Deo dicitur egisse gratias, Theodoret. H. IV: 12. Fuit vero ei in Episcopatu continuum fere cum Gentilibus et Arianis, quibus sese strenue opposuit, certamen, uti cum Symmacho, Romae praefecto, qui paganismum introducere conabatur, de *ara Victoriae* restituenda, quo causa cecidit Symmachus, et urbe pulsus est; synodo Aquilejensi a. 381. praefuit, et Palladium, Arianorum primipilum, repressit. Arianis, Justinae Augustae, et Valentiniani filii ejus, patrocinio elatis, ac Basilicam armata manu petentibus, obicem posuit. Singularis casus est, quo Theodosium M., inmani Thessalonicensium caede pollutum, ab Ecclesiae foribus arcuit, et ad poenitentiam subeundam compulit. De quo postea. Annos 64. natus, cum lethali laboraret morbo, dixisse fertur, *non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam bonum Dominum habemus.* Obiit a. 397. Theodosium M. vero de ipso dixisse, *Episcopum dignum nullum vidi quam Ambrosium*, refert Theodoret. H. V: 18. Opera Ambrosii, quae ex comment. in

 Script.,

Script., Epistolis, de Officiis etc. constant, optime sunt; 2 tom. in fol., edita a Benedictinis, cum eruditis Prolegom., de vita, laboribus ejus, ac notis. Sed *sermo* de *lapsu virginis consecratae*, Oper. t. II., ejus non est, nec etiam libri de *sacramentis*, qui ibid. sequuntur, ut ex stilo et aliunde patet. Vid. Benedictini in praef. praemissa, qui etiam observarunt, autorem post Augustinum vixisse, et ante sec. VII. Solido quoque non nititur fundamento opinio de Ambrosio autore versionis Josephi, de excidio Hierosolymae, qui liber sub nomine Hegesippi notus est: nec stilo ejus nec personae convenit, Vid. Bened. in Proleg. t. II. Ceterum in expositione Script. S. sensum historicum levidensi perstringit brachio, subinde negligit, moralem, et in primis mysticum, sectatus, et duces sequitur Origenem, ac Basilium M., sed Philonem Judaeum saepe in mysticis exprimit, adeo ut is sit consulendus saepe ad Ambrosium recte capiendum: stilo ad Senecam prope accedente utitur. Cassidoro vero, divin. lect. c. 20. *lactei sermonis emanator* dicitur, *cum gravitate acutus, perviolenta persuasione dulcissimus.*

§. XLI. Praeter hos celebriores alii fuerunt scriptores, quos, brevitatis ergo, tantum recensebo aliquos. Julius *Firmicus* Maternus, qui, dum gentilis erat, tempore Constant. M., scripsit octo libros mathesios, seu de *astrologia apotelesmatica*, Christianus factus longe utiliorem exaravit, de *errore profanarum religionum* contra Gentiles, ad Constantium, et Constantem, Augustos, ad calcem Minutii Felicis edit. Woweri et Ouzeeli. *Hilarius* Diaconus Ecclesiae Romanae a. 354. postea Luciferianus, de quo suo loco, factus, scripsit *Quaestiones* V. et N. Test., inter Augustini opera, et *Comment.* ad Epist. Pauli, inter ea Ambrosii. *Phaebadii*, qui Ariminensi concilio interfuit, et Arianis vehementer restitit, superest liber *contra Arianos*. *Fabii Marii Victorini*, qui Afer, professione Rhetor, senex factus est Christianus, exstant, praeter alios tractatus, apud Sirmond.

Sirmond. Oper. tom. I. libri *contra Arianos*. Obiit. a. 370. *Pacianus*, Barcinonis in Hispania Episcopus, sub Theodosio, in ultima senectute, teste Hieronymo de *viris illustribus*, defunctus, scripsit contra Novatianos tres epistolas ad Sympronianum Novatianum, et *paraeniticum* ad poenitentiam, quae opuscula etiam exstant in *collectione maxima* Conciliorum Hispaniae tom. II. correctiora, de *baptismo*, et libellum, cui titulus *cervus*, contra ludicrum morem, quo sese Kalend. Januar. in cervae, vel alterius ferae, habitum transformabant homines. De quo, et aliis ritibus, Vid. Serm. 129. et 130. in Adpend. Oper. Augustini t. V. et Sirmond. in Anthirret l. II. ac Colomes. ad Gyrald. de Poetis. *Philastrius*, Brixiensis Episcopus, Ambrosii familiaris, celebre dicam, an famosum, acquisivit nomen per librum de *haeresibus*, novissime a Fabricio editum, quo in haeresibus multiplicandis, et adgravandis, ipsum superat Epiphanium. Denique *Optatus*, Milevitanus in Numidia Episcopus, qui floruit circa a. 370., celebris Donatistarum oppugnator, *septem* publicavit libros contra eos, antea a Priorio, una cum Facundo Hermianensi editos, novissime et optime a Dupinio. Qui lectu digni sunt, et magnam praestabunt usum. Denique duo non negligendi sunt poetae Christiani, *Juvencus* et *Prudentius*, ille in initio, hic in fine, seculi, ille Hispanus Presbyter, cujus exstant *Euangelia* versibus hexametris, novissime edita Francofurti, cum variorum notis, opera Reuschii, et Liber *Genes.* apud Martene nov. collect. Monum. Vet. t. IX. Prudentius vero, qui sub Gratiano a. 380. claruit, et per 57 annos mundi vanitatibus irretitus, deinceps pietati deditus, ad S. Scripturam, et devotionem se adplicuit, variaque scripsit poemata. Fuit Caesaraugustanus Hispanus, non quidem vir Consularis, attamen dignitatibus secularibus illustris, cujus vitam recte descripsit Clericus Bibl. Univ. t. XII. optima est editio Weitzii Hanoviae.

§. XLII. Praeter Scriptores, quorum aliqualem, quantum

 scopo

scopo sufficit, cum historiam litterariam non scribam, sed monumenta tantum monstrem, ex quibus notitia Ecclesiae petenda est, dedi conspectum, cum insignem quoque usum praestent Symbola fidei, Canones conciliorum, Liturgiae, et Constitutiones quaedam Theodosianae, et sic dictae Apostolicae, de iis quaedam quoque monenda sunt. Misso symbolo Hierosolymitano, quod ex scriptis Cyrilli collectum exhibet Toutteus ad Cyrill. p. 184. et post Nicaenum adhuc aliquandiu viguit, duo condita sunt hoc seculo universalia, Nicaenum et Constantinopolitanum, quorum illud post Synodum Ephesinam, sec. sequente, hoc post henoticon Zenonis demum obtinuisse videtur in Ecclesia, ut Idem ibid. observavit. *Nicaenum*, apud Athanas. Ep. ad Jovianum, Hilarium de Synodis, Socrat. H. I: 8. et alios sequentium temporum obvium, in Synodo Universali Nicaena conditum, de quo postea, a Caesareense, quod Eusebius protulerat, non, nisi in phrasibus, quibus Arianismus directius tangitur et damnatur, differebat; nec ultra articulum *de Spiritu S.* sese porrigit; quia scopus Synodi aliud non requirebat. Unde, antiqua symbola omnia in hoc articulo fuisse terminata, ut nonnullis visum fuit, colligi non posse; manifestum est, cujus contrarium quoque ex dictis ad super. sec. patet, et ex Cyrillo ac Epiphanio quoque jam observavit Usserius de *symbolis*. Ceterum symbolum Nicaenum, ea forma expressum, Catechumenis non fuit in Ecclesia Orientali propositum, sed auctius et plenius, reliquis articulis ex vetustioribus symbolis additis: uti ex Epiphan. in Ancorato num. 120. constat. Duplicem enim ibi exhibet ejus formam, unam breviorem, alteram prolixiorem, quarum prior usque ad a. 373. in usu fuit, et posterior ab eo tempore incepit tempore Valentiani et Valentis, occasione Apollinaris, et aliorum haereticorum, quorum causa nonnulla sunt addita. Postea vero symbolum Nicaenum est a Synodo CP. a. 381. consummatum, addito, praeter articulos in eo omissos, quoque auctiore de Spiritu S. contra Macedonianos,

nianos, ita ut, *Spiritum ex Patre processisse*, fuerit dictum, non addito *Filioque*; quod postea est a Latinis insertum. De quo suo loco. Symbolum vero sic dictum *Athanasianum*, non esse ab Athanasio, quod aliqui Catholico-Romani, Baronium secuti, putant, profectum, vel illud extra dubium collocat, quod, ne Athanasium dicam rationem symboli praeter Nicaenum condendi habuisse nullam, Latine sit conscriptum, et cum additamento *Filioque*; hominis ergo sit Latini, quodve nemo Veterum ejus meminerit, sero demum Athanasio adscriptum sit, sive, quod Vossius vult. sec. VIII. sive, quod verius, sec. IX., uti Usserius praef. de symbolis ad Vossium demonstravit. Vid., praeter alios, Vossius *de tribus symbolis* diss. II. et Quesnellius de *variis fidei* symbolis. Interea, cui autori sit vindicandum, non constat; forte Vigilio Tapsensi, sec. V., cum inter ejus opera occurrat: quae nonnullorum est opinio. Sed quicquid de autore sit, autoritas ejus apud Latinos non tantum, sed et Graecos, licet cum aliqua variatione, agnoscitur. Vid. Usserius loco cit., qui illud etiam exhibet.

§. XLIII. Praeter *Constitutiones Apostolicas*, quae, ut ad sec. I. observavi, hujus et seq. sec. ritus, regimen et disciplinam describunt, egregium usum praebent *Canones* conciliorum, quorum post medium sec. prima facta est collectio, et *Codex canonum Ecclesiae universae* adpellatur, cujus prima fit mentio in actis Concilii Chalcedon. a. 451., a quo etiam est confirmatus, ut ad can. II. observavit Beveregius in *Pandectis Canonum*, sicut postea novella Justiniani 131., a quo tempore vim legis accepit: adeo ut in conciliis in medio consessu poni solitus, post Script. S., summam obtinuerit autoritatem. Fuisse autem hunc codicem post Synodum Laodicenam, et ante CP. I., adeoque inter ann. 364. et 381. confectum, praeter alias rationes evincit, quod post Syn. Nicaenae OEcumenicae canones sequantur Synodorum Particularium; argumento, tunc alios alicujus Syn. OEcumenicae canones non exstitisse; quippe qui praecedere ali-

as debuiſſent, poſtea ſubjuncti ſunt canones CP. I., Epheſin., et Chalcedon. Vid. Uſſerius et Wardus in Epiſtolis Uſſerii apud Clericum Bibl. Univerſ. tom. II. Editus vero hic codex eſt a Juſtello, et poſtea inſertus Biblioth. *juris Canon. Juſtellianae*, ubi canones 207. exſtant, conciliorum *Nicaen.*, *Ancyran.*, *Neocaeſariens.*, *Gangrenſ.*, *Antiochen.*, *Laodicen.*, *CPolit.*, *Epheſin. et Chalcedon.* Ceterum toto hoc ſeculo Occidentales tantum tenuerunt Canones Nicaenos, cum formula fidei ibi cuſa, uti ex Epiſt. Innocentii Papae apud Sozomen. H. VIII; 26. liquet. Cum hoc denique Codice conferendae praeterea ſunt Pandectae Canonum a Beveregio editae ac illuſtratae. Nec negligendi ſunt concilii *Illiberitani* in Hiſpania canones, ad diſciplinam inſtaurandam, et mores reformandos, conditi in ſec. initiis; qui a variis ſunt illuſtrati, Garſia, Binio, Albaſpinaeo, Mendoza, et erudite admodum a Cardinale d' Aguirre in noviſſima conciliorum Hiſpaniae editione. Denique conſulendae ſunt nonnullae conſtitutiones in Codice Theodoſiano, inprimis tituli de *fide Catholica*, et de *Haereticis* lib. XVI. *Liturgias*, ſic adpellatas, quae formam ſacrorum deſcribunt omitto, quia nullae tam antiquae ſuperſunt, utique non purae. Venditantur quidem, praeter Jacobi Apoſtoli, ſine dubio ſpuriam, *Baſilii* et *Chryſoſtomi*; ſed de earum genuinitate non conſtat. Cum tamen de forma illa teſtari queant, ex quo nactae ſunt uſum, ſec. V. et ſeq., publicum, quominus earum aliqua ratio habeatur, non intercedo, modo cum Renaudot. in Diſſ. praemiſſa *collectioni* Liturg. Orient. cap. 6 et 7. non ſtatuatur, formam illam ex Apoſtolica fluxiſſe traditione, cujus nullum eſt fundamentum, licet poſtea ita crediderint Veteres, ad liturgias ſuas commendandas. Accedit, voces et phraſes ſequentium temporum fuiſſe ſaepe inſertas. Tandem uſui eſſe poſſunt Epiſtolae *Canonicae* Epiſcoporum, ex. gr. Baſilii M. 188, 189 et 217., et Canones apud Beveregium Pandect. Can. vol. II.

PARTES ECCLESIAE ESSENTIALES.

FIDES ET DOCTRINA.

§. XLIV. De libris, sic dictis, Canonicis, V. et N. T., principio fidei, quid senserit Ecclesia, antequam distinctius exponam, varias eorum recensiones et citationes, in scriptis Veterum obvias, quae mihi sub manus venerunt, proferam, postquam notabilem canonem 60*mum* Synodi Laodicenae, ad Lycum fluvium, paulo post medium seculi, celebratae, a Phrygiae Pacatianae, et vicinarum Provinciarum, Episcopis, praemisero. Recensentur eo in canone *βίβλια κανονιζόμενα*, *biblia canonica*, et eo nomine in Ecclesia praelegenda Vet. et Nov. Test., prorsus eadem, quae agnoscunt Protestantes, seu eorum habet Canon; excepto *Baruchi* libro, qui Jeremiae adnectitur. Quod testimonium eo majoris est faciendum, quod, licet synodus fuerit *Particularis*, canones ejus fuerint in Codicem Ecclesiae universalis relati, et lege Justiniani confirmati, adeo ut pro universalis Ecclesiae fide testari ab eo tempore possint. In scriptis Athanasii, ut inde incipiam, missa *synopsi* Script. S., quae, ut supra observavi in ejus vita, nomen ejus falso praefert, nec hujus est seculi, occurrit canon V. et N. T. in *Epistola* ejus *festali*, in Pandectis canonum Beveregii t. II. etiam obvia, prorsus idem, ac cujus modo memini, excepto libro *Estheris*, qui libris adnumeratur, *legendis* quidem, sed non proprie canonicis. Distinguit enim ibi Athanasius libros in *κανονιζομένους* *canonicos*, *ἀναγινωσκομένους* *legi solitos*, et *ἀποκρύφους* *apocryphos*, occultandos, et nullius frugis. Concinit Cyrillus Hierosolym. cat. IV, excepta Apocalypsi Johannis, quae non memoratur, sive quod cum reliquis libris Ecclesiasticis non fuerit in Ecclesia Hierosol. praelecta, sive quod pro libro apocrypho habuerit Cyrillus, uti ex catech. XV. num. 13, 16. colligi posse videtur. Inter carmina Gregorii Nazianz. carm. 33. *de veris et germanis script. libris* iidem

quoque recensentur, et eadem fere distinctione, excepta Apocalypsi. Exstat quoque canon V. T. apud Epiphan. et *contra* haereses, et in libro de *ponderibus et mensuris*, qualem habent Hebraei; ubi, quod singulare est, nec per omnia verum, tradit, libros canonicos fuisse in arca custoditos, libros Sapientiae et Syracid. esse *στιχηρεις metricos*, denique canonicis, ex mente Hebraeorum, accenset epistolas *Jeremiae et Baruchi*, dubiis vero Sirachi et Salomonis Sapientiae libros, reliquos apocryphis. Vid. adversus Haeres. p. 14. Ipse tamen haeres. 26. Spiritui S. tribuit dictum, ex libro *Sapientiae* Salomonis sumtum. Amphilochius quoque libros canonicos recenset eodem, quo Greg. Nazianz., modo, excepto, quod Epist. *ad Hebraeos* dicat plerisque haberi *notham*, ut et epistolas Catholicas, praeter *tres*, Apocalypsin vero adserat *longe plurimis adulterinam dici*. Tres quoque tantum epistolae Catholicae receptae fuerunt in Ecclesia Antiochena, teste *Synopsi Script.*, Chrysostomo adscripti. Vid. monitum Montfalcon. Oper. Chrys. t. VI. p. 308. ubi Apocalypsin ibi, et ab eo, non fuisse admissam, observat. Nulla quoque in *Protheoria* istius Synops. fit *Jobi* mentio, nisi pro Ρυθ sit leg. Ιώβ, sed Jesu Sirachi, ac Ecclesiast., meminit ibid. p. 316. Sapientiae liber sitne Salomonis, nec ne, dubitanter loquitur, p. 375. Adtribuit quoque Chrysost. adv. Jud. et Gent. tom. I. p. 559. Baruchi librum Jeremiae, et tanquam Script. citat. Ceterum 2 et 3 Joh. diserte pronunciantur apocryphae a Pseudo-Chrys. Oper. t. VI. p. 430.

§. XLV. Hilarius, ut ad Latinos veniam, *Prologo* in Psalm. p. 429., recensito canone Hebraeo, ad exemplum Origenis, addit, a quibusdam adjungi *Tobiam et Judith*, et ita 24 esse V. T. libros, cum alias tantum sint 22, citat quoque ipse subinde alios libros V. T. tanquam genuinos. Ambrosius quoque ad Ps. CXVIII. Oper. t. I. edit. Benedict., qua utor, recenset tantum Heptateuchum, Regnorum libros, Prophetarum scripta, Ezram, Psalmos, Proverbia,

Eccle-

Ecclesiasten, et Cantica canticorum; sed considerat tanquam spolia a Judaeis ablata, adeoque libros eorum tantum memorat. Ipse vero Tobiae librum adpellat *propheticum* in Hexaemer. l. VI. p. 119, ut et ib. p. 132. Baruchi. Salomonem quoque declarat de *Paradiso* p. 147. autorem esse libri *sapientiae*, ita et de *Josepho* p. 487. *Ecclesiastis* locum citat nomine Salomonis ad Ps. XXXVI. p. 807. *Baruchum* nomine Jeremiae, de *Cain et Abel* l. I. p. 199., ipsum *Esrae* quartum pro divino habet. Vid. Benedictin. admonitio, praemissa libro ejus de *bono mortis* tom. I.

§. XLVI. Ex quibus, quae adtuli, ut concludam, colligi posse videtur, canonem V. et N. T., qualem nunc habemus, licet universali Ecclesiae a concilio Laodiceno praescriptum, nondum usu universaliter fuisse receptum, cum V. T. fuerint nonnulli Ecclesiastici, in canone Hebraeo non exstantes, pro divinis a multis habiti, et de N. T. nonnullis adhuc dubitatum sit. Quod vero ad Syros Orientales adtinet, licet epistolae Catholicae controversae 2 Pet., 2 et 3. Joh., Judae, cum Apocalypsi, fuerint Ephraemo Syro notae et probatae, ut ex ejus scriptis nunc patet, publice tamen per Ecclesias Syriacas non fuerunt admissae, cum nec in catalogo Ebed-jesu, nec in antiqua versione Syriaca, occurrant, nec inde lectiones in Ecclesia fuerint desumtae. Vid. Asseman. Bibl. Orient. t. III. p. I. Accedit, Cosmam Indico-pleust. in Topograph. l. VII. diserte adfirmare, apud Syros, suo adhuc tempore, non nisi *tres* Epistolas Catholicas, Jacobi, 1 Pet., et 1 Joh., esse, *et alias penes eos ne quidem haberi.*

§. XLVII. Licet de Scripturae S. autoritate multa exstent praeclara apud Scriptores hujus sec. testimonia, quae studiose collegerunt Chemnitius, Chamierus, Hottingerus, in adpend. Diss. VIII. de usu Patrum, Usserius de *Scripturis vernaculis*, alii, unde patet, illos Scripturae S. primas in omnibus detulisse; ita ut nihil, ei contrarium, voluerint admissum, ex ea etiam dogmata contenderint esse demonstranda,

eo loco ita infert, *hinc manifestum est, non omnia per Epistolas tradidisse Apostolos, sed multa etiam ἀγράφως non scripta; eadem vero fide digna sunt et haec et illa: quare et Ecclesiae traditionem fide dignam censemus. Traditio est, nihil plus quaere.* Alibi hom. I. in *Acta* Apost. in principio adserit, Apostolos, non in *scribendo* tantum posuisse studii, *et multas non scriptas traditiones dedisse.* Preces pro defunctis quoque *hom.* 3*tia* ad Philipp. pro traditione Apostolica habuit. Epiphanius haeres. 55. p. 471. fidei terminos et fundamenta recenset *Apostolorum traditiones, Scripturas sacras, et doctrinae successiones;* et haer. 61. p. 511. praeter Script. S. commendat *traditionem, quia non omnia ex Scripturis peti possunt, idcirco,* inquit, *alia scripto, alia traditione, reliquerunt Apostoli.* Vid. etiam haer. 75. et Gregor. Nyssen. contra Eunomium Orat. III. p. 554. Plurium describere testimonia, nihil adtinet.

§. L. Fides Catholica de *Trinitate,* quod dogma pro praecipuo, et Christianae religionis characteristico, habuit Basil. M. contra Eunom. l. II: p. 258., quae antea apud Ecclesiae doctores varie fuerat exposita, ut ex superioribus patet, hoc tandem sec., post varias opiniones, indeque ortas disputationes, fixa est reddita, et firma. Qualis autem fuerit, paulo adcuratius, ex comparatione cum rejectis opinionibus, in lucem proferre conabor, per sequentes theses. Contra Sabellianos, quae *prima* est thesis, personalem Patris, Filii, et Spiritus S. subsistentiam, et distinctionem, fortiter admodum adseruerunt, tres ὑποστάσεις *hypostases,* voce illa pro individuo, et substantia, sumta, statuentes, et non tres τρόπους ὑπάρξεως *modos subsistentiae:* ἐν ὑποκείμενον *unum subjectum* negarunt esse Patrem, Filium et Spiritum S., illudque pro haeretico habuerunt; Basil. M. hom. XVI. Oper. t. II. Quod ut clarius ob oculos ponerent, similitudines Angelorum et hominum, eandem specie essentiam participantium, non fuerunt veriti adhibere, ut Athanas. Epist. ad Serapionem, Basil. M. Ep. 38. ad Gregor. Nyss., et 214. ad

ad Terentium Comitem. Gregor. Nyss. contra Eunom. l. II. et Ep. ad Ablavium Oper. t. III. *de eo non oportere, tres Deos dici*, Gregor. Nazianz. Orat. 35 et 37. ubi Trinitatem cum tribus *solibus* comparat ἐχομένοις ἀλλήλων, in quibus una est lucis commixtio. Eodem denique tendunt, quae Hilarius *de Synodis* habet. Differentia est inter Patrem et Filium, qualis inter αἴτιον et αἰτιατὸν *causam, et id quod ex causa est*, secundum Basil. M. contra Eunom. l. I. qui l. II. ex eadem hominum essentia, omnibus communi, illustrat, ipsum quoque ὁμοούσιον *homoousion* de eadem hominum unitate usurpat. Vid. etiam l. III. et epist. 38. ad Gregorium fratrem, qui, quod singulare est, ep. 52 ad *Canonicos* dicit, ὁμοούσια *consubstantialia* esse, non, quae fratrum inter se rationem habent, sed, cum causa et causatum ejusdem sunt naturae. Quibus ne quis abutatur, observari velim, inde nihil aliud derivandum esse, similitudinibus non nimis pressis, ac tres in Divinitate singulares esse, et individuas, substantias, non vero specificam, proprie sic dictam, tantum esse unionem, qualis est inter Angelos et homines. Ipsi enim illi ubique inculcarunt, *similitudines humanas divinis non satisfacere exemplis*, ut hac in re inquit Hilarius *de Trinitate* l. I et VII., quod et reliqui ipsis in locis, quae citavi, admonent. Athanas. quoque in *expositione fidei* diserte, *neque credimus tres hypostases* μεμερισμένας καθ' ἑαυτὰς *divisas mutuo, ut corporaliter in hominibus fit.* Vid. etiam Basil. M. contra Eunom. l. II. Gregor. Nazianz. Or. 37. Nyssenus ep. ad Ablavium, Ambros. de fide l. IV. c. 2. et V: 2. ac saepe alibi. Quod idem denique ex aliis comparationibus, quibus usi sunt, ut solis et radiorum, fontis et fluviorum, aquae ac vaporum, de quibus mox, ulterius confirmatur: quas etiam si nimium urgeas, in Sabellianismum incides. Accedit, arctiorem longe unionem Veteres statuisse, ac quae hominum est; ut mox demonstrabo.

§. LI. Has tres substantias, quae *secunda* thesis est, non tantum contra Arianos *similem* habere dixerunt essentiam,

sed et contra Semi-arianos *aequalem* et *eandem*, adeoque Filium non tantum non esse κτίσμα *creatum quid*, et ἑτεροούσιον *alterius essentiae*, ut Ariani, sed nec solum, ut Semi-ariani, ὁμοιούσιον *similis* essentiae, verum ὁμοούσιον *ejusdem essentiae* cum Patre. Ariani censebant, essentiam Filii esse *specie* diversam a Patris, Semi-ariani specie quidem similem, at non eandem, quin identitate, graduque, distinctam, Orthodoxi vero *specie* et *gradu* aequalem, et indivisam. Quo 1. ducunt phrases οὐσίας *essentiae*, ex qua Filius est natus, μίας οὐσίας *unius essentiae*, μίας θεότητος *unius Deitatis*; quae ubique recurrunt. Quare, non contenti dixisse, Filium esse *Deum ex Deo*, quod Ariani etiam admittere poterant, vocem οὐσίας in specie urserunt, ut *essentiae* communio in divinis personis exprimeretur. Vid. Athanas. de Syn. Nic. decretis. Usum tamen hac voce non est symbolum Hierosolym., quod apud Cyrill. Hieros. exstat, qui etiam simpliciter dixit cat. VI. Filium esse *Deitatis paternae participem*. Admiserunt quoque Catholici *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, sed Ariani *Deum ex Deo*, *et lumen ex lumine*, ut creatum tenerent. Greg. Naz. Or. 56., qui etiam de unitate essentiae egregie testatur orat. 49., ut et Basil. M. homil. XV. de *fide* Oper. t. II. Idem 2. evincit vox ὁμοούσιος *homoousios*, quam Symbolo Nicaeno propterea tantopere urserunt inserendam esse. De cujus vocis origine et fatis cum ad sec. III. jam egerim, et postea in historia Syn. Nic. recurret occasio dicendi, notasse nunc suffecerit, ea secundum Catholicos exprimi *ejusdem* essentiae communionem, opposite ad ἑτερούσιον *alienam*, et ὁμοιούσιον *similem*, essentiam. Vid. Athanas. de Synodis Arimin. et Seleuciens., ubi discrimen vocum *homoousii et homoiousii* distincte tradit, in eo situm, quod *haec* ad qualitates, *illa* ad essentiam eandem respiciat. Hinc aequivalent Athanasio ὁμοούσιος, ὁμοειδής, ὁμογενής, et ὁμοφυής. Similia ex aliis adferre possem, si necesse foret. Nec tamen negari potest, hanc ipsam vocem latiore subinde sensu referri ad specificam unionem. Utique praeter Basil. M., de quo modo

do dixi, Chryfoft. hom. VII. contra Anomaeos Oper. t. I. ad Parentum et liberorum eandem adplicat effentiam, et hom. III. de poenitentia Oper. t. II. virum dicit τῆς ὁμοιούσης ὕλης cum foemina, oppofite ad ἀλλότριαν ὕλην *alienam materiam*; Eva quoque ὁμοούσιος adpellatur Adamo, Hom. XVI. ad Gen. Oper. t. IV. Denique 3. idem fimilitudines comprobant lucis et effulgefcentiae folis et radiorum, fontis et fluvii, ac fimiles aliae, quae Veteribus fuerunt ufitatiffimae, et quibus ejufdem effentiae communionem illuftrarunt. Athanaf. locis, modo citatis, addo de *fententia Dionyfii* contra Arianos p. 565 et 568. et de Syn. Nic. p. 274. Utitur quoque Bafil. M. hom. XVI. Oper. t. II., ubi rationem dat τοῦ λόγου *verbi*, fimilitudine *animae* ac *fermonis*. Quae tamen fimilitudines non magis premendae funt, ac fuperiores trium hominum, cum alias fibi turpiter contradixiffent, et a Sabellianifmo prope abeffent. Vid. Hilarius de Trinitate l. IX. §. 37. ubi vitium earum demonftrat, fi ftrictius fumantur, nec non Gregor. Nazianz. Orat. XIII. ubi fimilitudinem adhibet νοῦ, λόγου et πνεύματος; qui omnium fimilitudinum defectum egregie in lucem profert Orat. XXXVII, et XLV. ubi aliis quoqve utitur, ut, Trinitatem non infringere fimplicitatem naturae divinae, demonftret. Addatur Ephraem Syr. ferm. XL. contra *fcrutatores*, Oper. Syr. t. III. p. 71. Quoufque autem extendendae fint, *tertia* noftra thefis docebit.

§. LII. Habet vero illa, *unitatem* trium perfonarum a Catholicis fuiffe agnitam, quae *fpecificam*, ut adpellatur, longe quidem fuperat, nec tamen, ab altera parte, aut fubftantiali diftinctioni, aut fupereminentiae Patris, adverfatur, ac in Sabellianifmum vergit. Quare Filium quoque dixerunt ὁμοούσιον, fed non μονοούσιον aut ταυτοούσιον, ne fingularis numero effentia ita exprimeretur, ut fubftantiarum Trinitas in obfcurum eat, uti diferte admonet Athanaf. de *expofitione fidei*, in init., et Epiphan. haer. 76. §. 7. Tres Perfonas fuas fingulas habere effentias, adeoque non effe

unam numero singularem in Tribus essentiam, eos statuisse, itaque manifestum est; ne ea, quae supra de distinctione personali protuli, repetam. Quo pertinet, ut id obiter observem, quod Alexander Alexandrinus in epist. ad Alexandrum CPolitanum apud Theodoret. H. E. I: 4. Dicit, τὰς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις μίαν οὐκ εἶναι *duas hypostasi naturas non esse unam.* Vox φύσις *naturam* signat, et non, quod nonnullis placet, *personam*, cum ab hypostasi distinguatur, et modo eo sensu accipiatur, ubi Filius omnimodam Patris similitudinem ἐκ φύσεως *e natura* expressam habere traditur. Sensus ergo est, duas esse naturas distinctas hypostatice existentes, vel Filium aeque ac Patrem habere subsistentiam personalem, cum essentia sibi propria. Specificam proprie dictam unitatem, qualis est trium Angelorum aut hominum, non statuerunt, quod ipsis tribuit Curcellaeus Diss. I. ad calcem Instit. Theol., ac Jakson. diss. praev. ad Novatian., ne alios memorem, sed ea longe arctiorem, et alius naturae, quae scilicet eandem involvit cogitationem et operationem, eundemque intelligendi et volendi modum, cum mutuarum actionum interna conscientia. Hanc eorum genuinam fuisse sententiam, cum ea, quae Petavius dogm. Theol. de Trinit. l. IV. c. 13. pro numerica unitate adtulit, tum alia, demonstrant, quae strictim recensebo.

§. LIII. 1. Gregor. Naz., ut ejus verba praemittam, hoc diserte adfirmat Orat. XXXVII. p. 602. ubi, cum unitatem non esse ejus naturae, cujus est trium ex. gr. hominum, dixisset, talem esse adserit, qua eodem modo sese erga se invicem habent personae, quo erga se, scilicet τῷ ταὐτῷ τῆς οὐσίας καὶ δυνάμεως. 2. Specifica arctiorem fuisse creditam unitatem, et illud clare arguit, quod similitudines hominum esse minus perfectas statuerint, aliisque usi sint, quae ad numericam proxime accedunt: ut modo demonstravi. Addo Ambros. de *fide* l. I. c. 11. 3. Veteres μίαν *unam*, et non tantum κοινὴν *communem*, καὶ ὁμοίαν et *similem*, agnoverunt,

noverunt, nec unam, idealiter tantum intellectam, sed vere, Greg. Naz. l. c. trium hominum unitatem diserte removet, quod in ea τὸ ἓν unum sit tantum ἐπινοίᾳ θεωρητὸν cogitatione conspicuum. Basil. M. contra Eunom. l. I. p. 230. τὴν αὐτὴν οὐσίαν eandem essentiam expresse memorat, et l. II. p. 265. κοινὴν οὐσίαν communem essentiam, et distinctos tantum characteres, illius autem respectu ταὐτότητα identitatem, et horum respectu ἑτερότητα diversitatem statuit. 4. Imo, quod fortius stringit, eadem divinitas in Filio statuitur, quae in Patre est, eadem scientia, voluntas, et operatio, et quidem indivisa. Loca jam produxit Petavius: quare sufficeerit citasse Athanas. in exposit. fidei in principio, ubi negat, se intelligere tres hypostases μεμερισμένας καθ' ἑαυτάς, ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπὶ λέγεσθαι ἐπ' ἀνθρώπων, sed velati ex fonte fluvius exortus non dividitur. Hilarius de Trin. l. VI. Patri et Filio dat unam, et indifferentem, et indissimilem naturam. Sic et Ambros. de fide l. I. c. 11. nec substantiae (h. e. essentiae) nec voluntatis, inquit, ulla est differentia. Conf. quoque Basil. M. de Spiritu S. c. 18. et Epist. 43. Negant quoque saepe Patrem, Filium, et Spiritum S. esse μεμερισμένους, κεχωρισμένους, διαιρέτους. Athan. Orat. V. in Arianos, et de sententia Dionysii, et alii, saepe: quorum aliquos jam excitavit, praeter Petav., Suicerus in Thes. Eccles. verb. διαιρέω.

§. LIV. 5. Huc etiam facit, quod μονάδα seu ἑνάδα cum τριάδι conjunxerunt, μονάδα ἐν τριάδι ac τριάδα ἐν μονάδι agnoscentes, μονάδα essentiae et τριάδα hypostasi tribuentes, cum in tribus hominibus aeque essentiae ac subsistentiae respectu usurpari queant: nec μόνας sese ad specificam unitatem apte adcommodari patiatur. Loca Veterum ubique sunt obvia, et a Petavio quoque producta. Imo Basilius M. contra Sabell. hom. XXIII. Filium dicit ταὐτότητα identitatem habere ad Patrem, adeo ut eandem, et non aliam, habeat uterque divinitatem. Ita et contra Eunom. l. I. et Ep. 8 Oper. t. III. Nec tamen est singularitas, sed unitas, cum illa Gr. sit μόνωσις, et ad personas spectet, Ambros.

 de

de fide l. V. c. 2., qui tamen *de Spiritu S.* lib. II. fin. admittit ταυτότητα, quia *naturae* est *identitas*. Agnoscit quoque Gregor. Nazianz. Orat. XII et XXXVII. ταυτότητα, qui Orat. XIII. tres tamen dicit esse ὁμοίους τὴν φύσιν *natura similes*, seu aequales, Orat. XX. vero adserit, tria esse ἰδιότησι *proprietatibus*, unum θεότητι *Deitate*, et hypostases tradit esse ἰδιότητας Orat. XXI. Vid. et Orat. XXIX. ubi inter Sabellianos et Arianos dicit, medios incedere Catholicos, συναίρεσιν et διαίρεσιν vitantes. Sed propter Sabellianos vitarunt ταυτοούσιον ac μονοούσιον Athanasius, Epiphan., et alii; ut quoque observavit Cudworth Syst. Intell. p. 722. qui etiam p. 724. etc. Catholicos arctiorem admisisse unitatem, quam est unius *specie* essentiae, trium, ex. gr. hominum, demonstrat, non tamen singularitatem essentiae, seu unam *numero*.

§. LV. 6. Eodem tendunt, quae de necessaria et naturali relatione Filii et Spiritus S. ad Patrem, et operationum unione, habent, valde emphatica, sed salva distinctione personali, supra exposita, commode explicanda. Filium ex. gr. dixerunt esse *sermonem*, vel rationem, *sapientiam* et *potentiam* Patris, et aeque esse Filium Patri necessarium, ac rationem etc. menti, Athan. Orat. contra Arian. III et IV. variis in locis. Unam quoque eandemque actionem tribus esse communem statuerunt. Athanas. epist. ad Serapionem, ut uno defungar testimonio, p. 292. Trinitas, dicit, est ὁμοία δὲ ἑαυτῇ, καὶ ἀδιαίρετος τῇ φύσει, καὶ μία ταύτης ἡ ἐνέργεια: Pater enim *per Verbum in Spiritu S. omnia facit.* 7. Denique, ne plura congeram, dixerunt, tres personas se invicem *immeare*, unam esse in alia: quam rem adpellarunt περιχώρησιν *circuminsessionem*, unius in alia inhabitationem, ἐνύπαρξιν, σύγκρασιν, ἕνωσιν, μονὴν ἐν ἀλλήλοις, ut est lux in splendore, et splendor in sole. Loca in re nota adferre supersedeo.

§. LVI. Denique, quae *quarta* est thesis, unitatem et aequalitatem personarum statuerunt, salva superioritate, et eminentia

eminentia Patris, qua reliquis est origine, et autoritate, superior, et Filius ac Spiritus ei sunt subordinati; ita ut non tria sint principia, sed unum, scilicet Pater, ex quo sunt omnia, Filius quoque, et Spiritus S. Dionysius Romanus apud Athanas. Op. t. I. p. 275. Trinitatem dicit εἰς ἕνα ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν θεὸν τῶν ὅλων παντοκράτορα, συγκεφαλαιοῦσθαι καὶ συνάγεσθαι *in unum, tanquam verticem quendam, Deum universorum omnipotentem, consummari et congregari.* Patrem adpellare solet Hilarius *Deum ex quo sunt omnia, et Filium Deum, per quem omnia, ut Pater dixisse, Filius fecisse*, censeatur, unitatem Dei ita conservat, ut *unum* teneatur *principium, ex quo:* Vid. de Trinit. l. III. §. 12. IV: 15.—IX: 51.— et de Synodis p. 493. *non exaequamus*, inquit, vel *conformamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus*; salva tamen essentiae unitate, ut diserte addit: vid. et p. 496. Quare Patrem dixerunt ἀρχὴν *principium Filii*, ut et αἴτιον, καὶ αἰτίαν, Latini *causam et autorem*, πηγὴν *fontem*, ῥίζαν *radicem*, et Filium αἰτιατὸν *causatum*, quin *creatum*, licet indocte, tamen sine inpietate, dici posse concedit Hilarius de Trinit. l. XII. §. 50. Patrem eximie *Deum* Basil. M. hom. XXIII. et contra Eunom. l. II. Gregor. Naz. Orat. XXIX. et alibi, et ejus rei respectu Filium *Patre minorem*, in quo fundamentum unitatis quoque posuerunt. Filium non esse πρώτην καὶ ἀγέννητον οὐσίαν *primam et ingenitam essentiam* dicit Chrysost. contra Anomoeos Op. t. I. p. 507. Vid. et Gregor. Nazianz. Orat. XXIII, XXIX, XXXV., ubi objectiones contra generationem fuse solvit. Pater quoque Const. Ap. VIII: 12. vocatur ἄναρχος γνῶσις, ἀΐδιος ὅρασις —— ἀδίδακτος σοφία, ὁ πρῶτος τῇ φύσει, ὁ νόμος (rectius, cum Fabro, μόνος) τῷ εἶναι καὶ κρείττων παντὸς ἀριθμοῦ: quae epitetha ex Patribus fuse illustravit P. Faber, Praeses Tholosan. c. 10, 11. *Hoc* Pater est Filio *major*, quod causa sit et principium, Chrys. hom. 75. ad Joh. Oper. t. VIII. Greg. Naz. Orat. XXXVI et XL. Basilius M. contra Eunom. l. I. caetera aequales sunt, nec Pater est lux gloria

 et

et ſplendore praeſtans, Filius lux obſcurior et veluti obfuſcata. Id. Ibid. l. II. §. 27. Conf. etiam P. Faber l. c., ubi multa profert ſimilia, quae Patri eo reſpectu tribuunt ſuperioritatem. Alexander Epiſcopus Alexandrinus in epiſt. ad Alexandrum CPolitanum, apud Theodoret. H. I: 4. p. 12. dicit, Filii divinitatem eſſe omnibus creatis ſuperiorem, ſimul hominibus et Angelis inperceptibilem, ſed Patrem eſſe ſolum *ἀγέννητον ingenitum:* ſimul eo reſpectu ſuperiorem, uti p. 16. dicit τῇ ὑποστάσει *ſubſiſtentia* non *unam* eſſe *φύσιν naturam*, ſed *duas*, et Filium eſſe *imaginem Patris*, *nulla alia in re diſcrepantem, et primitivi exemplaris expreſſam figuram.* Vid. et p. 18., ubi Filius hoc loco dicitur Patre inferior, quod *non ſit ingenitus*, *cum Pater nullam habeat cauſam.* Vid. etiam de Patris, hac parte, ſuperioritate Cyrillus Hieroſolym. cat. X. §. 9. et XI. §. 14, 18., et ad ea loca Toutteus. Quo etiam facit, quod Chriſtum dixerint *Sacerdotem aeternum*, tanquam Dei miniſtrum, medium unionis Dei et creaturarum. Vid. Toutteus diſſ. III. ad Cyrill. Hieroſ. c. 3. Plura qui ad theſin demonſtrandam velit, adeat Bullum defens fid. Nic. ſect. IV. et Cave diſſ. III. ſubjuncta hiſt. Litter.

§. LVII. De reliquis dogmatibus, ut de ſatisfactione, et gratia juſtificante ac ſanctificante, quid ſenſerint, ad ſec. ſequens, quo hac de re diſputatum eſt, exponam, de ſacramentis vero et poenitentia, poſtea ſuo loco. Paucis hic contentus ero teſtimoniis de ſatisfactione Chriſti, et gratia juſtificante. Athanaſii locis, ab Ill. Grotio de *ſatisfactione* Chriſti adductis, addo plane egregia ex *orationibus* ejus contra Arianos, ſecundum edit. Colon. 1686. pag. 347, 367, 377, 425, 426, 432, 435, 438, 440, 446, 485. Baſilius M. hom. in Pſ. XLVIII., quem locum obiter, nec plene, citavit Grotius, ſatisfactionem ad omnes extendit homines Op. t. I. p. 180 et 181. edit. noviſſ., et conſiderat quoque tanquam redemtionis pretium, quod ſingulare eſt, reſpectu ſervitutis ſub Satana, ſic et, quod addo, in

in *homilia de gratiarum actione*, Oper. tom. II. p. 27. *abalienati a Deo per peccatum, rursus revocati sumus in ejus familiaritatem per unigeniti sanguinem, ex ignominiosa servitute exemti:* vid. etiam *regul. fusius tractat.* ibid. p. 339. egregie: *infirmitates nostras suscepit, portavit languores, pro nobis vulneratus est, ut nos livore ejus sanaremur: item redemit nos a maledicto, factus pro nobis maledictum, mortemque tulit ignominiosissimam, ut nos ad gloriosam vitam reduceret.* Denique epist. 261. Sozopolitanis Oper. tom. III. p. 402. *Redemtor*, ὁ λυτρωτὴς, *pro nobis pretium morti dedisse* dicitur, *et per se ipsum mortis regnum resecuisse, peccatum in carne interemisse, et nos vivificasse, qui in Adamo mortui eramus* etc. Christus Cyrillo Hierosolym. catech. III. de baptismo dicitur τὰς οἰκουμενικὰς ἁμαρτίας *totius mundi peccata moriendo suscepisse;* et catech. X. *orbem per pretiosum suum sanguinem a peccatis mundasse:* rursus cat. XIII. *omnes sub peccato detentos solvisse, et universum hominum redemisse mundum, praeterea semet ipsum* ἀντίλυτρον *redemtionis pretium tradens iram adversus homines dissolvisse.* Denique ibid. §. 33. *Adsumsit Christus peccata in corpore super lignum, ut nos, per mortem ejus peccatis mortui, justitiae viveremus — — — non tanta erat peccantium iniquitas, quanta ejus, qui nostri gratia moriebatur, justitia* etc. Denique Gregorius Nazianzen. eandem veritatem clare expressit Orat. XLII. Unde nonnulla excerpsit Grotius; quare illud tantum observo, ipsum ad totum genus humanum tendere passiones Christi Orat. XXV. p. 436. sed et partes passionis Orat. apolog. I. mirum in modum, quem postea, etiam temporibus recentioribus, non fuerunt veriti imitari nonnulli Theologi, transtulisse et adplicuisse, ut ex. gr. p. 12. *idcirco lignum adversus lignum, et manus adversus manum, illae, inquam, fortiter extensae adversus incontinenter extensam, illae clavis confixae, atque constrictae, adversus remissam et solutam, illae orbis fines conjungentes adversus eam, quae Adamum Paradiso expulit. Idcirco sublimitas adversus lapsum, et fel adversus gustum, et spinea corona adver-*

sus pravum imperium, et mors adversus mortem, et tenebrae propter lumen, et sepultura adversus illam in terram reversionem, et resurrectio propter resurrectionem etc. Missis reliquis Patribus, quos excitavit Grotius, ex Chrysostomo, ab ipso omisso, unum alterumve subjungam testimonium. In Homilia de adscensione *Domini* Oper. tom. II. p. 450. edit. noviss. Christus se mediatorem praestitisse dicitur, quatenus *poenam, quae nobis a Patre infligenda erat, in se suscepit, suppliciumque coelitus inmissum, ac contumelias in hoc mundo, sustinuit*: in serm. de *Eleemosyna* oper. t. III. p. 252. *Hac die*, Dominica, soluta mors est, *exstincta maledictio, deletum peccatum, portae inferi confractae, vinctus Diabolus, diuturnum bellum diremtum, reconciliati Deo homines, nostrumque genus ad pristinam, imo potius ad longe majorem, nobilitatem rediit.* Denique, ne plura congeram, homil. XII. in Matth. Oper. t. VII. p. 161. Christus dicitur *peccatorum omnium per orbem redemtor, et totius humani generis peccata tollere posse.* Ex Hieronymo duo protulit loca Grotius, addo unum alterumve. Epist. X. ad Furiam *de virginitate servanda* dicit, Christum eam, Deo renatam, *grandi pretio redemisse sanguine suo;* rursus in corona spinea eum *mundi delicta portasse.* Sic et ep. LXXXIII. ad Oceanum, *mentitur Johannis baptista et digito Christum, et voce, demonstrans, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in seculo, quorum Christus peccata non tulerit.* Optatus quoque Milevitanus lib. III. c. 11. *constat sanguine Christi omnes redemtos.* Sic a Paula et Eustochio ad Marcellam ep. inter Hieronimianas XVII. *secundus Adam et sanguis Christi de cruce stillans primi Adam, et jacentis protoplasti* (qui in monte Calvariae ibidem dicitur sepultus,) *peccata diluisse* traditur. Attamen fructum et effectum mortis Christi ad solos credentes restrinxerunt: uti Chrysostomus hom. XVII. ad ep. ad Hebr. et ad Gal. cap. II. — — *hujus beneficii participes sunt illi soli, qui in ipsum crediderunt.*

§. LVIII. Gratiae Dei in remunerando quoque praebuerunt testimonium, et merita propria rejecerunt. Sic, ut

uno

uno alterove teſtimonio id confirmem. Baſilius M. hom. in Pſ. CXIV. §. 5. *ſiquidem iis, qui legitime in hac vita decertarunt, ſempiterna requies propoſita eſt, quae non ex operum debito tribuitur, ſed ex Dei munificentiſſimi gratia, iis, qui in ipſo ſpem habuere, datur* Egregie homil. in martyrem Julittam oper. tom. II. p. 40. et Homil. XX. de *humilitate:* §. 3.. *haec eſt enim perfecta ac integra in Deo gloriatio, cum quis non ob ſuam juſtitiam extollitur, ſed novit, deſtitui ſe quidem vera juſtitia, verum ſola in Chriſtum fide juſtificatum eſſe:* rurſus ibid. §. 6. fin. gloria aeterna adpellatur *perfectum ac verum Chriſti donum.* Propriam quoque juſtitiam ex lege, ſive ex traditionibus humanis, ſive ex propriis conſiliis, rejicit autor libri de *baptiſmo* §. 19. in adpendice Operum Baſilii tom. II. Chryſoſtomus quoque contra propria merita eleganter diſputat de *compunctione* Op. tom. I. p. 150. Vid. et in *laude* Maximi etc. Op. t. III. p. 220. nec non hom. XXI. in Geneſ. Op. t. IV. p. 186. et hom. XXXI. ibid. p. 306. Omnia qualiacunque merita etiam reprehendit, et refutat, Ambroſius ſerm. XX. ad Pſ. CXVIII. p. 572., ut et ad Pſ. XLIV. oper. t. I. p. 892 et 906. rurſus ad Pſ. CXVIII. p. 1166. in primis p. 1233.

§. LIX. De gratia ſanctificante uno alterove defungar teſtimonio. Baſilius M. in Jeſ. V: 16. diſerte adſerit omnem virtutem perfici διὰ τῆς συνεργίας *cooperatione Dei*, qua nos ſuffulcit et firmat, ſed ſalvo libero arbitrio, *virtus enim omnis*, alibi inquit *homilia in* Pſ. XXXIII. §. 5., τῷ ἐκουσίῳ χαρακτηρίζεται *libero arbitrio ſeu charactere inſignitur:* qui et alibi, ut in Jeſ. XIV. §. 27. dixit, *unumquemque* ἐκ τῆς αὐτοῦ προαιρέσεως *ſua ipſius voluntate ſemen eſſe poſſe, aut ſanctum, aut contrarium:* ſic et in *homilia, quod Deus non ſit autor malorum*, §. 5. *peccatum pendet a noſtra voluntate, cum penes nos ſit aut abſtinere a malo, aut mala perpetrare.* Quo etiam facit, quod in *conſtitut. Monaſticis* c. 15. adſerat, *ad perfectum virtutis cumulum*, conjuncta eſſe oporteat, *et huma-*

num ſtudium, et coeleſte auxilium, per fidem deſuper accerſitum. Gregorius quoque Nazianz. Orat. XII. declarat, *Deum, a quo omne bonum initium habet, et ad finem perducitur, precibus accedere debere opitulatorem.* Vid. in primis Orat. XXXI. p. 504, De gratia regenerante et ſanctificante teſtatur Cyrillus Hieroſol. variis in locis, uti ex. gr. *procatecheſ.* §. 1 et 17. catecheſ. I. §. 4. V: §. 10. etc. ubi vid. Toutte, ſed qui libertatem arbitrii agnoſcit in converſione cat. VII. §. 13., inter alia dicens, *non ex neceſſitate, ſed ex libero animi arbitrio, ad ſanctam adoptionem provehimur;* rurſus, *ex fide filii Dei fieri, libero plane arbitrio, digni habiti ſunt.* De libertate hominis in peccando fortiter etiam loquitur cat. II. variis in locis cat. IV. §. 18, 19. VII: 13. et alibi. Chryſoſtomi doctrinam fuſius exponere poſſem; ſed, ne prolixior ſim, in pauca contraham, et loca digito tantum monſtrabo. Gratiam praevenientem agnoſcit hom. IV. de *laudibus Pauli* p. 491, ſed vocationem negat irreſiſtibilem p. 492. Alibi tamen homil. I. de verbis Pauli *habentes eundem Spiritum* etc. §. 5. dicit, *initio credere, et parere vocanti, noſtrae eſt bonae mentis, at poſtquam jacta fuerant fidei fundamenta, jam opus eſt auxilio Spiritus, ut in nobis perpetuo maneat, et inconcuſſa, et inexpugnabilis, neque enim Deus, neque Spiritus, gratia noſtrum praevenit propoſitum. Sed tametſi vocet exſpectat tamen, ut ſponte et propria voluntate accedamus, ac tunc demum — — ſuum exhibet auxilium.* Vid. etiam §. 9. nec non hom. X. in Joh. §. 2. et clare hom. XVIII. §. 3. Sic et hom. XII. in epiſt. ad Hebr. §. 3. Gratiam vero adjuvantem ſtatuit eſſe neceſſariam, hom. in *paralyticum* etc. §. 2. et hom. V. in ep. ad Epheſ. §. 4. hom. XXV. in Geneſ. §. 7. et LVIII. §. LX. §. 4. ſic et *expoſit.* in Pſalm. V: 5. homil. II. de *prophetiarum obſcuritate* §. 5. homil. XL. in Matth. §. 1. hom. I. in ep. ad Philipp. §. 3. Gratiam porro vult et proprium ſtudium conjungi, uti de *virginitate* §. 36. et ad *illuminandos* catech. II init.; ita *contra ignaviam* §. 2. *juſtorum virtus — — in*

gratia

gratia Spiritus robur totum habet. Luculenter *de laudibus Pauli* homil. VI. §. 1. *si, quantum est in nobis, velimus virium exprimere, maximum etiam Deus adjungit auxilium*, etc. Denique gratiam statuit non irresistibilem, sed cui quis se sponte tradit, nec necessario, sed libera voluntate: uti, praeter alia loca citata, egregie de *mutatione nominum*, hom. III. §. 6. Alibi tamen extraordinariam gratiam, et copiosam, a Johanne baptista nomine *baptismi in Spiritus S. igne* promissam, adpellat hom. XI. ad Matth. ἀνάθεκτον χάριτος *efficaciam gratiae*, quae instar ignis retineri nequit, sed se copiose et fervide exserit: vid. etiam hom. VIII. in ep. ad Rom.

CULTUS.

§. LX. *Objectum* cultus religiosi, ut inde pro more incipiam, adhuc solus fuit Deus, omni alia persona aut re exclusa, ita ut sanctos et Angelos quidem voluerint τιμᾶν, γεραίρειν *honorare*, sed τὸ λατρεύειν, δουλεύειν, σέβεσθαι, καὶ προσκυνεῖν *religiose colere ac adorare* solum Deum Triunum: a sanctorum, martyrum, et Angelorum quoque cultu religioso alieni. Divinitatem enim Filii et Spiritus S. ex eo probare solent, nec tale quid ulli creaturae competere clare adserunt, uti ex. gr. Athanas. contra Arianos l. III et IV. Chrys. hom. V et VII. in Ep. ad Col. Oper. t. XI. ubi Angelorum et hominum cultum ipsis verbis rejicit, eosque non debere θεραπεύεσθαι adserit, sed solum Deum. Sic et Greg. Naz. Orat. III. *de pace*, Ambros. de Spiritu S. l. III. c. 12. Basilius M. Orat. moral. XV. quae est de *principatu et potestate.* Hinc etiam Spiritus S. divinitatem probat Ambros. l. c. l. II: 6. et III: 12. nec non Gregor. Naz. Orat. XXXVII. de Spiritu S., ne alios citem. Exstat quoque luculentum contra Angelorum cultum, et pro solius Dei cultu ac adoratione, testimonium apud Euseb. demonstr. Ev. l. III. p. 107. Praeterea eos, qui Angelos vel Sanctos instituerunt colere, damnarunt, uti Angelicos et Collyridianos.

nos. De *Angelicis*, ab Angelorum cultu nomen nactis, illud ex Epiphan. haer. LX. Theodoret. ad Ep. ad Col. II. et August. de haeres. manifestum est. Observat quoque Theodoret., hoc adhuc tempore in Pisidia et Phrygia in usu fuisse Angelorum cultum, et Michaelis oratoria, eique consuetudini oppositum fuisse canonem Laodicenum, addit, quod omnem qualemcunque Angelorum invocationem destruit, eos homines putasse, sibi Deum non licere adire, nisi mediantibus Angelis. Vid. etiam ibid. ad c. III: 17. et Chrysostomus hom. V et VII. ad Ep. ad Coloss. Canon vero iste cusus est in concilio Laodiceno, post medium sec., estque 35*tus*, quo diserte vetatur ἀγγέλους ὀνομάζειν *angelos nominare*, scilicet religiose, et idololatriae nomine notatur: ubi vid. Bevereg. in Pandect. canon. De *Collyridianis*, sic dictis, quod τὴν κολλυρίδα *collyridem* panem offerant Mariae, eamque ritu religioso colant, vid. Epiphan. haer. LXXIX. ubi Mariam, Angelos, aut sanctos nullo religioso cultu, aut adoratione, esse honorandos, clarissimis verbis inculcat, et demonstrat.

§. LXI. Haec licet vera sint, religiosae tamen cujusdam venerationis personarum, ac rerum, praeter Deum, haud levia deprehenduntur vestigia, adeo ut superstitionis hujus fundamenta jam fuerint jacta, seu insignis ad eam gradus factus. Quae paulo fusius et adcuratius proferam; 1. Multum huc contulerunt Patrum orationes panegyricae, in commemorationibus martyrum haberi solitae, quibus, stili simplicitate susque deque habita, flosculis declamatoriis, et rhetoricis apostrophis ad sanctos, de efficacissimis eorum apud Deum intercessionibus, insigni quoque virtute, et potestate in credentibus juvandis, et noxiis depellendis, locuti, puritatem unius Dei cultus multum obscurarunt, aliisque ansam dederunt, sanctos et martyres, tanquam potentissimos intercessores et advocatos compellandi, et invocandi. Quid? quod populum illis in orationibus ad id jam invitarint, et excitarint: uti ex. gr. Basil. M. de 40 martyribus, et

Chrysost.

Chryfoft. hom. de Berenice, etc. Op. t. II. *non folum hoc die festo, sed aliis etiam diebus* προσεδρεύωμεν αὐταῖς, παρακαλῶμεν αὐτὰς, ἀξιῶμεν γενέσθαι προστάτιδας ἡμῶν *adeamus eas, advocemus eas, petamus, ut patronae nostrae fiant.* Sic et hom. de S. Meletio. Vid. quoque Greg. Nazianz. Orat. XVIII. in Cyprianum, ubi, praeter alia, huc fpectantia, illud plane fingulare occurrit, fimul novum, et Rhetoricis figuris fuperius, quod virginem Juftinam, quam a Cypriano ad inpudicitiam fuiffe invitatam, ex fabula, fed tanquam vera hiftoria, narrat, introducat Mariam, matrem Domini, ἱκετεύουσαν βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ *supplicantem, ut opem ferat virgini periclitanti* Idem Greg. Or. XI. in Gorgoniam dicit, *si quid nostra cures, et sentias, accipe nostram orationem* etc. Orat. XX. optat, ut Bafilii *intercessionibus res melius ferantur.* Sic et de Athanafio Orat. XXI. fin. et XXIV., ubi eum in coelo dicit opem ferre credentibus. De Theodoro martyre, tanquam *satellite* Dei, et donorum diftributore, invocato, vid. Greg. Nyff. Orat. in eum, Op. t. III. Maria et martyres diferte quidem invocantur in hom. de Legislatore Oper. t. VI. Chryfoft., fed non effe ejus, verum alterius fec. V., conftat. Vid. quoque Chryft. hom. in Babylam martyrem, in Juventium et Maximum, nec non hom. I. ad ep. I. ad Theff. et alibi; nec ufquam invocationis mentionem fecit. Denique de Petro, cui claves regni coelorum cenfebantur datae, de Apoftolis, martyribus et fanctis invocatis, vid. Ephraem Syr. Oper. Syr. vol. III. p. 486. ubi etiam p. 604. exftat fermo ejus in laudes Mariae, quae vix modum tenent: plenus eft fermo fuperftitione; nec tamen aliquid habet a genio Ephraemi alienum: occurrit quidem in eo *Deiparae* titulus, fed qui eo tempore non fuit inufitatus, ut ex Athanafio et aliis conftat. Precationes tamen ejus ad Mariam Oper. Gr. t. III. ipfi adfcribendae non funt, cum feculum fpirent craffum, tenebricofum, et ad infaniam ufque fuperftitiofum. Ita ipfi illi, qui, cum doctores agunt, fanctorum invocationem dam-

nant, instituunt Oratores; pessimo exemplo. Nec meliores, si non pejores adhuc, fuerunt poetae Christiani, qui, nimia et damnanda usi licentia, gentiles poetas imitati, ad sanctos sese eodem modo contulerunt, quo hi ad fictitios Deos, Deasque. Unus hic abunde sufficit Prudentius in libro *Peristephanon* dicto, seu *de coronis*, quo hymni in honorem variorum martyrum continentur: ubi quae dixi ubique recurrunt.

§. LXII. 2. Sanctorum invocationem peperit, vel confirmavit, et haud parum promovit, opinio de efficace eorum apud Deum intercessione; quae sicut antea jam incepit, ita hoc sec. maxime invaluit, uti ex autoribus modo citatis facile elucescit. Basilius ex. gr. hom. XX. de 40 *martyribus*, eos *communes* vocat *custodes humani generis*, *orationis adjutores*, *legatos potentissimos*: secundum Greg. Naz. Orat. VI. τῆς ἀναβάσεως ἢ θεώσεως μεσιτεύοντι *divinitatis consequendae mediatores* sunt, ubi tamen honorem martyrum in eorum imitatione ponit. *Possunt*, verba sunt Ambrosii de *Viduis* Op. t. II., *pro peccatis nostris rogare*, *qui proprio sanguine*, *si qua habuerunt peccata*, *lavarunt*, *isti enim sunt Dei martyres*, *nostri praesules*, *speculatores vitae actuumque nostrorum*. Sic et S. Felicem, ut illud anticipem, adpellat *potentis gratiae sanctum apud Christum* Paulinus ep. XII. ad Severum. Alia, ubique obvia, mitto testimonia, addidisse contentus ex Prudentio *de coronis* hymn. III. in fin.

Indignus agnosco et scio,
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos Martyres,
Potest medellam consequi.

Qui hymnum V. in Cyprianum his versibus claudit:

Denique doctor humi est, idem quoque Martyr in superis.
Instruit hic homines, illinc pia dona dat Patronus.

Quid?

Quid? quod, incredibili licentia, vim eorum precibus tribuat damnandos in ultimo judicio servandi, hymn. XIV. fin. 3. Huc quoque ritus Deo supplicandi collineat ad tumulos martyrum, eorumque reliquias, in Templis adservatas, quorum meritis et intercessionibus precum exauditiones adtribuebant. Sanctos fuisse directe invocatos, nondum usquam legimus, sed Deum, coram eorum tumulis et reliquiis adorabant, unde ad eorum preces facilis fuit factus transitus. *Qui aliqua premitur angustia*, inquit Basil. M. hom. in 40 martyr. *ad quadraginta confugit*, *qui laetatur ad eos decurrit*, scilicet eorum thecas, ut Deum ibi oret. Vid. etiam Chrys. in *Juventium* et Maximum, nec non hom. XXVI. ad 2 ep. ad Cor. Prudentius *Peri-Stephan.* hymn. IV. v. 175. ita canit.

Mira loci pietas, et promta precantibus ara,
Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis aeger
Oravi quotiens stratus, opem merui.
et vers. 181. *Hippolyto me scio debere Deus, cui Christus*
Posse dedit, quod quis postulat annuere.

Qualia ubique recurrunt in illis hymnis.

§. LXIII. 3. Ipsa ossa, cineres, et reliquiae Sanctorum in nimio jam fuerunt honore, a superstitione non liberando, iisque multa fuerunt adscripta miracula. Missa homilia Basil. M ad Ps. CXV., quippe spuria, ipsis Benedictinis fatentibus, hom. in Julittam martyrem Op. t. III. inquit, ejus corpus, in pulcherrimo Templi vestibulo tumulatum, *sanctificare et locum, et qui ad locum accedunt.* Gregor. Naz. Orat. III. contra Julianum, eum carpens, quod in Martyrum reliquias saeviat, tradit, *illis praeclaros honores et festa esse constituta, ab illis daemonas propelli, morbos curari, illorum esse adparitiones ac praedictiones* etc. Conf. etiam ejus carmen *Jambicum* 18*vum*, et Greg. Nyssen. in *Theodorum*

 marty-

martyrem Op. t. III. Cyrillus quoque Hieroſ. Cat. XIX. Sanctorum corporibus vim poſt mortem adeſſe patrandi miracula, notabili pericopa, aſſerit; quam nollem propterea a nonnullis Proteſtantibus pro intruſa haberi, ſine ullo fundamento. Chryſoſt. quoque hom. VIII. ad *Antiochenos* Martyrum cineres dicit expellere daemonas. Vid. et hom. XXVI. ad 2 Cor. modo citata. Singularia plane ſunt, et mirabilia, Ephraemi Syr. verba Oper. Syr. t. II. p. 350. *Martyrum ſepulchra arces ſunt inexpugnabiles, tutumque contra publicae libertatis invaſores perfugium. — — — Quem vero invaſit inmundus moechiae ſpiritus, et foeda inflammat libidine, oleum adhibeat illorum lumini inſtillatum, cutique illinat, abactus ille diſcedet. Medici ſunt ſanitatis curatores — — — fidem exigunt, ut ſibi quaecunque poſtulaveris largiantur — — Deus in eorum reliquiis habitat, inde habent, ut omnes operentur virtutes.* Alibi porro in concionibus funebribus Op. t. III. p. 250. ait, *fons vitae facta ſunt juſtorum quieſcentium corpora. Mirabiles cujuslibet morbi curationes, ubique gentium ab iis factas, praedicat orbis univerſus.* Vid. etiam ejus ſermo in *glorioſos Martyres* Op. Gr. t. II. p. 308. Erat praeterea, ut id obiter hac occaſione obſervem, ſuper martyrum reliquiis duplex foramen, *unum* exterius in pavimento, ſub quo conditae erant, *alterum* in ipſa capſa: per quae foramina, ſibi reſpondentia, demittere ſolebant velamina, ut reliquias contingerent, quod benedictionis loco habebant; Vid. Valeſius ad Sozom. H. l. IX. c. 2. Ambroſ. ep. 22. narrat, ſe divino inſtinctu inveniſſe Gervaſii et Protaſii Martyrum, ante ignotorum, corpora, idque magni beneficii loco reputare, et miracula per illorum reliquias eſſe facta. Similiter de aliis loquitur alibi, ut et Chryſoſt. Orat. de Ignatio martyre Op. t. V. et pluribus in locis aliis. Timothei, Lucae, et Andreae reliquiae, cura Conſtantii Auguſti, CPolin magna cum *veneratione*, *cultu*, *Pſalmiſque et hymnis* ſunt tranſlatae a. 356., ut ex faſtis Idacianis, et Chron. Alexandr. conſtat. Cujus rei etiam meminit Hieronymus

contra

contra Vigilantium: ubi loco *Constantinus* legi debet *Constantius*. Ceterum, quod notatu dignum est, hoc primum fuit reliquiarum in Templis conditarum exemplum; quo antiquius Hieronymus contra Vigilantium non novit. Notabilis in primis historia est Babylae Martyris, sub Juliano, quam Chrys. hom. IV. de Paulo adtingit, et adcuratius narrat Orat. in Babylam, quamque repetierunt historici Eccles. Theodoret. III: 10. Socrat. III: 18. et Ruffin. I: 35. Cum Julianus vetus Apollinis oraculum apud Daphnem, in suburbio Antiochiae, consuleret, responsum tulit, *prohiberi se a mortuis quicquam loqui:* quare Babylae ossa jussit effodi, et efferri. Quod cum a Christianis summa veneratione fieret, mox fulmine conflagravit Templum cum simulacro. Similia ubique prostant apud Prudent. in libro de *coronis*. Sed, ne prolixior sim, omnia, quae ad honorandos martyres pertinent, simul complectar. Memoriae eorum non tantum solenniter sunt celebratae, sed supra reliquias altaria et basilicae sunt exstructae, magnifico sumtu, Theodoret. Serm. VIII., et in eorum memoriam, inde *Memoriae* dictae, vel, si non essent superstructae, ornabantur reliquiis: praeterea festi dies et conventus instituti, sacra, sed Deo, ibi in eorum honorem facta, miracula etiam multa, ut credebatur, patrata, in eorum etiam honorem celebrabant missam, luminaria accendebant, convivia habebant etc. vid. Orat. Constantini M. *ad sanctorum coetum*, apud Eus. c. 12. Denique donaria et ἀναθήματα iis offerebant, in signum grati animi, pro sanationibus, et liberationibus, inpetratis. Theodoret. Serm. VIII. Imo inter martyrum eorumque cultum apud Christianos, et Heroum apud Gentiles, jam hoc et seq. seculo conspicua est convenientia; quam egregie exposuit Beausobre hist. Manich. lib. IX: c. 4.

§. LXIV. Denique sanctis majorem, quam antea, fuisse delatum cultum, et illud evincit, quod sanctorum adoratio ipsis nunc palam, nunquam antea, fuerit a Gentilibus, haereticis, et aliis, inputata. Fecerunt id Julianus apud

Cyrill. contra eum l. VI. Eunapius Sophista, qui Sophistarum aliquot conscripsit vitas, in vita Aedesii sub fin., Gentiles apud Theodoret. contra Graecos Serm. 8*vo*, Faustus Manichaeus apud August. de Civitate Dei, l. XX. *Sacrificia eorum*, gentilium, inquit, et objicit Catholicis, *vertitis in agapas*, *idola in martyres*, *quos votis similibus colitis*, *defunctorum umbras vino placatis*, *et dapibus*. Arianos, Eunomianos, et alios, eandem ipsis inussisse notam, testatur Asterius, et Hieron. contra Vigilantium; qui Barcinonensis in Hispania presbyter, in initiis sec. sequentis, superstitionem sui temporis jam vidit, et deploravit, Catholicos adpellans *cinerarios et idololatras*, *qui mortuorum hominum ossa venerarentur:* quare misere vapulavit Hieronymo, contra Vigilantium; de quo postea suo loco. Quid ad has accusationes Catholici? Negant quidem, se martyres pro Diis habere, eos adorare, iis offerre sacrificia, quod soli se Deo facere, in honorem tantum martyrum, testantur: sed se honorare tantum eos declarant, tanquam Dei amicos, et suos apud eum intercessores, quorum supplicationibus ingentia Ecclesiae concedantur bona, adeoque eo solum nomine intercessiones eorum apud Deum petere, sicut et sancti in hac vita faciunt; unde de vera Veterum opinione judicandum est. Hunc autem in modum responderunt autores citati, l. c. in primis Chrysostomus, qui nusquam invocationem angelorum aut martyrum, aut sanctorum defunctorum memoravit. Declaravit etiam locis citatis, non opus esse intercessoribus apud Deum, quem directe adire licet, et Augustin. quoque alibi, ut contra Faustum Manichaeum lib. XXI. et serm. c. I. *de Diversis*, qui eam martyrum venerationem multis defendunt, sed ita, ut eam a religioso aliquo cultu parum abesse, haud obscure significent. Notabilia sunt Theodoreti l. cit. verba ad Gentiles, *suos mortuos Dominus Deus in Templa pro Diis vestris induxit*, *et his honorem illorum adtribuit*, nec non verba Cyrilli Alex. l. cit., *sanctos martyres neque Deos esse dicimus*, neque προσ-

κυνεῖν

κυνεῖν εἰθίσμεθα, λατρευτικῶς δηλονότι, ἀλλὰ σχετικῶς καὶ τιμητικῶς *adorare ſolemus, ſcilicet religioſe, ſed relative, et honorandi ergo.* Ex quibus colligere licet, eos quidem in animo non habuiſſe creaturarum cultum religioſum directe introducere, attamen permiſiſſe eum, et ſubtili illa diſtinctione ſe expediviſſe: ſed, hac diſtinctione miſſa, plebem jam cito in veram martyrum adorationem ſe praecipitaſſe, conſtat. Vid. Auguſt. ſerm. l. I. *de diverſis*, et de *moribus Eccleſiae Catholicae* c. 34. ubi dicit, *novi, multos eſſe ſepulcrorum et picturarum adoratores.* Euſebius quoque, ſive verus, ſive fictus, de *Reſurr.* et *Adſcenſ. Chriſti* apud Sirmond. Op. t. I. p. 44. adſerit, *infirmiores fideles tamen honorare, ſi quid a martyribus ſumſerint.*

§. LXV. Quod vero in ſpecie ad *crucis* venerationem adtinet, ante omnia notari meretur, ipſam Domini noſtri crucem, quae hucuſque occulta et ignota jacuerat, narrari ab Helena, matre Conſt. M., fuiſſe divino inſtinctu repertam, et dein in magno jam circa fin. ſec. fuiſſe honore. De quo ex Cyrilli Hieroſ. ep. ad Conſtantium, et Ambroſio in Orat. funebri Theodoſii, conſtat. Quam hiſtoriolam Scriptores ſeq. ſec. Theodoret. I: 18. Socrat. I: 13. Sozom. II: 1. et Ruffin. I: 8. unanimiter adfirmant, licet in circumſtantiis, qua ratione crux Chriſti fuerit ab aliis diſtincta, diſcrepent, dum alii ex titulo, ut Ambroſ. l. c. alii ex miraculo, ſive ſanatae mulieris, ſive mortui reſuſcitati, ut Paulin. Nol. ep. XI. ad Severum, ubi totam hiſtoriam prolixe, ſimul ſuperſtitioſe, narrat, eam fuiſſe cognitam, adſerunt. Sed, licet fieri potuerit, ut Helena ſtudio crucis inpulſa, ſicut Conſtantinus ipſe ſepulchri inveniendi, eam ſtudioſe quaerens, crucem aliquam repererit, quam pro ea Chriſti habuit, Euſebii tamen ſilentium facit, ut eam fabulam, ex rumore natam, haberi malim. De quo vid. Salmaſius ep. ad Bartholinum de *cruce*, et Dallaeus de *cultus objecto* etc. l. IV. Profertur quidem locus Euſ. vit. Conſt. III: 30. ubi Conſtantinus in ep. ad *Macarium* tradit,

a se esse inventum sacratissimae passionis Christi monumentum; Sed non crucem, verum sepulchrum, intelligi, clarissimum est ex nexu. Exstat quidem in Chronico Latino, non Graeco, sed spurius est locus, ac insertus, uti a Scaligero jam est observatum. Produxit quoque Montfalcon in diss. praelimin ad Eus. *comm. ad Psalmos* nonnulla ex eo, quae crucis inventae ac miraculorum mentionem facere videntur, sed contrarium evicit Cl. Wesseling ad Itiner. Hierosol. p. 593., in quo itinerario nullum quoque ejus rei occurrit indicium.

§. LXVI. Cum tamen fabula illa fidem jam hoc seculo invenerit, de superstitione hac parte invalescente clare testatur, maxime cum adeo magnifice de ea loquatur Ambros. l. c., crucem illam adpellans *vexillum salutis*, *remedium inmortalitatis*, *Romani Inperii praesidium*, addens quoque, Helenam *crucem in capite Regum elevasse*, *ut crux Christi in Regibus adoretur*. Nihil quidem de crucis adoratione sese hoc tempore offert, Ambros. etiam diserte dicit, *non lignum adoramus*, *quod gentilium est*, *sed eum*, *qui in eo pependit*. Narrat quidem Paulinus l. cit. Episcopum Hierosolymae, crucem illam, tempore paschatis quotannis, *adorandam* populo proponere, sed mox per *venerationem* explicat: multa tamen nimiae et superstitiosae prostant venerationis indicia; quale illud non tantum est, cujus modo memini ex Paulino, sed et quod creditum fuerit, de isto crucis ligno particulas continuo abrasas fuisse sine ulla ejus diminutione, et quod quaquaversum missae sint, ita ut universus orbis iis fuerit repletus. Vid. Cyrill. cat. IV, X et XIII. et Chrysost. hom. contra Judaeos, et Gentes, Oper. t. I. ubi, frustum illius ligni jam de collo solitos fuisse Christianos gerere suspensum, refert. Addit Cyrill. Alex. comm. ad Zachar. p. 812 ex fama, cum cruce inventos esse *clavos*, ei adhuc insertos, eorumque unum freno equi sui inseruisse Inperatorem, et eo a nonnullis referri prophetiam Zach. XIV. fin. observat, nec inprobat. Vid. quoque Theodoret.

ret. H. I: 18. qui etiam refert, alterum clavum diademati Inperatoris fuisse adligatum. Conf. etiam Gregor. Turonens. *de gloria* Martyrum l. I. c. 6. ubi miraculosam freni virtutem etiam enarrat. Ceterum post crucem inventam ipsa urbs aucta traditur, ac ornata, et nomen *Hierosolymae* recepisse. Vid. notae ad Cyrill. Hierosl. cat. XIII.

§. LXVII. Ad cruces vero pingendas, et expictas venerandas, cum multum contulerit *visio* crucis, Constantino facta, et ejus exemplum; ejus distincta praemittenda est notitia. Visum esse Constantino, et toti exercitui, *crucis tropaeum in coelo, ex luce conflatum, soli superpositum, horis diei meridianis, sole ad Occasum vergente*, narrat Euseb. vit. Const. I: 28. ex ipsius ore, qui veritatem visi juramento confirmavit, addit, scripturam fuisse adjunctam, τυτῳ νίκα *hoc vince*. Deinde nocte sequente, Christum tradit ipsi dormienti adparuisse cum hoc ipso signo, quod in coelis viderat, eique jussisse, ut, ad ejus similitudinem militari signo fabricato, eo in praeliis uteretur; quod et factum esse refert Eus.; cum Constant. M. confici jussit *labarum*, seu vexillum militare, et hastam cum antenna in summitate ad formam crucis, cum duabus initialibus nominis χριςυ litteris, sive, ut Lactant. mort. persec. cap. 44. habet, *transversa* χ *littera, summo capite circumflexo.* Visionem diurnam quidem expresse non nominavit Lact. l. c., et in genere refert, *commonitum esse eum in quiete, ut coeleste signum Dei notaret in scutis*; sed in phrasi, *caelestis signi Dei*, ad visionem diurnam videtur intendisse digitum. Hoc de viso quid habendum sit, fueritne figmentum Constantini politicum, an vere, aut imaginarie, ipsi contigerit, non convenit inter Doctos, nec certi quid forte definiri per omnia potest. Equidem nec commento Constantini tribuerim, cum ipse juramento illud confirmaverit, nec pro divinitus monstrato habuerim, cum nimis singulare sit visum, a Prophetarum et Apostolorum visis nimis alienum, et dominantem ac superstiosam de *cruce* opinionem redoleat, sed

vel, cum Fabricio Bibl. Gr. l. V. c. 3. ad naturalia retulerim phoenomena, seu halones solares et parhelios, circa quos cruces aliquando, licet rarius, visuntur, ex luce solis mirifice refracta, vel potius ab imaginatione nocturna in somnio, diurna in nubibus, repetierim, sive haec sive illa praecesserit: cui rectius convenit, quod dictum τυτῳ νίκα *hoc vince* narretur additum, quod ex halonibus exponi nequit. Accedit, solum Constantinum citari ab Eusebio testem, non ergo ab exercitu fuisse visum, Lactantium quoque *somnii* tantum expresse meminisse, non diurni visi, nisi indirecte. Ruffinus quoque in versione Euf. H. E. IX: 19. Constantinum per *soporem vidisse* tradit, ut et Sozomen. H. E. I: 3. Fieri tamen potuit, ut in nubibus aliquid singulare fuerit per imaginationem observatum, ut haud raro contingit. Utique, *in ore omnium Galliarum fuisse, exercitus visos, qui se divinitus missos prae se ferebant*, refert Nazarius in Panegyr. Constantini c. 14. Ceterum, num simile quid Constantio quoque contigerit, nec ne, definire non ausim. Exstat quidem Epistola Cyrilli Hierosol. ad eum, inter opera Cyrilli, ubi illud memoratur; sed haud uno nomine mihi videtur suspecta, et a Cyrillo aliena; cum, quod nimis sit adulatoria, et Constantii pietas supra eam Patris extollatur, tum quod nihil de viso Constantini, tunc utique satis vulgato, memoretur, tum denique stilus haud parum ab eo Cyrilli distet. Signum Salvatoris, seu columnam, effigiem crucis ferentem, in Oriente adparuisse, dum Gallus, Caesar a Constantio dictus, Antiochiam intravit, refert Socrates H. II: 28. praeter alios.

§. LXVIII. Quicquid de viso Constantini sit, illud certum est, eum multis modis crucis signum veneratum esse, in primis cum victorias suas huic signo retulerit acceptas. Refert utique Euf. vit. Const. II: 6. ipsum crucis tropaeum semper secum habuisse in exercitu, ejusque virtute superiorem discessisse, quare τὸ νικητικὸν ἀλεξιφαρμάκον *efficacissimum ad victoriam amuletum* adpellavit, Sozom. quoque H. I:

H. I: 8. summam ejus venerationem crucis inde diserte repetit. Exstant vero plurima ejus indicia, studiose a Gretsero de cruce l. II. collecta, et inde repetenda. Post Maxentii mortem ingressus Romam, *sublimem hastam in crucis formam sub manum statuae suae in celeberrimo loco poni* jussit, addita, in crucis laudem, inscriptione. Eus. l. c. et hist. E. IX: 9. militum etiam clypeis illud signum insculpi curavit. Eus vit. Const. IV: 21. Praeterea statuam Constantinopoli pro Curia erexit, cum *cruce super caput, et dracone sub pedibus*, ib. III. 3. Denique quoties in nummis imago ejus insculperetur, aut in tabulis pingeretur, semper crucis signum adfuisse, testatur Sozom. H. I: 8. Tandem venerationi crucis et illud adscribendum est, quod supplicium crucis e medio sustulerit. Sozom. I: 8.

§. LXIX. Crucis itaque imagines et picturas hoc seculo admodum factas esse frequentes, mirum non est. *Quippe Reges*, verba sunt Chrys. hom. contra Judaeos et Gentes, *deposito diademate crucem suscipiunt, in purpureis vestibus crux inest, in diadematibus crux, in orationibus crux, in armis crux, in sacra mensa crux, et ubique terrarum, crux sole ipso clarius refulget* etc. Quod vero de cruce in *mensa sacra* habet, num de *materiali*, an *transitorio*, ut dicitur, signo, intelligendum sit, dubium est. Utique de crucis imagine in Templis nihil apud Euseb. legitur, licet de ea in aliis locis collocata frequenter. Primus, qui ejus meminit, est Sozom. H. II: 3. ubi de Probiano aliquo loquitur, cui *crucis signum, in altari Ecclesiae dedicatum, in viso* erat oblatum: cruces ibi intelligi argenteas ostendit Vales. ad eum locum, sed num Const. M. tempore vixerit Probianus, non addit Sozom., nec aliunde constat. Tempore Justiniani crucem auream ab ipso *Sergio* martyri donatam, et in Ecclesia Sergiopoli collocatam esse, refert Evagrius H. E. IV: 28. Crucis vero signum *transitorium*, seu manu pingi solitum, super. sec. jam frequentissimum, ut suo loco observavi, hoc non minore studio, quin majore, continuasse,

facile praesumitur, et est testatissimum, quare testimonia produxisse nihil adtinet. *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem*, inquit de Monacho Hieronym. ep. XXII. ad *Eustochium*. De Paula moribunda etiam tradit, ep. XXVII. ad *Eustochium*, *eam digitum ad os tenentem crucis signum pinxisse in labiis*. De crucis hoc signo, ejusque elogiis, suffecerit provocasse ad Ephraem. Syr., et Chrysost., qui in eo etiam, quod notandum, conveniunt, quod manu non tantum, sed et mente ac cogitatione, signandum esse cruce velint. Ita Ephr. Syr. Op. Gr. t. III. p. 221. et Chrysost. ad Ps. CIX. et hom. V. in Matth. ubi hanc crucis virtutem paulo sanius exponit, quatenus est crucis Christi symbolum, et ante in animo sumendum. Qua ratione crux fronti inscripta ipsi dicitur *insuperabilis tutela*, hom. XII. ad 1 ad Cor., et hom. XII. ad ep. ad Philipp., ubi signum crucis conjunctum vult cum Spirituali crucifixione. Cyrill. Hieros. quoque cat. IV et XIII. de efficacia ejus differit, sed relate ad crucifixum ipsum; ubi ante disputationem cum infideli jubetur illud signum fieri, eo cum effectu, ut obmutescat adversarius. Mitto hyperbolicas et Rhetoricas Veterum locutiones, de dignitate et efficacia signi crucis in juvandis et sanandis credentibus, ac fugandis daemonibus, quae ubique recurrunt, a Petavio quoque de Incarnat. l. XV. et in primis Gretsero de cruce, studiose congestae. Daemoniacorum crucis sigillo signatorum et sanatorum per Antonium jam meminit, in ejus vita, Athanasius §. 80. Hilarion eremita, maris fluctus sedasse *tria crucis signa pingendo in sabulo*, traditur ab Hieronymo in ejus vita. Vid. Prudent. Cathemer. hymno VI. in fin.

§. LXX. Ex dictis haud obscure patescit, crucis signum non amplius pro Christianae professionis nota fuisse habitum, sed et ad multa commoda efficax, non quidem per se, sed gratia Dei, ad ejus praesentiam sese exserente, creditum: de quo variae narratiunculae de miraculosis ejus effectis,

effectis, a Veteribus adſumtae, quoque teſtantur; uti apud autores citatos videre eſt. Capiatur exemplum ex Epiphan. haer. Ebionit. in Joſephi Comitis hiſtoria; ne alia in re nota memorem. Fuit itaque in magno honore, et veneratione, quidem, ſed adorationis nondum objectum. Prudent. quidem de Inperatore in apotheoſi v. 516. dicit,

Vexillumque crucis ſummus dominator adorat.

Sed licentia poetica uſus; in carmine, Lactantio adſcripto, de *paſſione Domini*, ſtatua Chriſti crucifixi fingitur Chriſtianos adloqui, et genua flectere, ac crucem *adorare* jubentur, ſed non eſſe Lactantii, verum autoris recentioris, manifeſtum eſt, de quo vid. Heuman in Poecile t. III. Paulinus Nol. epiſt XI. ad Severum uſus quoque eo verbo eſt, ſed mox per *venerationem* exponit: nec ab eo abſtinuit Aſterius Aemaſenus Epiſc. Sec. V. Orat. de S. Euphemia, dicens, Chriſtianis in more eſſe προσκυνεῖν τε και ἐπιγράφεσθαι *adorare et inſcribi crucis ſignum*, quod invaleſcentis ſuperſtitionis eſt indicium. Paula Hieroſolymis *proſtrata ante crucem*, *quaſi pendentem Dominum cerneret*, *adorabat*, teſte Hieronymo ep. XXVII. ad *Euſtochiam* virginem. Chryſoſt. vero homilia *de adoratione crucis* ſpuria eſt. Ipſe dixit nos *crucifixum* adorare hom. LIV. in Matth. Julianus autem *ipſis* verbis illud jam objicit Chriſtianis, apud Cyrill. contra Julianum, dicens, *crucis lignum* προσκυνεῖτε *adoratis*, *ejuſque ſigna in fronte formatis*, *et veſtibulis aedium inſculpitis:* ad quod Cyrill. reſpondens, nihil de adoratione habet, tantum crucis imaginem εἰς ἀνάμνησιν *ad recordationem* a Chriſtianis fieri tradit, et defendit, ita ut crucis veneratio eo tantum tendat, ut crucis, ſeu mortis, Chriſti ſit monumentum, et per eam recordationem ad pietatem et virtutem incitemur: ita contra Julian. lib. VI. Ceterum inter honoris et reverentiae erga crucem ſigna referenda conſtitutio Theodoſii et Valentiniani in Cod. Juſtinian., qua vetatur, *ſignum illud*

Salvatoris, vel in solo, vel silice, vel in marmoribus humi positis, insculpere, vel pingere: quod Trullana Synodus can. III. postea sec. VII. sub excommunicationis poena sancivit. Intelligendum illud esse non de quibusvis signis crucis, sed tantum *humi* positis, jam dudum observavit Perronius contra Mornaeum in colloquio cum eo, sub Henrico IV., habito.

§. LXXI. *Imagines* pictas, licet in ipsis aedibus sacris passim nondum toleraverint Doctores, coeperunt tamen minus ab illis abhorrere, Constantino, sicut in signo crucis, ita in Imaginibus praeeunte, dum loca publica et fora variis statuis, idolorum gentilium non tantum, sed et sanctorum, ornavit. Christianos a picturis in Ecclesiis admittendis, metu cultus, adhuc fuisse alieniores, vel solus canon Illiberitani concilii in Hispania 36*tus* his verbis evincit: *placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur.* Qui canon, sicut ad Ex. XX: 5. et Deut. V: 4. respicit, ita ad objecta cultus religiosi restringendus est, quae pingenda noluit. Qua ratione canon, nonnullis obscurior visus, facilem habet intellectum; nec vocum transpositione, aut emendatione, opus habet. Illustre quoque in hanc rem est facinus Epiphanii, ab ipso in Ep. ad Johannem Hierosol. Episcopum, quae latine inter epist. Hieronymi prostat, relatum, quo, cum aliqua in Palaestinae Ecclesia velum vidisset in foribus *tinctum*, apt depictum, habens *imaginem quasi Christi, vel sancti cujusdam*, illud sciderit, utpote Scripturarum autoritati contrarium. Rumor cum esset a Donatistis sparsus, *imaginem* aliquam esse in altari ponendam, et sic sacrificium offerendum, *perculsos fuisse animos*, et unumquemque dixisse, *qui inde gustat* (de eucharistia super tali altare oblata) *de sacro gustat*, refert Optatus Milevitanus lib. III. p. 212. qui addit, rumorem fuisse falsum. Quae Veterum silentio de imaginibus, etiam ubi Ecclesias adcurate describunt, et imagines, si adfuissent, memorare debuissent, ulterius

terius confirmantur. Addi possent Epiphanii et Eusebii testimonia, in Actis Syn. OEcumenici VII*mae* ab Iconoclastis producta; si tanti habenda sint.

§. LXXII. Quae licet vera sint, ipso Petavio de Incarnat. XV: 14. consentiente, Veteres mitius de imaginibus pictis coepisse judicare, fatendum est, eaque ratione viam ad eas introducendas stravisse. Cujus rei primum praebet indicium ipse Euseb. H. E. VII: 18. ubi historiam statuae, a muliere haemorrhaeusa, a Domino sanata, cujus est in Euangeliis mentio, positae, in perpetuum rei monumentum, enarrat. Rei veritatem quidem in medio relinquit, sed, statuam pro ejus casus monumento fuisse a' sui aevi hominibus agnitam, satis non tantum clare indicat, verum nec ipse morem illum damnat, potius excusat, et pro adfectus eorum, qui statuas erigunt, signis habet, attamen Christianis tale quid non esse usitatum significat, cum a Gentilium derivet consuetudine, et Veterum, qui recentes e paganismo venerant, eum fuisse morem adnotet. Addit, se Petri, Pauli, ipsiusque Christi imagines pictas, ad sua tempora conservatas, vidisse. Ruffinus in versione sua subjungit, *insignia Veterum reservari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum vero amoris, indicium est.* Ceterum hanc ipsam statuam, tempore Juliani a paganis confractam, et ludibrio habitam, Christianos, frustis ejus studiose collectis, in diaconico posuisse Ecclesiae narrat Sozom. H. V: 11. et Philostorg. H. VII: 3. qui tamen adjungit, eam non cultus gratia, quod fas non esse inquit, sed ornatus et voluptatis ergo ibi fuisse collocatam. Statuam vero illam Paneadensem, ut illud obiter observem, non fuisse ab illa muliere haemorrhaeusa, sanguinis fluxu laborante, Christo erectam, multis demonstravit Beausobr. in Bibl. German. t. XIII., qui praeterea conjicit, eam fuisse erectam, in honorem, aut Philosophi alicujus Graeci, ex. gr. Apollonii, aut Imperatoris ex. gr. Vespasiani, a Berenice, filia Agrippae, quia foeminae hoc nomen a nonnullis

nullis fuit datum. Idem multis egit Hasaeus in singularibus dissert., sed qui aliam originem et scopum ejus fuisse autumat. Quod tanti non est, ut ei inmorer. Gregor. Nyssenus, ut ad rem, quam ago, redeam, Orat. *de Deitate Filii et Spiritus S.* Op. t. III. inmolationis Isaaci picturam se saepe, non sine magno adfectu, oculis usurpasse adserit. Quid? quod in Orat. de *Theodoro martyre*, ibid. Templi, in ejus honorem constructi, parietes picturis martyrii ejus fuisse ornatos, tradat, addens quoque, *picturam tacentem loqui quasi, et multum prodesse.* Testatur quoque Prudentius in libr. *de coronis*, de Cassiani martyris hymn. XII. et de Hyppoliti hymn. IV. basilica ejus imagine ornata. Sulpit. Severus quoque baptisterium, a se conditum, imaginibus Martini et Paulini Nolani ornavit. Vid. Paulin. ep. XII. ad Severum. Quam cito apud plebem haec superstitio irrepserit, nolentibus etiam praelatis Ecclesiae, ex August. *de moribus* Ecclesiae l. I: c. 34. elucescit, ubi dicit, *novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores.* De quo ad sec. seq. Imagines et statuas Inperatorum, addo, nimio jam cultu et veneratione fuisse publicis in locis erectas, habitasque. Quod de Constantini M. non tantum Philostorg. H. II: 18. licet nimis invidiose, ut Catholicis aegre faceret, narrat, sed et Chrysost. aliique notarunt, ac inprobarunt, uti Greg. Nazianz. Orat. in Julianum. De Chrysostomo etiam illud testatur Socrat. H. VI: 18. et Sozomen. H. VIII: 20. Vid. quoque Gothofr. et Vales. ad Philostorg. et de honore Constantino quasi Deo tributo Ez. Spanhem. ad Julian. p. 67. Dicta qui cum superioribus comparaverit temporibus, quibus primas tenuit Gentilismus, sat notabile reperiet discrimen. Antea enim, propter idola, quasvis sunt detestati imagines, et varie refutarunt, in haereticis quoque tanquam crimen notarunt, quod imagines habuerint et statuas, uti Irenaeus in Gnosticis, et Epiphanius in Carpocratitis. Quae ex superioribus constant. Nullae tamen statuae hoc tempore locum habuerunt, nullae quoque

Dei

Dei aut Trinitatis imagines; uti ipſe agnoſcit et demonſtrat Petavius l. cit.

§. LXXIII. Ad *partes* cultus publici perrecturus, praemitto, eum lingua *vernacula* fuiſſe peractum, ſed certis *formulis* liturgicis jam adſtrictum. *Prius* ex illis, quae Uſſerius de *ſcripturis et ſacris vernaculis*, et ad eum Wartonus, produxerunt, cum ſatis conſtet, brevibus defungar. Veterum non tantum teſtimonia, eorumque continuae ad populum adhortationes, de Scriptura S. legenda, et adtentione in ſacrorum exercitio adhibenda, id demonſtrant, ſed et Scripturae S. tranſlationes in linguas vernaculas, hoc ſec. plures concinnatae, praeterea conſuetudo, qua Laici partem in precibus habebant, ac pſalmodia, et euchariſtiae adminiſtratione, de quo egregius exſtat Chryſoſtomi locus hom. XVIII. ad ep. ad Corinth., denique ordo Interpretum in Eccleſia, aliaque, teſtantur. *Interpretes* autem erant, qui, cum nonnulli linguae vernaculae ignari aderant praeſentes, mox in eorum uſum interpretabantur, et lectiones Script. S. et conciones: quorum meminit Epiphanius in *expoſit. fidei* §. 21. et exemplum exſtat in actis Procopii martyris in Palaeſtina, a Valeſio vulgatis ad Euſeb. *de Martyr.* Palaeſtinae. Aderant enim ſubinde diverſarum linguarum homines in Eccleſia, uti Syriae et Palaeſtinae, ubi alii Graece alii Syriace loquebantur, et Africae, ubi alii Latine, alii Punice.

§. LXXIV. *Formulas* in confeſſionibus fidei, precibus, hymnis, et univerſo ſacramentorum officio, frequente fuiſſe in uſu, imo ad certas formas ſacra adminiſtrata, ex Veterum teſtimoniis, ac concilii Laodiceni canonibus, res eſt teſtatiſſima. Quae omnia magno ſtudio collegit, etiam antiquae liturgiae epitomen ex Chryſoſtomi ſcriptis dedit, Bingham Origin. Eccleſiaſt. lib. XIII. Quod ejus opus, ad religionis ſex primorum ſeculorum notitiam, quantivis eſt pretii, nobis egregium quoque praeſtitit hac parte ſaepe uſum. Quod ſemel hac occaſione monuiſſe ſuffecerit.

Unum vero alterumve, quoad formulas, dedisse observatum contentus ero. *Primum* est, formulas obtinuisse, quibus Orthodoxi et haeretici fuerunt inter se distincti; a quibus sine haeresios nota, vel suspicione, nefas erat Catholicis discedere. Qualis non tantum fuit vox ὁμοούσιος *omoousius*, *consubstantialis*, in confessione Nicaena, de quo postea, sed et solemnis illa doxologia, δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι *gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, qua Psalmi, preces, et homiliae claudi hoc tempore solebant; quae etiam postea ad calcem Psalmorum vulgo cani suevit. Coepit autem, causa Arianorum, inter Catholicos, in Ecclesia Antiochena a Flaviano, cum Leontius Arianus ibi esset Episcopus, secundum Philostorg. H. III: 13. cum Ariani dicerent *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.*, vel *et Filio in Spiritu S.*, vel *in Filio, et in Spiritu S.*, quas formulas ita varie conceperunt in Synodo Antiochena ann. 341. Meminit quoque ejus in illa Ecclesia diversitatis Theodoretus H. II. 24. sed duplicis tantum, vel per καὶ *et*, ut Orthodoxi; vel per διὰ *per* ante Filium, et ἐν *in* ante Spiritum S., nihilque habet de Flaviano autore. Verum ante haec tempora illa non tantum non obtinuit distinctio, sed nec hoc seculo ubique. Eusebius non solum, sed et Basilius M. ea Arianorum adhuc usus est; cui tamen illud vitio fuit versum, ita ut se excusare, et orthodoxum ejus sensum defendere debuerit. Quod libri ejus de *Spiritu S.* est argumentum.

§. LXXV. *Secundum* habet, Veteres, quod pejus est, formulis, in primis precum, insignem virtutem coepisse adscribere, tanquam reliquis precibus sanctioribus et efficacioribus. Constantinus M. militibus precationis formam, teste Euseb. vit. Const. IV: 19. praescripsit, et ipse cum familia certis usus est precationibus, ib. 17. Licinio, cum Maximino pugnaturo, adstitisse noctu narratur, apud Lactant. Mort. Pers. c. 46. Angelus, qui eum, quibus verbis ipse cum exercitu orare debeat, docuit, promissa,

victoria,

victoria, si ea utatur formula. Notabilem sancti alicujus formulam, quae oratione Dominica clauditur, exhibet Chryfost. hom. X. ad Ep. ad Coloss., et Hieronym. ad Tseph. III. esse refert, qui necessariam tantum esse putabant *solennem orationem*, et non sacerdotum merita. *Tertium* denique est, varias fuisse per Ecclesias formulas, et hac parte magnam fuisse discrepantiam, teste Socrate H. V: 22. ita ut aegre duae fuerint inventae, quae in precandi ritu convenerint; de quo etiam agit Sozom. H. VII: 19. Singuli scilicet Episcopi liturgiam in usum Ecclesiarum suarum formandi potestate gaudebant, et, si nova Episcopalis erigeretur, nova cultus forma introduci poterat: uti exemplum est in Majuma apud Sozom. H. II: 3. Sic Basilius M., adhuc presbyter, fecit in Ecclesia Caesareense, adprobante Episcopo, Greg. Nazianz. Orat. XX. in Basilium. Chrysostomus pro Ecclesia CP. aliquam composuit, Neo-caesareensis in Ponto peculiarem habuit liturgiam, referente Basilio Ep. 63. ad Neo-caesar.; Ambrosiana, Romana, et Africanae differebant. Unde inter alia ratio quoque petenda est, quare nulla integra supersit liturgia hujus temporis, quia universales et perpetuae erant nullae, sed particularium tantum Ecclesiarum, quas Episcopi mutare poterant. Exstant quidem aliquae precum formulae, aliaeque liturgiae partes, in Const. Apost. l. VII, VIII. et apud Cyrill. Hierosol. cat. XXIII. et alibi, sed nulla integra. Quae vero nomina Jacobi, Basilii, et Chrysostomi praeferunt, non sunt hujus seculi, ut supra observavi. Forte sec. V. jam exstitisse, inde colligi posset, quod, cum Nestorianis, Eutychianis, aeque ac Catholicis, in usu sint, ante illa schismata videantur factae; de quo vid. Renaudot. in diss. praefixa collectioni liturgiarum Orientis c. 5., nisi quis velit, eas, postquam sub illis nominibus fuerint vulgatae et receptae, ab omnibus illis sectis fuisse adoptatas, quia nihil iis non congruum continebant.

§. LXXVI. Cultus publici diebus sacris partes in Psal-

 modiis,

modiis, Lectionibus, Homiliis, Precibus, et sacramentorum administratione sitae, de quibus mox distincte disseram, cum aliae cujusvis generis hominibus praesentibus fieri solebant, aliae solis fidelibus et communicantibus, reliquis ordine dimissis, hinc distinctio est orta inter missam *Catechumenorum*, *et Fidelium: prior* psalmodias, lectiones, homilias, et speciales preces, pro catechumenis et poenitentibus, continebat, *posterior* vero communes preces, quae coram altari fiebant, et eucharistiam; quare nomine εὐχῶν πιστῶν *precationum fidelium* insignitur can. 19. concilii Laodiceni, quae ibi post preces et dimissionem Catechumenorum dicuntur fundendae. Quae precationes antequam incipiebant, Diaconus clara voce clamabat οἱ ἀκοινώνητοι περιπατήσατε *ite non communicantes*, Chrysost. hom. XXXVIII. de *filio prodigo*, et Const. Apost. VIII: 12. Prioribus autem cultus partibus interesse licebat cujusvis generis hominibus, uti poenitentibus, catechumenis, haereticis, gentilibus, et Judaeis; ut ex variis Chrysostomi locis patet, ut hom. in Ps. XLIV et XLVIII et aliis: sicut multos ab eo fuisse hac ratione conversos tradit Sozom. H. VIII: 2. Nec tamen eadem videtur hac parte fuisse Ecclesiarum consuetudo, cum can. VI*tus* Laodicenus haereticis veniam Ecclesiam ingrediendi neget.

§. LXXVII. Nomina, quibus sive totus cultus, sive haec illave pars, eximie adpellabatur apud Graecos, fuerunt hoc seculo λειτουργία, ἱερουργία *Liturgia et Hierurgia*, eucharistiae administratio in specie ἱερα λειτουργία *sacra liturgia;* unde descriptiones ordinis in sacris observandi adpellatae sunt *Liturgiae*. Vid. Casaub. ad Baron. et Suicerus in Thesauro Eccles. Totum vero officium sacrum, et non tantum communionem eucharistiae, vocarunt quoque συνάξιν *Synaxin*. Vid. Petavius ad Epiphan. p. 349. Nomen etiam *agendae*, pro officio sacro jam occurrit in concilio Carthagin. sub finem seculi, quia dicebant, *agere missam*. etc. Ipsum nomen *missae* jam in usu esse coepit apud Latinos, non pro eucharistia,

eucharistia, sed pro ipso cultu sacro in genere; a *missione*, sive Catechumenorum, sive fidelium. Missa enim est *missio*, ut remissa *remissio*, qua Latini Graecorum ἀπολυσιν, illis in coetus *dimissione* usitatam, exprimebant. Quam vocis significationem jam observavit Avitus Viennensis, sec. VI. scriptor, epist. I., ubi addit, in palatiis et praetoriis vocem *dimissionis* in usu esse. Vocem *missae* pro cultu sacro in genere jam sec. III. usitatam fuisse, colligi posset ex Epist. Cornelii Papae ad Lupicinum Viennensem, si genuina foret; sed spuriam esse convenit fere inter Doctos, quare eam in nova collectione conciliorum neglexit Harduinus: eucharistiam vero voce missae jam fuisse sub finem seculi insignitam, ex Ambrosio observavit Casaubon. ad Baron. Ceterum de vera vocis Missae origine vid. quoque Bona rer. lit. l. I. c. 1. Mansit quoque nomen *sacrificii* in usu, sensu spirituali, pro qualibet cultus parte, et non tantum pro eucharistia. Sic Euseb. vit. Const. IV: 45., de *laudibus ejus* memorat, θυσιας ἀναιμυς και λογικας τας δι' ἐυχων *sacrificia incruenta et rationalia precum:* sic et Hilarius ad Ps. CXL. et alii. Vox λιτανειας *Litaniae* licet apud Basil. M. ep. LXIII. ad Neo-caesar. strictiore sensu veniat, cum eos ante Gregorium habuisse neget λιτανειας *litanias*, passim tamen de hymnis, Psalmodia, et precibus in genere usurpatur. Sed de *litaniis* postea.

§. LXXVIII. Initium cultus sacri, non preces, sed Psalmi, et Lectiones, ut antea, fecerunt. Psalmi vero et Lectiones nonnullis in Ecclesiis intermiscebantur, in aliis vero, illis universis cantatis, seorsim fiebant lectiones. Prius fieri debere sancivit can. XVII*mus* Laodicenus, et in Ecclesiis Africanis, teste August. Serm. X. Op. tom. X., obtinuit. Davidici non tantum Psalmi, ut cum *Psalmodia* incipiam, sed et hymni, ab hominibus non inspiratis compositi, in Ecclesia fuerunt cantati. Sic Hilarius, notante Hieronymo de Script. Eccles., et Ambrosius in usum Ecclesiae composuit hymnos, inde Ambrosianos dictos, ut tradit Isidor. His-

pal. off. Eccles. l. I. c. 6. Ubi vero canon LIX. Laodicenus ἰδιωτικὺς ψαλμὺς *privatos Psalmos* in Ecclesia legi vetat, oportet, vel privatos, non munitos autoritate publica, intellexerit, vel Veterum morem in suis aboleverit Ecclesiis. Inter celebriores hymnos, Christianis sive privatim sive publice usitatos, duplex eminet *doxologia*, una *minor*, *gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen.*, cujus modo memini; postea adhuc insertis verbis, *sicut erat in principio, et nunc, et semper:* quorum reperitur mentio in concilio Vasensi a. 529. Altera *major*, cujus initium erat hymnus, sic dictus Angelicus, gloria *in excelsis Deo* etc. in matutinis maxime usurpabatur precibus, unde *hymni matutini* titulus est ortus. Occurrit Const. Apost. VII: 47. et ejus meminit, praeter Athanasium, seu autorem libri de *Virginitate*, Chrysostomus saepe. Lucianus vero, seu autor *Philopatridis*, πολυώνυμον ᾠδὴν adpellavit, ex opinione Smithi in *Miscellan.*, quod suo loco relinquo, ubi plura de hoc non tantum hymno profert, sed et de *vespertino*, quem exhibent Constit. Apost. VII: 48., ubi προσευχὴ ἑσπερινὴ adpellatur, alias etiam hymnus τὰ λυχνικὰ *ad lucernas*, quia vesperi cantabatur, cum *lumen* inferebatur. Meminit quoque Basil. M. de Spir. S. c. 21. et dicitur ἐπιλύχνιος εὐχαριστία. Antiquam vero formulam e cod. MSS. Alexandr. LXX. Interpretum repraesentat Usserius de *symbolis*, et Smith. l. c. In usu denique et hoc sec. fuit τὸ τρισάγιον, quo ter dicebatur, ad exemplum Seraphinorum, Jes. VI. *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth:* cujus mentio est Const. Apost. VIII: 12., Cyrill. Hieros. cat. VI. et saepe apud Chrysostomum. Quae postea sunt addita, quique motus inde orti sunt, suo loco narrabo. Peculiarem autem de hoc hymno scripsit tractatum P. Allixius.

§. LXXIX. Universus coetus, in Ecclesia congregatus, partes in officio cantandi habuit, officio hoc ad certum hominum genus nondum adstricto, idque triplice modo. *Primus* est, quo ab universa Ecclesia junctim cantabatur: quae

anti-

antiquiſſima fuit conſuetudo. Chryſoſt. hom. XXXVI. in 1. ad Corinth. *olim omnes in unum congregati communi voce canebant: quod et nos hodie facimus.* Quae canendi ratio dicebatur συμφωνία *Symphonia. Secundus* modus dictus ἀντίφωνα *Antiphona* eſt, quo, Eccleſia in duas diviſa choros, chori alternatim pſallebant. Socrat. H. VI: 8. ὕμνους ἀντιφώνους adpellat, Ambroſius ad Hexaemer. *reſponſoria*, a cujus tempore per Occidentem coepit: vid. Paulinus in *vita* Ambroſii, et Auguſt. confeſſ. IX: 7. Sed per Orientem jam ante obtinuit, ut refert Baſilius Ep. ad Neo-caeſar. 63. Quando autem in Oriente incepit incertum eſt. Socrat. H. VI: 8. ex traditione refert, originem in Eccleſia Antiochena ab Ignatio eſſe repetendam. Sed cui alia obſtant, De quo ad ſec. I., ubi *de cantu ſacro*, expoſui: quare hic nihil addo. *Tertius* denique eſt, quo praecentor, ὑποβολεύς, verſum incipiebat, et populus ſe ei in verſiculo repetendo, vel in clauſula, adjungebat, quod ὑπηχεῖν *ſuccinere* adpellatur, ſubinde etiam ὑπακούειν et ἐπακούειν, ſicut ipſum reſponſum ὑπακοή. Vid. Montfalcon. in monito ad Chryſ. hom. ad Pſ. XLI. Op. t. V. ubi et alia huc pertinentia refert. Vocatur quoque Conſt. Ap. II: 57. τὰ ἀκροστίχια ὑποψάλλειν, *extrema verſuum ſuccinere*, alias etiam ὑπόψαλμα, διάψαλμα ἀκροτελεύτιον, ἐφύμνιον: quae voces eodem redeunt. Illud adhuc notetur, non ſemper extrema verſuum, ſed et clauſulas, Pſalmis adjungi, vel inſeri, ſolitas, hoc fine in uſu fuiſſe, et eo nomine veniſſe: quem uſum habuit *doxologia minor*. Sozom. H. III: 20. Ceterum, huic mori, quo populus in Pſalmis et hymnis partes habebat, adverſari videtur can. XV*tus* Laodicenus, *quod non oporteat praeter canonicos cantores, qui ambonem conſcendunt*, et ἀπὸ διφθέρας *ex codice canunt, aliquos alios canere in Eccleſia.* Sed videtur illud ad certum tantum tempus ordinatum, donec populus ad antiquam pſalmodiam, varie corruptam, revocaretur, vel ad *praecentores* reſtringendum, ita ut alii non ſint ac *canonici cantores*, quorum mentio quoque fit can. Apoſt.

XLIII. tanquam qui distinctum constituerunt ordinem, antea ignoti; dicti fuerunt praecentores ὑποβολεῖς monitores, inspiratores, Socrat. H. V: 22. ubi vid. Valeſ. Nec forte a vero abhorret, in hac illave Ecclesia solos Psalmistas canere consuevisse; uti de Hierosolymitana observavit Toutteus ad Cyrill. Hieros. cat. XIII.

§. LXXX. De publica *Lectione* in Ecclesia, ut ordine agam, *quid* fuerit praelectum *a.* exponam 1. Scripturas, stricte dictas Canonicas, Vet. et Nov. Test., praelegendas esse, diserte praecipitur can. LIX et LX. Laodicen., XLVII. Carthagin. III., et Const. Apost. II: 57, 59. V: 19. et VIII: 9. ne alia proferam testimonia. Tantum in Ecclesia Romana, usque ad Caelestini Papae tempora, lectiones fuisse ex Nov. Test. ante sacrificium institutas, Walafr. Strabus de rebus Ecclesiast. c. 24. et alii referunt. 2. Respectu librorum V. T., qui *apocryphorum* nomine insigniri solent, diversa obtinuit consuetudo. In Ecclesiis nonnullis, ut Hierosolymit. et aliis, prohibita fuit ea lectio Cyrill. Hieros. cat. IV. Const. Ap. II: 57. et can. LX. Laodicen. Sed in aliis praelegebantur, sive *Ecclesiasticorum* titulo, testibus Athanas. in Epist. Festali, Hieronymo praefat. ad libros Salom., et Ruffino in Symbol. ad calcem Cypriani, sive etiam *Canonicorum* generali nomine, ut habet can. XLVII. concilii Carthag. III. sed voce illa latius, pro catalogo librorum, qui publica legebantur auctoritate, sumta: ceteroquin enim iste canon reliquis modo prolatis contradiceret. 3. Libri quoque alii Ecclesiastici Novi Test. hanc habuerunt praerogativam, uti Hermas, Clemens Roman. Eus. H. III: 16, διδαχὴ *doctrina* Apostolorum Athanas. in Ep. *festali*, imo *revelatio* Petri nonnullis in Palaestin. Ecclesiis diebus *parascheviis*. Sozom. H. VII: 19. 4 Denique *passiones* martyrum, et homiliae eo spectantes, anniversariis eorum festis praelegebantur, ut canon Carthagin., modo citatus, habet, unde forte nomen *Legendarum*, quo ejusmodi historiae insigniuntur, ortum est, quod postea in

malum

malum vertit, propter multa fabulosa iis inserta. In Ecclesia Romana nondum tempore Gelasii Papae acta Martyrum fuisse praelecta, ex Gelasii decreto colligitur. Ipsae quoque *Principum* sanctiones, ut illud obiter addam, ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos, pertinentes, lectae fuerunt in Ecclesiis. vid. Gothofred. ad Cod. Theodos. l. XVI. tit. II.

§. LXXXI. β. Quod ad *modum et ordinem* lectionis adtinet, 1. licet Ambrosii tempore aliae fuerint lectiones *fortuitae*, pro arbitrio praesidentis, vel librorum continuata lectione, aliae solenni ritu constitutae, ut observavit Mabillon. Mus. Ital. tom. II., passim tamen ad certam methodum et regulas fuerunt factae, praesertim festis, et temporibus solennioribus, quibus certae pericopae Script. S., iis adcommodatae, praelegi in usum Ecclesiae solebant; uti multa docent. Libri Jobi et Jonae, ex. gr. fuerunt per hebdomadem paschalem praelecti, teste Ambrosio ep. 20. ad Marcellinam. Tempore pascha sequente, usque ad finem Pentecostes, legebantur *Acta* Apostolorum, nec alias per totum annum, unde factum est, ut liber iste fuit plebi ignotior. Chrysost. hom. I. in *Actorum* initia. Qualis autem fuerit Lectionis ordo, adcuratius definiri nequit, cum nullum ejusmodi *Lectionarium* aut Kalendarium, tam antiquum, ad nos pervenerit. Hieronymi quidem sub nomine venditatur, dictus *Comes* sive Lectionarius, qui in capitularibus Francorum tom. II. exstat, sed ejus non esse constat. Claudianus, Mamerti Episcopi Viennensis frater, et coadjutor, talem quidem in usum Ecclesiae Viennensis composuit, teste Sidonio Apollinari lib. IV. ep. 11. a. 450. et Musaeus pro Massiliensi a. 458. tradente Gennadio, sed non supersunt. Antiquissimum est Lectionarium Gallicum, post Gregorii M. tempus scriptum, quod Mabillonius de *cursu Gallicano* edidit.

§. LXXXII. 2. Cum linguis vernaculis, ut supra observavi, sacra fuerint peracta, notari meretur, Syros in Osdroene et Mesopotamia usos esse Syriaca versione, Latinis

versionem, vulgo Italam, postea *Veterem* dictam, in usu fuisse, Graece loquentibus LXX versionem, excepto Daniele, qui, teste Hieronymo ad Dan., ex Theodotionis versione legebatur, sed secundum diversa exemplaria: Alexandrini enim et AEgyptii utebantur editione Hesychii, Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris, mediae inter ea loca provinciae, illa Eusebii et Pamphili; ut Hieron. praef. ad librum *Paralipom.* refert. De quibus versionibus hic differere non licet. 3. Lectio *Euangelii*, quod nostram meretur adtentionem, majore cum reverentia, quam reliquorum librorum, facta est. Usitatum quidem erat in omnibus Lectionibus, ut Diaconus praemitteret clara voce *προσέχωμεν adtendamus*, et Lector, *haec dicit Dominus*, Chrys. hom. XIX. in Act. Apost. et III. ad 2 Thessal. Sed, cum reliquae Script. S. partes a Lectoribus, sola *euangelia* praelegebantur a Diacono, vel Presbytero, Const. Ap. II: 57. Sozom. H. VII. 19. qui nonnullis in casibus id ab Episcopo fieri, et Alexandriae a solo Archidiacono, narrat. Moris quoque erat, ut ad Euangeliorum lectionem omnes surgerent et starent. Const. Ap. l. c. et Chrysost. hom. I. ad Matth., quo etiam respicit Ambros. ad Ps. LXII. Sozom. quoque l. c. tanquam quid insolens notat, Episcopum in Ecclesia Alexandr. non adsurgere, dum legitur Euangelium, sed in Africanis Ecclesiis ad omnes Script. S. lectiones stabant, et homilias etc. *stantes* audiebant. August. hom. XXVI. tom. X. Vid. et Vales. ad Philostorg. H. III: 5.

§. LXXXIII. Locum et alia reverentiae signa habuerunt, a superstitione non inmunia, quae hac occasione strictim recensebo. In Episcoporum ordinationibus codex euangeliorum capiti ordinandi fuit impositus Const. Ap. VIII: 4. et Chrysost. de *laudibus* Euangel. Euangelio quoque in medio posito *jurarunt*. Chrys. hom. VII et XIV. ad *populum Antiochenum*, ubi addit, coram *mensa sacra* id fieri; quod tamen reprehendit: sic et autor *operis Inperfecti* in Matth. inter opera Chrysost. hom. XLIII., et XLIV. qui addit, a

super-

superstitiosis tale juramentum super euangeliis *sanctius* haberi, quam *per Deum*. Ceterum de juramento super euangeliis, vid. quoque Gregor. Naz. ep. 219. ad Theodorum Episcopum; et ex Recentioribus Valesf. Emend. l. I. c. 4. Mulieres denique et infantes parva euangelia de collo habuerunt suspensa, praesidii ergo. Chrysf. hom. 72. in Matth. et XIX. ad Antiochenos, etiam juxta lectum, Id. hom. XLIII. ad 1 ad Corinth., si caput doleret ad illud ponebant, ut dolor levaretur: quod ipse August. tract. VII. in Joh. non culpat. Tradit etiam Isidor. Pelus. l. II. ep. 150. mulieres parva euangelia, ut Judaei phylacteria, gestasse. Alia adhuc superstitionis indicia protulit Chrysf. hom. VII. ad Antiochen. et LIII. ad Johannem, ut quod non nisi manibus lotis, et multo cum tremore, adprehenderint, viri caput nudarint, mulieres velarint. etc. Memoravit quoque Hieron. contra Vigilantium, moris per Ecclesias Oriental. fuisse, ut luminaria de die fuerint accensa, dum legebatur euangelium, cujus etiam meminit Isidor. Hispal. sec. VII. Origin. l. VII. c. 12. sed nemo alius ante ipsum; quantum novi.

§. LXXXIV. Lectione finita, *concio* haberi solebat, sive ab Episcopo, sive Presbytero: uti per omnes Ecclesias moris erat, licet in paroeciis ruralibus minus frequentes fuerint, teste Chrysf. hom. 65. de martyribus. Singulare, et paradoxum plane, est, quod de Ecclesia Romana refert Sozom. H. VII: 19., nullos ibi haberi sermones ad populum. Quod vix admitti potest, licet Chrysost. hom. IV. ad Jes. VI. tradat, Romae populum non esse φιλήκοον *audiendi sermones cupidum*. Exstant utique *sermones* a Leone M. sec. seq. habiti. Oportet itaque Sozom. de minus frequente concionandi more capiatur, vel adfecta ejus lectio statuatur, ita ut pro ὅτε legatur ἴδιε, et sensus sit, Romae sive Episcopum, sive alium quemcunque, concionari, cum Alexandriae solus id faciat Episcopus: quae conjectura est Hooperi ad eum locum in nova edit. Anglic. Hist. Eccles. scripto-

rum Valesii, et ex nexu cum seq. aliquid roboris acquirit. Erant vero ordinario concionatores Episcopi ipsi, et, illis absentibus, Presbyteri, vel et eadem in congregatione utrique, cum plures una subinde haberentur conciones. Const. Ap. II: 57. Quod factum fuisse, varia Chrysost., Basilii M., et Gregor. Nyss. loca evincunt: quod ex 1 Cor. XIV: 30. videtur ductum. *Bis* per hebdomadem pronunciavit saepe conciones Chrysost., nondum Episcopus, ipso teste hom. XXV. ad Johann., dein Episcopus semel aut bis per mensem tantum, uti ex hom. V. ad 2 Thessal. colligit nuperus editor, sed qui locus de auditoribus segnibus capi potest. In Ecclesiis Africanis ne quidem Presbyteris coram Episcopo licuit concionari ante Augustinum, cui id primo fuit concessum, referente Posidonio in ejus vita. Apud Gallos serius adhuc mos coepit, quo Presbyteri concionati sunt; cum Synodus Vasensis II., integro post Augustinum sec., ipsis demum permiserit, uti Sirmondus ad August. serm. 20 Oper. t. V. notavit. Alexandriae vero, ex quo Arius presbyter haeresin introduxit, hoc privilegium ademtum est Presbyteris, Sozom. H. VII: 19. Diaconi legere quidem, exigente necessitate, poterant homilias Patrum, uti concil. Vasense postea sanxit, sed nunquam concionari. Denique laicis, aut Monachis, quippe ad laicorum classem pertinentibus, prorsus illicitum erat, nisi ex speciali Episcopi indulgentia, si donis gauderent singularibus, teste exemplo Origenis; de quo in ejus vita. Canon 98 Carthag. IV. habet, *laicus praesentibus Clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audiat.*

§. LXXXV. Concionum *argumentum* erat vel pericopa Scripturae, quam praegressa lectio suppeditabat, vel aliud quid, quod eo tempore ad populi aedificationem erat adcommodum, uti vel ex Chrysostomi homiliis ad populum Antiochenum constat. Erant vero quatuor fere concionum genera. Aliae enim erant *expositiones* Scripturae, aliae orationes *panegyricae*, in sanctos et martyres, de *sanctis* adpellatae,

pellatae, aliae de *Tempore* dictae, quae in festis et majoribus solennitatibus habebantur, uti in *Nativitate*, Epiphania, Quadragesima, parascheve, Paschate, Pentecoste, et diebus Dominicis; aliae denique, de *Diversis* dictae, capita tractabant vel doctrinalia, vel moralia: quorum summam exhibet Chrysost. hom. de *baptismo Christi*, et Greg. Naz. Orat. I. de *fuga*. Conciones vero Chrysostomi duabus passim constant partibus, expositione partis Script. S. et argumento morali, cujus ultima verba Script. S. explanata dederunt occasionem: reprehendit quoque aliquando Antiochenos, hom. XVI. ad eos, quod in concionibus semper debeat moralia tractare, cum vellet et deberet Script. S. exponere. Praeterea conciones, non ad auditorum gratiam captandam, sed eorum utilitatem, esse instituendas, adeoque vitiis non esse indulgendum, egregie disserit, hom. hanc in rem habita, *non esse ad gratiam concionandum*. *Exordia* vero ipsi sunt ut plurimum praeloquia, a temporis ratione, et auditorum statu, petita. Fuerunt autem, quod probe observari velim, et imitandum optarem, conciones brevissimae, ita ut vix ulla horam inpleverit, multae ne dimidiam quidem, ut ex ipsis non tantum concionibus, sed et inde patet, quod universus cultus ultra *duas* horas non duraverit in Ecclesiis, uti saepe indicat Chrysost., qui longitudinem concionum alibi excusavit, concessa quoque libertate discedendi infirmioribus, aut quibus satisfactum sit, Hom. I. *satanam non gubernare mundum*, et hom. I. in epist. Act. Apost., ubi duas tantum per totum diem dominicum sibi concedi horas petit. Prooemiis quoque prolixioribus saepe usus est, quod cum auditoribus displiceret, ipse defendit hom. III. de *mutatione nominum*.

§. LXXXVI. Supersunt nonnulla, ad ritus hic usitatos, notanda. 1. Sicut ad reliquas partes cultus, ita ad concionem, fecit introductionem formula, *pax vobis*, populo respondente, et *cum spiritu tuo*. Chrys. hom. III. ad Ep. ad Coloss. Sed Const, Ap. VIII: 5. praecipitur, ut orator in-

cipiat cum verbis Pauli 2 Cor. XIII. *gratia Domini nostri*, etc. Subinde etiam praemitti solebat, *benedictus Deus*, ut ex homiliis Chrys. ad Antiochen. liquet. Sic homiliam post reditum ab exilio orditur: *quid dicam*, *quid loquar? benedictus Deus*, *hunc egrediens dixi sermonem*, *hunc iteravi revertens*. 2. Concionatores passim sedebant, ritu a synagoga Judaeorum ducto, et auditores stabant, Eus. vit. Const. M. IV: 33., attamen in nonnullis Ecclesiis *sedebat* populus. Const. Apost. II: 58. Cyrill. Hieros. cat. XVI. 3. Denique obtinuit, ut auditores, sive vocibus, sive plausibus, aliisque gestis, adplauderent Oratori, ex. gr. *feliciter dixit*, *bene dixit*, etc., iisdem vocibus saepe repetitis. Inter signa, praeter manuum plausus, fuit, *fascias lineas* motitare, quae dictae sunt *oraria*. Quas adclamationes adpellarunt κρότους, sicut adclamare κροτεῖν, ἐπιβοᾶν, ἐπιφημίζειν: nec eas damnarunt quidem oratores, attamen reprehenderunt eos, qui vel plausus captarunt, Chrys. hom. XXX. in Act. Ap. vel, iis contenti, alium de concione fructum reportarunt nullum: de quo saepe conqueritur Chrys., uti de *sacerdotio* I. V. et Orat. I. *in Judaeos*: Hieronymus vero tales concionatores et auditores vocat *insipientes*, ad Ecclesiast. IX. fin. Ceterum idem ille minime laudandus mos in Ordinationibus non tantum Clericorum, sed ipsis conventibus Synodicis, locum tenuit, et e theatris in forum, dein Senatum venit; indeque in Ecclesiam. Vid. quae ex Casaub. adtulit Suicerus in thes. Eccles. in κρότος, κροτέω.

§. LXXXVII. Sermone finito, *cunctis surgentibus*, *diaconus*, *in excelsum locum adscendens*, *proclamabat*, *ne quis audientium*, *ne quis infidelium!* Const. Ap. VIII: 5. quando catechumeni, οἱ ἀκροώμενοι *audientes* dicti, ut et Judaei ac Gentiles exire debebant, et *preces* fiebant. Eas enim post conciones fundi solere, uti antea, ita et nunc, ex Chrysost. et aliis, est testatissimum, quae vero ante fiebant preces, vel erant *privatae* singulorum, vel brevissimae, concioni praemitti solitae. Erant autem *publicae* duplicis generis, aliae enim

pro

pro reliquis catechumenis et poenitentibus, qui iis intererant, aliae solis fidelibus peculiares, post illorum dimissionem ad diaconi vocem, *ite missa est*. Differebant autem preces priores a posterioribus 1. quod *illae* partim ad Patrem, partim ad Filium fiebant, *hae* vero unice et semper ad Patrem. Quem in finem notabilis est canon 23*tius* conc. Carthag. III. *ut nemo in precibus Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; et quum ad altare adsistitur, semper ad Patrem dirigatur Oratio.* *Illae* in locis fundebantur, quae ordinibus illis adsignata erant, *hae* vero coram altari; ut ex eodem canone liquet: sic et ibid. can. 32. manus dicitur inponenda poenitentibus *coram apside*. 3. Precibus prioribus intererant pro quibus fundebantur, posteriores fiebant, illis dimissis; et illae secundum certas formulas, pro singulis ordinibus, hae pro omnibus in genere fiebant, pro singulis vero ordinibus, primum pro catechumenis, dein energumenis, tunc competentibus, denique poenitentibus, Const. Ap. VIII canon 19. Laodicen., hisce ritibus; Diaconus, facto silentio, clamabat, ὀρθοὶ στῶμεν καλῶς *erecti stemus probe*, quam formulam exponit, et ad animum adplicat, Chrys. contra Anomoeos hom. IV., *Orate* (ex. gr. catechumeni) *et omnes fideles pro illis cum adtentione dicentes*, κύριε ἐλέησον *Domine miserere!* quando formulam ipsis praescribebat: quae Diaconi actio dicitur προσφώνησις *orationis indictio:* tunc capite eos jubebat *inclinare*, et ab Episcopo recipere *benedictionem*, quae mox ad certam enunciabatur formulam, Const. Ap. l. VIII. et Chrysost. de catechumenis hom. II. ad 2 ad Corinth. de energumenis, ib. hom. XVIII. et de aliis alibi.

§. LXXXVIII. Universa hac catechumenorum missa peracta, quid porro factum fuerit in Ecclesia, eximius hanc in rem canon XIX. Laodicenus his verbis exponit, *oportere tunc fidelium preces sic ter fieri, unam*, scilicet primam, *silentio, secundam et tertiam per pronunciationem inpleri, deinde sic pacem dari*. Precatio ibi διὰ σιωπῆς *sub silentio*, ut

 verbo

verbo haec illustrem, est, quam quisque fidelium secreto fundebat, Episcopo subinde, solenni formula *Oremus*, eos incitante, nonnunquam diacono signum dante, quod *silentium indicere* adpellabatur. Cujus orationis meminit Chrys. hom. *de non evulgandis peccatis*, et formulam ex vet. MSS. *officii Gallicani* exhibet Bona rer. Lit. l. II. c. I. Sequebantur mox εὐχαὶ διὰ προσφωνήσεως *preces per solitas exclamationes* indictae, ut canon cit. eas adpellat, vel et προσφώνησις ὑπὲρ τῶν πιστῶν *indicta oratio pro fidelibus*, Const. Ap. VIII: 9. κηρύγματα quoque ἐκκλησιαστικὰ *indictae preces* Basil. M. ep. 155. *sine inscriptione causa Aliptae*, ut voces vertendae sunt, et explicandae, ita adpellatae, quod Diaconus non tantum ad eas provocaret fideles, sed et singulas petitiones praeiret, populo ad eas respondente, κύριε ἐλέησον *Domine miserere!* aut, *oramus te Domine!* aut, *praesta, Domine! praesta.* Quibus precibus pro omnis generis status et aetatis hominibus orabant; earumque formula exstat Const. Ap. l. c. duas alias formulas exhibet Bona ex vetustis officiis rer. Lit. II: 5. nonnullas quoque petitiones Chrysostomus hom. II. ad Antiochen., qui hom. X. ad ep. ad Coloss. orationem dominicam scite nuncupat εὐχὴν πιστῶν, κορωνίδα τινὰ καὶ σύνδεσμον ὑπὲρ πάντων *precationem fidelium, coronidem et vinculum pro omnibus.* Quibus precibus, quas *flexis genibus* fundebant, finitis, Diaconus rursus clamabat, *surgamus et oremus intenti!* quando preces ab Episcopo fiebant clara voce, populo ad finem respondente, *Amen!* quibus populi preces colligebat in summam, et Deo commendabat: quare, praeter generaliorem ἐπικλήσεως *invocationis* vocem, adpellabantur a Graecis παραθέσεις *commendationes*, et a Latinis *Collectae* can. 123. cod. Africani, quia *recollectio et recapitulatio* erant precum populi. Prostat formula Const. Ap. VIII: 11. Inde ad *eucharistiae* celebrationem procedebatur, cujus administrationis notitiam per partes mox dabo, ut universum cultum publicum una serie absolvam.

§. LXXXIX. *Elementa* hoc adhuc tempore inter Graecos

non

non tantum, sed et Latinos, videntur fuisse *panis fermentatus, et vinum aqua temperatum*; licet de Latinis res magis sit dubia. Sirmondus panem *azymum* ante sec. X. in Ecclesia Latina fuisse inusitatum multis quidem disputat, ut et Dallaeus, in superioribus jam citati; sed contrarium contendit, praeter Ciampinum in *conjecturis* de azymo, Mabillonius in praef. ad sec. IIItium Benedictinum, et in Diss. de *azymo et fermentato* in Oper. Posthumis, cui adsentitur Martene de ant. rit. Eccles. l. cit. cap. 3. Invaluit quidem ex mea opinione panis azymus apud Latinos ante sec. X., de quo suo loco, sed hoc sec., ut intra illud, de quo agimus, maneam, non videtur. Inter Ebionitarum peculiares ritus cum Epiphan. in eorum, haeres. XXX. notet *azymorum* usum in eucharistia, licet addat, eos hoc ad imitationem sanctorum in Ecclesia facere, innuit tamen, eos in azymorum usu fuisse singulares, adeoque in Ecclesia non fuisse receptum, utique non Graecorum. Ambrosius de Sacram. l. IV. c. 4., seu autor eorum, qui videtur alius, et paulo recentior, cum *panem* vocat *usitatum*, licet sileat fueritne fermentatus an azymus, prioris generis fuisse indicare quoque videtur. Duo Episcopi Romani, Miltiades et Siricius, in decretis suis, in libro Pontificali, totum sacramentum panis et vini cum *fermentum* adpellant, mystice quidem intelligendi sunt, ad sacramentum respicientes, quatenus instar *fermenti* unit Ecclesiam, ut opinor, licet alii aliter, et varie admodum, cum et Christus absolute vocetur *fermentum* eo sensu in litteris Episcoporum Phoeniciae ad Leonem Inperatorem Concil. tom. IV. et pro vinculo *unionis* eam vocem sumserit Arnob. contra Gent. l. II., ad fermentum tamen in Eucharistia videntur digitum intendisse. Sed August. Serm. 227. de Tempore, ut illud anticipem, nil nisi *aquam* memorat, et fermentum videtur excludere. Ceterum panes, qui a fidelibus offerebantur, unde eucharistia conficiebatur, erant integri et *rotundi*; quare panis *στρογγυλοειδὴς orbicularis* adpellatur ab Epiph. in Anchor,

§. 57. De vino, aqua mixto, res est testatissima; vid. Vossius disp. 22. de coenae Symbolis; et Martene l. cit., si quis testimonia velit.

§. XC. Actus eucharistiae *praecedentes*, ut eodem, quo antea, procedam ordine, fuerunt iidem, qui superior. sec., *Oblatio et consecratio.* De munerum et donorum, *oblatione*, a fidelibus ad altare fieri solita; unde eucharistiae sumebantur elementa, res nimis est nota, quam ut testimoniis opus sit. Quare locum tantum dabo canoni 28. Illiberitano, *Episcopos placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*, quia, non nisi communicandi jus habentibus munera offerre licere, inde patescit, adeoque eorum oblationem esse signum communionis Ecclesiae, et cum usu eucharistiae conjunctam. De quo Ambrosius ep. 17. ad Valentinianum quoque testatur. Eodem etiam modo, quo antea, res sese habuit respectu nominum offerentium recitari solitorum, et oblationum pro defunctis; adeo ut morari hic necesse non sit. Majoris est, *consecrationis* ritus recensuisse: quos summatim per partes, secundum Const. Ap. VIII. 11. exhibebo. Praemissa adhortatione Diaconi, προσχωμεν *attendamus*, Episcopus salutabat Ecclesiam, dicens, *pax Dei cum omnibus vobis*; populus respondebat, *et cum spiritu tuo*; quod solenne erat omnium cultus partium *prooemium*, uti inquit Theodoret. ep. 146. et Chrys. hom. III. ad ep. ad Coloss., et saepe alibi, Ipsum Bracarense concilium contra Priscillianos sec. V. sancivit, modo genuina sint acta: mox, monente Diacono, se mutuo salutabant *osculo pacis*, Clerici Episcopum, Laici se invicem, sed viri viros, et foeminae foeminas. Quod concilium Laodicenum ειρηνην διδοσθαι *pacem dare* adpellat. Cujus saepe meminit Chrys., uti de *compunctione cordis*. l. I. c. 3. Tantum in Ecclesia Latina fiebat post consecrationem; ut ex August. hom. 83. *de diversis* et Innocentii Papae Ep. ad Decentium patet. Missis levioribus, ut quod Episcopus tunc *manus lavet* in signum puritatis, cujus etiam Cyrill. Hieros. cat. V. meminit, et Diaconi

Diaconi flabello parva abigant animalia, ne in calices incidant, quod ῥιπίδιον dicitur, nec alii praeter Constit. Ap. memorarunt, Diaconus non tantum de novo admonebat, *ne accedant incommunicantes*, sed et fideles adhortabatur, *matres adsumite pueros, ne quis contra aliquem, ne quis in hypocrisi, erecti ad Dominum, cum timore ac tremore stemus ad offerendum*, praeterea, teste Chrys. hom. I. contra Judaeos, *alii alios noscite.* Deinde Episcopus, signo crucis manu facto, Chrys. *quod Christus sit Deus* c. 9. et benedictione, *gratia Domini* etc. 2 Cor. XIII. fin., pronunciata, cui populus respondebat, *et cum spiritu tuo*, dicebat, *sursum corda*, ad quod populus, *habemus ad Dominum*, ille rursus, *gratias agamus Domino*, populus, *dignum et justum est.* Formulae autem, quod notandum, *sursum corda*, omnes etiam antiquiores meminerunt Scriptores. Ceterum vocantur in concilio Milevitano can. 12. *praefationes*, et in vetusta liturgia Anglicana *contestatio.*

§. XCI. Sequebantur tunc prolixae preces, ab Episcopo fusae, licet in *trisagio* canendo, quod partem earum faciebat, populus concurrere soleret, ut ex Chrys. multis locis, praeter Const. Apost., patet. Quibus precibus partim Deo pro omnibus beneficiis naturae et gratiae, quae singulatim, per omnia Ecclesiae tempora concessa, recensebantur, gratiae agebantur, partim repetita institutione eucharistiae verbis Christi et Pauli, orabatur, ut Spiritus S. in illa dona proposita descendat, eaque sanctificet, et ex illis *corpus et sanguinem Christi* faciat. Cyrill. Hieros. cat. XXX. memorat ἐπίκλησιν τῆς τριάδος *Trinitatis evocationem*, sed cat. XXI. tantum τȣ ἁγίȣ πνεύματος *sancti Spiritus*, ut et cat. XXIII. Ceterum hae preces, uti antea, ita et nunc, formulam *consecrationis* constituerunt, et non sola quinque illa verba, *hoc enim est corpus meum:* quod, praeter Const. Apost., uno fatentur ore Veteres, ex. gr. Basil. M. de Spiritu S. c. 25. Greg. Nyssen. Orat. catechet. c. 37. Cyrill. Hieros. cat. mystag. III et V. Chrysost. hom. *in coemiterii adpellationem*, Ambros. de

de sacrament. IV: 5. sic et Hieronymus ep. LXXXV. ad Evagrium, ad Episcoporum *preces Christi corpus et sanguinem confici* dicit, alii. Catholico-Romani quidem aliqua proferunt loca pro sua sententia, sed pauca, et minus recte intellecta: ad quae responderunt Albertin. de Euchar. l. I. c. 7. Dallaeus de Cult. Lat. III: 17. Pfaffius de consecrat. eucharist. ad calcem fragment. Irenaei. Illud tamen inficias ire nolim, consecrationem, licet per eas preces factam, vim suam censitam fuisse accipere a verbis institutionis Christi, formulis precum insertis, secundum Ambrosium de sacram l. IV: c. 4. vel libri ejus autorem; sed et ita ipse Ambros. de *mysteriis* c. 9. tom. II. Gregor. Nazianz. Orat. II. de Paschate, *illisque*, scilicet verbis Christi, hoc est corpus meum, *prolatis a Sacerdote*, *qui non credit esse verum corpus Christi*, *sine dubio fidem derogat*.

§. XCII. Qua peracta consecratione, preces fundebantur pro universa Ecclesia, et omnibus ejus membris, nec tantum vivis omne genus, sed et *mortuis*, sine discrimine, justis et peccatoribus, servatis et damnatis, Const. Apost. l. c. Cyrill. cat. myst. V. Epiphan. haer. 75. Aerianorum, ubi contra eos, qui has preces repudiabant, eas defendit, Chrysost. hom. XXI. in Act. Apost. et XLI. in 1 ad Cor. ac III. in ep. ad Philipp., ubi, quod notandum, Catechumeni, in baptismi voluntario neglectu mortui, excipiuntur, pro quibus non orabatur. Hunc autem in finem nomina eorum nonnunquam a Diacono recitabantur e *diptychis* h. e. tabulis sacris, a *ptychis*, seu plicis, nomen habentibus, quibus nomina in communione Ecclesiae defunctorum continebantur. Quod in Ecclesia Latina duravit usque ad sec. XI., quando in desuetudinem venit, Vid. Mabillon. Liturg. Gall. l. III. Ceterum erant, ut illud obiter observem, tria diptychorum genera, quorum alia Episcoporum habebant nomina, alia eorum, qui liberiora obtulerant dona, et bene de Ecclesia erant meriti, alia defunctorum nomina, Vid. de *diptychis* Noris. de Synodo Vta, et Cangius in Glossario.

De

De rationibus et scopo precum pro mortuis, quae ad sec. super. protuli non repetam, sed nonnulla, ex Scriptoribus hujus sec., adjungam de particularibus rationibus, quas praebuerunt hypotheses Veterum, ut eas una exponam 1. de statu et loco intermedio animarum, in sinu Abrahae 2. de resurrectione tardiore, aut celeriore, in regno millenario, Ambros. de *obitu Valentiniani*, ad fin., et ad Ps. I., praeterea 3. de igne ultimi judicii *eluente* et purgante animas, per quem omnes debeant transire, nemine excepto, ne Maria quidem. Ambros. Serm. 3*tio* in Ps. CXVIII. et hom. 3*tia* in Ps. XXXVI. Hilarius in Ps. CXVIII. et Matt. II. Gregor. Nazianz. Orat. XLII. et Nyssen. de *mortuis* Oper. t. III. denique 4. de gloria sanctorum augenda, et damnatorum poenis minuendis, per preces ad altare. Chrysost. hom. XXXII. ad Matth., et III. ad ep. ad Philipp., Prudent. Cathemerinon Serm. V. de *cereo paschali*. Peccatores mortuos per vivorum oblationes, et eleemosynas, aliquid solatii accipere posse, statuit Chrysost. hom. LXII. in Joh. et XLI. ad 1. ad Cor., ac. III. ad Ep. ad Philipp., ubi hoc institutum ab Apostolis repetit, sed restringit hanc utilitatem maxime ad fideles, ita tamen, ut reliquos non plane excludat. Sed Athanas. in nova collectione Montfalc. p. 48. eos, tradit, qui cum aliqua virtute decesserunt, adjuvari a vivis post mortem, reliquis exclusis, Vid. et Ephraem. Syr. in Testamento suo Oper. Gr. t. II., quod Graece et Syriace exstat in nov. edit., nec non Basilius Seleuciens. Orat. XL. ad fin. Peculiarem 5. vero rationem, ad Prophetas, Apostolos, et martyres pertinentem, adfert Cyrill. Hieros. cat. mystag. V., ubi dicit, eorum fieri in precibus et oblationibus mentionem, ut Deus *propter illorum orationes et deprecationes nostras suscipiat preces*: quod in aliis non reperitur monumentis antiquis, nisi apud Augustin., qui Serm. 17. Op. t. X. negat, pro martyribus, quippe plena gavisis gloria, esse orandum, sed ut illi pro nobis orent. Vid. etiam tract. 84. in Joh. Op. t. IX. et Serm.

159. Op. t. V. Qui alibi, in *enchyridio* c. 110., *sacrificia illa* dicit *pro valde bonis esse gratiarum actiones, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes.* Qui ipse ad Ps. CV. declarat, *se dicere non audere, damnatorum poenam esse minuendam, aut pausa intercipiendam.*

§. XCIII. Hae longae preces claudebantur solenni doxologia Trinitatis, cujus supra memini, populo respondente *Amen!* Chrysost. hom. 35. ad 1 Ep. ad Cor. Ceterum nulla fit in Const. Apost. mentio *Symboli Apostolici*, aut *orationis Dominicae;* verum illud partem nondum fecit hujus officii, quod sec. V. demum incepit; oratio vero Dominica omnes preces claudere solebat: uti notum est. Sequitur in Const. Apost. brevis petitio, a Diacono indicta, post consecrationem, *ut Deus munus oblatum, mediante Christo suo, recipiat in coeleste suum altare, ad odorem suavitatis:* cui reliquae concinunt Liturgiae. Hisce peractis, cum Diaconus dixit πρόσχωμεν *adtendamus*, Episcopus ἅγια ἁγίοις *sancta sanctis*, populus respondet *unus sanctus* etc. et canit hymnum *gloria Deo in excelsis* etc. Cyrill. Hieros. l. c. et Chrysost. hom. 3. ad ep. ad Coloss., et 17. ad Hebr. Sequebatur tandem post tot pias ambages ipsa *Communio.*

§. XCIV. Actus *essentiales* communionis fuerunt a parte *Ministrorum*, 1. fractio panis, Chrysost. hom. 24. in 1 ad Cor., aliisque, testibus. Vid. Hospinian. *hist. sacram.*, et ipse Bona rer. Lit. l. II. c. 15. 2. distributio et in manus traditio, sive per Presbyterum, sive Diaconum. Const. Apost. VIII: 13. tradunt, Episcopum praebere panem, et dicere, *corpus Christi*, Diaconum vero calicem, et dicere, *sanguis Christi, calix vitae*, populum ad utrumque respondere, *amen!* sed, Diaconos Presbyteris dare eucharistiam, vetuit can. 18. Nicaenus. Fuisse autem elementa in manus communicantium tradita, ex Basil. M. ep. 93. ad Caesariam, Greg. Naz. de *ornatu mulierum*, Cyrill. Hieros. l. c., Chrysost. hom. 21. ad Antiochen. et 22, 24. etc., aliisque,

aliisque, manifestum est. Vid. et Suicer. Th. Eccles. in voce σύναξις. Actus vero a parte *communicantium* fuerunt sequentes. 1. Sicut super. sec., ita et hoc, ad ipsam accesserunt mensam, Chrys. ad Ps. XLIX. Tantum can. 44. Laodiceno vetatur mulieribus altare, seu septum sanctuarii, adire, quod can. 19. ad Laicos videtur in genere extendi, cum *solis sacratis* permittatur ad altare accedere: quod utique postea fuit sancitum, etiam Inperatorum respectu, ab Ambrosio. Vid. Sozomen. H. VII: 25. et Theodoret. H. V: 18. 2. *Stantes* communicarunt, Chrys. hom. 2 et 20. in 2 ad Corinth.: quo formula etiam pertinet, modo memorata, *erecti stemus honeste*. Sed diebus Dominicis illud tantum adtribuere videtur August. ep. 55. ad Januarium, qui etiam tradit, accipi eucharistiam a *jejunis* per omnes Ecclesias, licet Christus cum Apostolis post *coenam* sumserit, excipitur tamen dies Jovis ultimae hebdomadis quadragesimae, ad exemplum *coenae* a Domino celebratae: de quo etiam exstat canon 29. Carthag. concilii III., Cyrill. vero Hierosf. cat. myst. V. refert, *inclinato paulisper corpore, ad modum adorationis ac venerationis*, eos accessisse ad vinum hauriendum: admonet etiam, ut caveant fideles, *ne quid de pane decidat*, cum sit *auro gemmisque pretiosius*. Unde nihil de adoratione colligi potest, cum corporis inclinatio tantum memoretur, et ad calicem restringatur. Cat. 23. quoque refert Cyrillus, *panem*, antequam ori admoveatur, oculis adplicari solere, et *vino* sumto, madorem, labiis adhaerentem, collectum digitis, admoveri oculis, fronti, et sensibus, quod aliorum testimoniis firmat Toutte in praemisso monito. De sessione, aut genuflexione, nihil constat. 3. Christianos cum tumultu et clamore accedere, et ante ultimam gratiarum actionem discedere e Templo, tradit, et reprehendit, Chrysost. hom. de *baptismo Christi*, et de *coemiterio*. De pane elevato, aut adorato, nihil habet seculum nostrum, multa contraria. Christum adorarunt, cordibus sursum elevatis, secundum formulam,

ſurſum corda; Vid. Albertin. de Euchariſtia, et Dallaeus de *Objecto* cultus. Ceterum, *calicem* aeque ac panem participaſſe Laicos, res eſt teſtatiſſima; quod ad ſec. XII. continuaſſe, ipſe Bona rer. Lit. II: 18. adſerit. Teſtimonia tamen qui velit, adeat Voſſium diſp. V. de ſacrament. et Suicer. in theſ. ad vocem συνάξις. Nec tantum in ipſa Eccleſia ſub utraque ſpecie communicabant, ſed et extra eam, Greg. Naz. Orat. XI. de Gorgonia, Chryſoſt. epiſt. ad Innocentium, Ambroſ. de obitu fratris: ne alios citem. Ipſa communio *praeſanctificatorum* ſub una non fuit ſpecie, de quo mox. Solum tantum panem pro hoc officio quidem reſervabant, et non vinum, ſed in conſecratione panem praeſanctificatum in calicem vini ponebant, et ita conſecratum ſumebant, adeoque ſub utraque ſpecie.

§. XCV. Communione hac ratione peracta, gratiarum actione ab Epiſcopo facta, precibus pro univerſa Eccleſia fuſis, denique benedictione ſuper populo pronunciata, quas formulas habent Conſt. Apoſt. l. cit., Eccleſia hac ſolenni voce Diaconi ἀπολύεσθε, vel πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ *in pace diſcedite*, fuit dimiſſa, Chryſ. hom. de baptiſmo *Chriſti*. Ad *conſequentia* vero communionis, quae ſola reſtant, pertinet *conſumtio* elementorum, eorumque *adſervatio*, *et miſſio* ad abſentes. Quod ad *conſumtionem* adtinet, moris fuit, ut, quae ex conſecratis ſupererant elementis, vel inter Clericos diſtribuerentur, et ab iis abſumerentur, ut canon 7. Theophili Alexandr. apud Bevereg. in *Pandectis* habet, vel *pueris* darentur conſumenda, ut CPoli obtinuit, teſte Euagrio H. IV: 36. vel *igne* comburerentur, ad modum ſacrificiorum pacificorum et votivorum apud Judaeos; ſicut ſec. V. in uſu fuit Eccleſiae Hieroſolym. teſte Heſychio ad Levit. lib. II. Ex reliquis autem fidelium donis, quae, ad altare quidem oblata, ſed non conſecrata, erant, inſtrui adhuc ſolebat communis coena, nomine *agaparum* jam ab antiquo nota et uſitata. Attamen hae agapae, etſi ab Euſtathianorum contemtu vindicatae, in concilio Paphlagoniae *Gangrenſ.*, haud

haud diu post, propter nimium abusum, contra quem jam declamavit Greg. Nazianz. in carminibus a Muratorio editis in Anecdot. Gr., abrogatae videntur; utique can. 28. Laodiceno vetitae, ac canone 30. Carthag. III. Licet vetus consuetudo penitus tam cito exstirpari non potuerit; teste Augustino contra Faustum Manichaeum l. XX. c. 20. Quid? quod concilium Trullanum sec. VII. adhuc necesse habuerit eas vetare; ut ex canone ejus 74. patet.

§. XCVI. Moris quoque hoc tempore fuit, eucharistiae partem ad absentes, communionis causa, mittere. Utique Romae, tempore Melchiadis et Siricii Paparum, mitti ab Ecclesia Cathedrali, ubi Episcopus communicabat, solebat ad *titulos*, seu minores Ecclesias, communionis testificandae ergo, quare *fermenti* nomine venit: de quo supra monui. Sed festo paschali haec missio ad alias paroecias maxime fuit usitata; ut ex canone 14. Laodiceno., quo iste mos prohibetur, liquet. Sed in ejus locum tunc successisse videntur certa symbola panis, instar eucharistiae sanctificata et benedicta, licet alia formula, quae vocarunt *εὐλογίας eulogias*, et panem benedictum, etiam *ἀντίδωρα dona vicaria:* de quibus ejusdem concilii canones 31. et 37. agere videntur, ubi *τὰ πεμπόμενα ἑορταστικὰ* vocantur. Vid. Bevereg. ad can. II*dum* Antiochenum, in *Pandectis canonum*. Sed in specie ad incarceratos fidei causa, et poenitentes in periculo mortis, mittebatur eucharistia, inde speciali nomine *ἐφόδιον viaticum* dicta, solatium scilicet miserorum, seu mortuorum, iter in alium suscipientium mundum. Quo notabilia canonis 13. Nicaeni haec spectant verba: *de iis, qui excedunt, antiqua et canonica lex nunc quoque servabitur, ut, si quis vita excedat τελέυ καὶ ἀναγκαιοτάτυ ἐφοδίυ ultimo et maxime necessario viatico ne privetur.* Ubi vid. Beveregius. Utebantur autem eucharistia infirmi, utraque specie, si possent, vel alterutra, communiter corpore Christi sanguine intincto. Vid. Martene l. cit. cap. V. Sed num aegroti jam hoc tempore passim sumserint eucharistiam ante mor-

 tem,

tem, mihi non constat, nec exemplum occurrit, nisi in Ambrosio. Canon Nicaenus de poenitentibus loquitur, in agone mortis, nec ad omnes aegrotos trahi potest, nisi per consequentiam, sicut postea factum est.

§. XCVII. Hos in fines non solum, sed et in alios, adservata fuit eucharistia a sacerdotibus, sive forte et subinde, non utique semper, in Ecclesia, sive domi: prius Chrys. ep. ad Innocentium indicat, ubi milites, tumultu orto CPoli, narrat, locum intrasse in quo *sancta condita* servata sunt, et sanctissimo Christi sanguine effuso fuisse conspersos. Quod vero alios quoque memoravi usus, illud ad *missam praesanctificatorum* pertinet, quae tempore jejunii quadragesimalis praecipue obtinuit, quando diebus *saturni et solis* tantum fiebat consecratio, et aliis diebus elementa, tunc consecrata, sumebant. Sic canon 49. Laodicenus habet, *quod non oporteat in quadragesima panem offerre, nisi sabbato et dominico tantum.* Reliquis autem diebus προηγιασμένων *praesanctificatorum* ministerium peragebatur; ut canon 52. Trullanus habet. Cujus rei ratio fuit, quod eucharistiae confectio diebus jejunii et tristitiae censita fuerit non convenire. Vid. Leo Allatius in Diss. de *missa praesanctificatorum*, ad calcem libri de *consensu Orient. et Occident.*: et Beveregius ad canones Trullanos in *Pandectis canonum.* Denique observandum est, fideles ipsos eucharistiam, sicut super. sec., ita et hoc adhuc, secum sumere solitos fuisse, et domi, aut aliis in casibus, usos, Hieronym. ep. IV. ad Rusticum, *nihil illo* (Exuperio Tolosano Episcopo) *ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Vid. et Basil. M. ep. 93. ad Caesariam, Greg. Naz. Orat. XI. de sorore Gorgonia. et Ambros. de obitu Satyri fratris. Synodus tamen Caesar-augustana a. 380. in Hispania, sub anathemate eucharistiam in Ecclesia *sumere*, vel, ut alia lectio habet, *consumere*, praecepit; propter Priscillianistas, qui ea abutebantur, ut putatur. Quod idem sancivit concilium Toletanum I. a. 400. Mansit tamen diu post haec consuetudo, vid. Martene l. cit. cap. V.

§. XCVIII.

§. XCVIII. De *subjectis* agentibus et patientibus, cum postea, ubi de Disciplina, sit agendum, nihil restat, quam ut de circumstantiis *locorum* et *temporum* eucharistiae celebrandae quaedam moneam: de quibus per varia tempora, accurate exposuit Martene antiq. Eccles. ritibus cap. III. ubi etiam observavit, Laicos seq. tempore tribus tantum per annum vicibus fuisse obligatos missam celebrare, in Natali, Paschate et Pentecoste, sicut sec. VI. statuit concilium Agathense. *Locus* sumendi eucharistiam fuit quidem extra Ecclesiam quoque legitimus, ut ex modo dictis liquet, *consecrandi* tamen eam fuit in Ecclesia solennis et usitatus, ita tamen ut nonnullis in casibus, ex. gr. tempore persecutionis, quivis locus ad sacra facienda fuerit aptus: uti Dionys. Alex. apud Eus. H. VII: 22. adferit, et exempla demonstrant, ex. gr. Luciani Martyris apud Philostorg. H. II: 14. et de Patre ac Sorore sua narrat Greg. Naz. Orat. de *laudibus Patris*, et de Gorgonia, de Ambrosio quoque Paulinus in ejus *vita*.

§. XCIX. *Tempus* eucharistiae fuit, sicut antea, ita et hoc seculo, singulis diebus Dominicis adligatum, Chrys. *adv. Jud.* orat. 3. et Eus. ad Ps. XXII., ita ut omnes ad eam celebrandam istis diebus fuerint obligati, ut canones 2. Antiochenus, et 19. Laodicenus, habent, quare ille dies a Chrys. hom. V. de *Resurrectione* in edit. Lat. censetur dies *panis* dictus. Nec tamen ita iis diebus fuit adstricta, ut aliis non potuerit celebrari: e contra, *quater* passim per septimanam fieri solebat, die *dominica*, feria *quarta et sexta* qui dies erant *stationarii*, *et sabbato*. Basil. M. ep. 93. ad Caesariam, Chrys. hom. V ad 1. ad Tim., ubi eos etiam reprehendit, qui semel quotannis, tempore Paschae, tantum sumebant: addit, omnibus diebus convenire eucharistiam, tantum Paschae esse solenniorem, quia inde incepit. Feria *quarta* et *parascheve* illud Alexandriae non fieri, Socrat. H. V: 22. propterea, tanquam quid insolitum, adnotavit. Fiebat praeterea diebus memoriae martyrum sacris, ut Bas. M.

l. c. et Chryſ. hom. de *martyribus* refert. Denique, quotquot devotiores eſſe volebant, ſingulis diebus communicabant, et eo nomine laudati fuerunt, non ſine aliorum reprehenſione, Auguſt. Ep. 118., qui tract. XXVI. ad Joh. dicit, *alicubi quotidie*, *alicubi certis intervallis dierum* ſumi: alibi vero, *de ſermone Domini in monte*, l. II: c. 26. tradit, plurimos in partibus Orientalibus *quotidie* non uti. Epiſt. 54. ad Januarium dicit, *alibi nullus dies praetermittitur*, *quo non offeratur*: *alibi ſabbato tantum et Dominico*, *alibi tantum Dominico*, De quotidiana celebratione in Eccleſia Romana teſtatur Hieron. ep. 50. ad *Pammachium*, ac contra Jovinianum; ut et in Hiſpania Idem ep. 28. ad Lucinium Boeticum. Vid. etiam can. 5. concilii Toletani, ubi *ſacrificium quotidianum* adpellatur. Piis Graecorum illud etiam tribuit Euſeb. demonſtr. Euang. I: 10. Unde etiam eſt, quod *θυσία καθημερινὴ* *ſacrificium quotidianum* adpellata fuerit euchariſtia, Chryſ. hom. 3. ad ep. ad Epheſ., et petitio orationis Dominicae, *da panem quotidianum*, ad eam adplicetur, ſicut a multis factum eſt, etiam a Juvenco hiſt. Euangel. l. I: 596.

Vitaliſque hodie ſancti ſubſtantia panis
Proveniat nobis — —

Quo etiam, quod obſervo, tendit Sedulius carm. l. II: 265. cum, petitionem hanc explicans, dicit, de Chriſto

— — *qui corpore et ore*
Nos ſaturat, *ſimul ipſe manens verbumque cibuſque.*

Negligentiam ſui temporis hac parte variis in locis perſtrinxit Chryſoſt.

§. C. Prolixa, nec inutili, hac tractatione abſoluta, de Veterum fide vel opinione circa euchariſtiam, et verum ejus conſpectum, pro more adcuratius, ſed, quantum pote, breviter,

breviter, differam. Christi carnem et sanguinem sub speciebus panis et vini realiter in eucharistia non adesse, secundum Veteres, quod Catholico-Romani contendunt, cum a Protestantibus, quos ad sec. II. citavi, satis sit evictum, eam disputationem, ne nimis prolixus sim, mittam, et ad veram eorum sententiam de praesentia Christi in ea exponendam, ac demonstrandam, mox accedo. Fuit, ex mea opinione, prorsus eadem, ac quae antea viguit, quamque ad super. sec. in lucem protraxi, divinam scilicet Christi naturam, vel Spiritum, sese cum elementis arcte unire, et vim induere vivificantem, salva materia, et natura panis et vini; fere sicut cum natura humana est unita divina, adeoque Veteres quid plus, quam putant Reformati, in eucharistia admisisse. Quae nostra sententia, antea ex Veteribus adfirmata, his nixa est rationibus: quas strictim exhibebo. 1. Primam suppeditat *consecratio*, ejusque forma, per invocationem Spiritus, ut super dona descendat, eaque sua praesentia, et operatione efficace, faciat *corpus ac sanguinem* Christi. Sic Const. Apost. VIII: 12. fin. orant, ut Deus mittat *spiritum* ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην — — — ὅπως ἀποφήνῃ *ut exhibeat* panem corpus Christi. Eundem prorsus in modum loquitur Cyrill. Hieros. cat. mystag. III. §. 5. et V. §. 5. nec non Basil. M., de *Spiritu S.* c. 27. ubi memorat τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει cum *conficitur panis* corpus etc.; conferatur etiam ipsius Liturgia Op. t. II. p. 679. et Chrysost. hom. in *coemiterii nomen.* Ambrosius, vel quisquis ejus autor sit, precatione I. praeparatoria ad missam Op. t. II. in adpendice ed. nov. *Peto, Domine, clementiam tuam, ut descendat super hunc panem, et calicem istum, plenitudo divinitatis tuae: descendat etiam Domine, illa S. Spiritus tui invisibilis forma, et incomprehensibilis Majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras corpus, et sanguinem, tuum efficiat* etc. Vid. etiam Theophil. Alex. epist. paschal. I.

§. CI. 2. Eodem plane tendit comparatio praesentiae

Christi in pane et vino cum aliis non tantum rebus, divinitatem participantibus, sed et cum habitatione naturae divinae in humana. Cyrill. Hieros. cat. XVI. unguentum chrismatis confert cum pane eucharistico, et illud dicit, praesentia divinitatis Spiritus S. fieri ejus efficiens; sic et panis participat divinitatem Christi: quod cat. XXII et XXIII. quoque haud obscure indicat. Chrysost. de *sacerdotio* lib. III. ignem ab Elia coelitus derivatum comparat cum Spiritu S., in sacrificium eucharistiae illapso; qui de Spiritus S. advocatione in eucharistiam loquitur ibid. l. VI. et in Joh. hom. 45. Cum divinae vero et humanae in Christo naturae unione comparationem directe instituerunt Ephraem Syr., Gregorius Nyssen., Chrysostomus, et alii. Insigne plane est Ephraemi testimonium, quod in duobus ejus sermonibus exstat, ex versione Slavonica, indeque excerptum apud Kohlium, *introduct. in historiam, et rem litterariam Slavonicam* p. 376 et 394., ubi etiam habetur, panem et vinum, corpus et sanguinem Christi per unionem cum divina natura factum, *totum in totum nostrum corpus abire, inque ejus substantiam quasi resolvi.* Benedictus quidem Maronita, qui opera Ephraemi adgressus est Syriace edere, demonstrare conatus est contra Kohlium, sermones non esse Ephraemi, sed ex Joh. Damasceno, et aliis, desumtos, simul docere Transsubstantiationem, in dissert. ad calcem Oper. Ephraemi Syr. vol. II. Sed in cassum. Manifestum quidem est ex disputatis, nec corpus una cum pane, quod Lutherani volunt, nec solum panem, quod Reformati, intelligi, sed nec Transsubstant., quod Romano-catholici, verum salva substantia panis, *ignem et spiritum*, seu spiritum instar ignis, panem occupare totum; cui ingens addit momentum sermo Ephraemi *decimus contra Scrutatores* Op. Syr. t. III. p. 23. ubi, inter alia, haec occurrunt notabilia verba: *in pane tuus occultus interest spiritus, qui non manducatur, ignis, qui non bibitur, ardet in vino tuo. In pane tuo spiritus, ignis in mero tuo, res duae oppido mirandae;*

quas

quae nostra perceperunt labia. Sic et ibid. p. 72. *divini spiritus in igne figuram agnoscito: permiscetur aquis, ut eas ad expiationem elevet, pani se infundit, ut in hostiam sacrificii transferat.*

§. CII. Subtilior Gregorii Nyss. orat. cathechet. cap. 37. Op. t. III. dissertatio huc, ut adtento lectori facile adparebit, non enim totam exhibere licet, redit. Quemadmodum panis, a Christo in carne sumi solitus, divina verbi inhabitatione in ipsius carne, in divinam transiit virtutem, et corpus ejus inmortale constituit; eodem modo, dicit, panem eucharisticum, non per esum Christi, sed sola virtute et unione λόγυ *verbi* πρὸς τὸ σῶμα τῦ λόγυ μεταποιεῖσθαι *in corpus verbi transmutari*, non acsi idem corpus Christi fieret, sed quatenus a credentibus sumtus ad eandem inmortalitatem corporis Christi transformat. Eadem plane mens est Chrysostomi, quoad λόγυ *verbi* inhabitationem, sed alio proposito ratiocinio. Expliciturus contra Apollinaristas, humanam Christi naturam manere salvam per unionem cum λόγῳ *verbo*, seu divina natura, provocat ad panem eucharisticum, ab eadem divina natura insessum, salva panis substantia. *Sicut enim*, inquit, *antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem adpellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis adpellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii praedicatur.* Quae verba, sicut Transubst. certissime jugulant, quicquid Catholico-Romani contra disputent, ut facile adparet, ita divinae naturae unionem cum pane, per quam non est nudum signum, sed ipsum Christi corpus, salva panis natura, fit, eademque gaudet virtute, clare significant. Quod vero ultimis verbis declaratur, *non duo corpora, sed unum esse corpus Filii*, illud cum ad eundem Spiritum utrumque insidentem respicit, tum ad panem, tanquam corporis antitypum, et ejusdem virtutis participem: sicut verba Theodori Antiocheni Ep., in init. sec. sequentis, habent,

prout ea exhibet ex Bullengeri MSS. Albertinus de Euchar. l. III. p. 744. *Quemadmodum ipse rex, et ejus imago, non sunt duo reges, nec quoque duo corpora sunt, ipsum Christi corpus, personale in coelis existens, et panis antitypus ejus in Ecclesiis, per sacerdotes fidelibus traditus.* Occurrunt verba, ex Chrysost. citata, in Epistola ejus ad Caesarium monachum, cujus et alibi meminit Chrysostomus in ep. ad Olympiad. Oper. t. III. p. 577. si pro πλάγιȣ ibi legere fas sit καισαρίȣ, uti ex initio ep. ejus ad Caesarium monachum colligi forte posset. De hac epist., ut et de Veterum opinione de eucharistia, legi meretur Bibl. Ital. t. III. Descripsit epistolam Petrus Martyr, apud Florentinos agens monachum, et apud Crammerum, celeberrimum illum in Anglia virum, reposuit, simul haec verba ex MSS. primus citavit in *Locis* suis *Commun:* Bibliotheca vero Crammeri per intestinos motus lacerata et combusta, delituit aliquandiu Epistola, adeo ut, eam fuisse fictam, suspicio multis fuerit suborta. Sed Emericus Bigotius, Florentiae Dominicanorum perlustrans Codices, in eam incidit, et descripsit, in animo habens eam, cum Palladio *de vita Chrysostomi*, in lucem edere: sed censores eam deleverunt, relicta lacuna in opere Bigotii. Attamen epistola, quam ex amicis ejus quidam surripuerunt, in Anglia lucem vidit, et postea a Jac. Basnagio publicata est, a. 1687. tribus additis dissertationibus. Sed novissime emendatior ac plenior prodiit in edit. Chrysost. Montfalcon. tom. III. Non desunt quidem, uti Montfalcon. in monito praemisso, le Quin diss. Damascen. III. Salig. de *Eutychianismo ante Eutychen*, qui spuriam esse epistolam, et temporibus Nestorii ac Eutychetis, post Synodum Chalcedonensem, confictam esse, contendunt, quia ad formulas loquendi tunc demum introductas respicitur; sed nescio an solide satis; cum in disputationibus Orientalium cum Apollinaristis, haud absimiles occurrant: de quo postea: accedit, epistolam a Joh. Damasceno fuisse agnitam, qui inde fragmenta quaedam citavit. Sed quicquid de autore sit, cum

eum argumentum ab unione divinae naturae cum pane petatur, eam opinionem communiter fuisse receptam, quod mihi sufficit, manifestum est.

§. CIII. 3. Veteres quid plus, quam signum et pignus, in eucharistia statuisse, *verba*, quibus utuntur, vix dubitare sinunt. Adpellarunt jam hoc sec. conversionem panis et vini in carnem et sanguinem Christi. *μεταποίησιν*, *μεταστοιχείωσιν*, uti Greg. Nyss. l. c. *μεταρρύθμισιν*, uti Chrys. hom. de *proditione Judae*, et hom. 82. in Matth. ac alibi *μεταβολὴν*, uti Cyrill. Hieros., Latini *conversionem*, *transmutationem*, *et transfigurationem*; uti Ambrosius. Quae voces nullum plane sensum habent, nisi *realis*, aliqua, qualiscunque sit, mutatio in elementis agnoscatur, et non *relativa* tantum, ut in signis, et nudis typis. Substantiae panis mutationem quidem non denotant, uti a Blondello, Albertino, et aliis, abunde demonstratum est, et inde quoque firmatur, quod similibus usi fuerint Veteres locutionibus, quin fortioribus, de humanae Christi naturae transformatione post resurrectionem, sicut, ne proferam exempla, ipsi Benedictini, novissimi editores Hilarii in Praefat. p. 60. observarunt, quodque verbo *μετουσιοῦσθαι* nusquam fuerint usi: attamen realem aliquam requirunt mutationem, a relativa diversam.

§. CIV. 4. Accedit, Veteres verbum Christi, quo dixit, *hoc est corpus meum*, comparasse cum jussu omnipotente, quo res creatae sunt, et mutationem, quae in eucharistia locum habet, illustrasse ex miraculosis Dei operationibus, uti aquae in vinum, et similibus aliis, eo scopo, ut, nihil a se statui inpossibile, evincant, denique ad omnipotentiam Dei, et veritatem dicti ejus, confugere solere, etsi res nobis videatur inperceptibilis. Vid. Chrysost. hom. 83. in Matth., et homil. de *proditione Judae*, ubi, *non homo est*, inquit, *qui proposita facit esse sanguinem et corpus Christi, sed ipse Christus, pro nobis crucifixus. Figuram inplens sacerdos stat, verba illa proferens. virtus autem et gratia Dei est, hoc meum est corpus inquit*, *τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταρρυθμίζει τὰ προκείμενα*.

μίμημα. Tribuit quoque hom. 24. in Genef. facrae menfae *fplendorem ignis inde refilientis, et vim conflagrantem*, incertum, num figurate tantum loquatur, an ad ignem fenfibilem aliquem in menfa adludat. Ambrof. de *myfteriis* cap. 9. *veram* dicit *effe carnem Chrifti, quae crucifixa eft* — — — addit, *vere ergo illius carnis facramentum eft* (ergo non ipfa carnis fubftantia) rurfus, *poft confecrationem*, dicit, *corpus fignificari* etc. Denique ibid. *in illo facramento Chriftus eft, quia corpus eft Chrifti, non ergo corporalis efca, fed fpiritualis eft* — — — *corpus enim Dei fpirituale eft corpus, corpus Chrifti eft divini fpiritus, quia fpiritus Chriftus.* Corpus ergo Chrifti eft, non vere et carnaliter, fed quia fpiritus, feu divina natura et efficacia, ei ineft. Egregie de *facrament.* IV: 4. *fi ergo tanta vis eft in fermone Domini Jefu, ut inciperint effe, quae non erant, quanto magis operatorius eft, ut fint quae erant, et in aliud commutentur*: quod mox ad panem, corpus Chrifti creatum, adplicat, et ita pergit, *tu ipfe eras, fed eras vetus creatura, poftquam confecratus es, nova creatura effe* coepifti, a Spiritu fcilicet S. occupatus, falva tamen natura humana. 5. Denique, Veteres majorem in pane credidiffe mutationem, quam relativam, et illud arguit, quod panem eucharifticum, a credentibus confumtum, nolint in *ventrem vadere, aut in fecefsionem mitti*, ἀλλ' εἰς [illegible] τὴν οὐσίαν *fed in omnem tui confiftentiam cedere ad profectum corporis et animae*; ut habet Cyrill. Hierofol. cat. myft. V. et Greg. Nyffen. orat. catechet. cap. 37. Emphatica funt verba, quae in hom. IX. de *poenitentia*, inter opera Chryf. t. II. edit. nov. occurrunt, *ne quod panis eft adfpicias, ne quod vinum eft arbitreris: non enim ut ceteri cibi in feceffum abit: abfit! ficut enim cera igni adpofita nihil fcoriae ejicit, nihil excrementi* (fed tota in ignem vertitur) *fic et hic puta myfteria confumi cum corporis fubftantia.* Sed vix dubitaverim, quin fpuria fit homilia, ipfe Montfalcon. dubitat, MSS. toto coelo differunt, nec ftilus eft Chryfoftomi.

§. CV.

§. CV. Perstiterunt itaque quidem in sententia Veterum super. sec.; attamen subtilioribus suis expositionibus, ut in Greg. Nyssen. exemplum est, et inmoderatis hyperbolis, quibus de pane, tanquam ipsissimo Christi corpore, ex Maria nato, ac crucifixo, locuti sunt, et omnia corporis Christi effecta pani tribuunt, e longinquo viam straverunt ad crudum illud *Transubst.* dogma; in quo Chrysost. saepe intolerabiliter luxuriatur. Nec aliam tenuerunt viam in vero conspectu ac efficacia eucharistiae explicanda. Sacrificium proprie dictum non quidem statuerunt esse eucharistiam, sed ejus semel in cruce facti commemorationem, attamen et hyperbolicis locutionibus, et opinione de virtute vivificante, ac effectis eucharistiae ad remissionem peccatorum, occasionem dederunt opinionis, postea ortae, de Missa, tanquam sacrificio propitiatorio. Usi quidem sunt, ut dicta illustrem, nominibus θυσίας et προσφορᾶς *sacrificii et oblationis*, sed sacrificii Christi commemorationem intellexerunt, ut et preces adjungi solitas, ac dona a fidelibus oblata: uti secul. superioribus, Chrysost. hom. XVII. in Ep. ad Hebr. *unum est sacrificium, non aliud, sed idem semper facimus,* μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας *potius vero recordationem operamur sacrificii.* Vid. et Hom. L. ad Matt. et LXXXII. Sic et Basil. M. moral. Regula LXXX. c. 22. qui ad Jes. I. unum tantum sub N. T. sacrificium agnoscit, a Christo in cruce oblatum. *AEterna redemtione inventa*, verba sunt Ephraemi Syri in Paraenet. Oper. Syr. tom. III. p. 555. sed secundum nimis liberam, et minus fidelem, versionem editoris, *sacrificium tuum super altare continuo renovas, nostrisque labiis degustandum exhibes calicem salutarem:* textus enim Syr. tantum habet, *tu sacrificium super mensa nostra.* Usum et fructum eucharistiae, in Christi pia commemoratione situm, egregie expressit autor homiliae de *Spiritu S.* sub nomine Basilii M. Oper. tom. II. Vid. et *de baptismo* l. I. c. 3. ibid., qui locus contra Transubst. et Missam est luculentus. Conferatur quoque Euseb. ad Ps.

XCI. Sic et sacrificia nostra spiritualia sunt, inquit Chrysost. hom. 27. in Genes. *preces, et eleemosynae;* Vid. et Euseb. ad Ps. LXXXVIII et XCV. Sacerdos Novi Test., inquit Gregor. Nazianzenus Orat. I. p. 31. *ad supernum altare sacrificia transmittit, cum Christo sacerdotio functus*, vid. et p. 38. ubi euchariftiam etiam adpellat *magnorum mysteriorum antitypum.* Sicut Orat. III. in Julianum p. 70. *sacrificium per quod nos Christo, ejusque passionibus, et divinitati, communicamus.*

§. CVI. Quod vero ad hyperbolicas phrases, et opiniones de efficacia eucharistiae, quarum memini, adtinet: mensa adpellata fuit *altare*, ministri *sacerdotes*, eucharistiae celebratio θυσία ἀναίμακτος *incruentum sacrificium*, ζωοποιὸς *vivificum*, φοβερὰ καὶ φρικώδης *timendum et tremendum*, τελεστικὰ μυστήρια *vim perficiendi habentia mysteria*, et quae alia sunt epitheta similia, a Suicero Obs. S. c. 4. jam producta, et ubique apud Veteres obvia: ad quae accedit comparatio cum sacrificiis legalibus satis frequens: Ambrosii verba Off. l. I. c. 48. suffecerit recensuisse, *Umbra in Lege, imago in euangelio, veritas in coelestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, qua homo quasi recipiens passionem, et offert se ipse qua sacerdos. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis qua advocatus intervenit* etc. Vid. etiam ad Ps. XXXVIII., ex hoc loco explicandum. De efficacia eucharistiae emphatice admodum locuti sunt. Missis, quae supra ex Gregor. Nyssen. adtuli, et formulae habent liturgicae, modum excedentia, Epiphan. in *anacaephal.* §. 7. pani tribuit τὴν δύναμιν *vim superne additam* εἰς ζωογόνησιν *ad vivificationem.* Athanas. tract. in illud Euangelii, *qui dixerit verbum contra Filium*, dicit *carnem Christi nobis* in eucharistia πνευματικῶς dari φυλακτήριον εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου *phylacterium ad resurrectionem vitae aeternae.* Imo eos, qui, sumta eucharistia *in agone, decedunt, bona conscientia gaudentes*, ob ipsum illud ab Angelis in coelum vehi, declarat Chrysost. de *sacerdotio* l. VI. Ambrosius

vero,

vero, vel autor libri, inter ejus opera, de sacrament. l. VI. c. 1. dicit, *qui panem, divinam naturam significantem, accipit, divinae Christi substantiae fit particeps.* Plura alia praetereo.

§. CVII. Totius cultus publici forma in lucem protracta, reliquae cultus ritualis partes enarrandae sunt, quarum etiam praecipua sit *Baptismus*, ejus adcuratior est danda notitia, in primis, quod semel monuisse suffecerit, petita ex Constit. Apost. l. VII. Cyrilli Hieros. catech., maxime *mystagogicis*, Pseudo-Dionys. Areopag. in Hierarch. Eccles., Gregor. Naz. Orat XL. de *baptismo*, Nyssen. *adversus eos, qui differunt baptismum*, Oper. t. II., Basilio M. *de Spiritu S.* cap. 27. denique Ambrosio, sive vere, sive ficto, *de sacramentis*. *Elementum* situm fuisse in *aqua*, ab omni admixtione inmuni, testatissimum est. *Nec iterum*, inquit Ambros. *de iis, qui initiantur, sine aqua regenerationis mysterium.* Aquae vero *consecratio*, ut antea, locum quoque habuit, addito transitorio *crucis* signo, quae invocatione Spiritus S. fiebat: ut ex autoribus citatis patet; formulam precationis exhibent Const. Apost. De signo crucis quoque testatur Chrys. hom. 54. in Matth. *cum regeneramur, crux Domini adest.*

§. CVIII. Actus *praecedentes* fuerunt, cum praeparatorii, tum proxime cum baptismo connexi. Ad *praeparatorios* pertinet, praeter nomina baptizandorum inscriptionem diptychis Ecclesiae, una cum susceptorum, et examen saepius repetitum, 1. confessio peccatorum, seu ἐξομολόγησις, poenitentia et jejunium. De confessione vid. Milles ad Cyr. Hier. cat. I., nec tamen specialis, sed generalis tantum requisita fuit confessio, secundum Chrys. hom. XXI. ad Antiochen. Imo Ambros. de sacram. l. III. c. 2. dicit, *etiam si non confiteatur peccatum, qui venit ad baptismum, tamen hoc ipso complet confessionem omnium peccatorum, quod baptismum petit, ut justificetur*, etc. 2. *Exorcismus*, caeremoniis insufflationis, manus impositionis, et signi crucis, sed in

 fronte

fronte tantum, tanquam passionis et crucis, ac Christianismi signo, ut habet August. *cat. rud.*, vestitus; cujus tamen praecipua virtus fuit precibus, ad certam formulam fundi solitis, adtributa, quibus animae purgationem, et a malo spiritu liberationem, orabant, quo etiam phrasis *ignis exorcismi*, quo anima purgatur, et spiritus malus quasi exuritur, respicit. Sed memorat quoque Ambros. ritum illinendi oculos catechumenorum luto, et aures eorum tangendi, addita formula, *ephphata*, quod est *aperire:* cujus nescio an alicubi apud alios exstet mentio. *Aures* et *nares* sputo tangi, tradit Theodulfus de *ordine baptismi*, sec. IX. scriptor, in Oper. Sirmondi t. II. Nihil etiam occurrit de face ardente, a catechumenis tempore exorcismi gestari solita, cujus meminit Alcuinus, *de divinis officiis*, sec. VIII. Ceterum tota actio, in precibus, exorcismis etc., traditione symboli Apostolici, ac orationis Dominicae, sita, vocabatur *scrutinium*, saepius ad animos catechumenorum explorandos institutum. De quo vid. Martene antiq. Eccles. rit. l. I. part. I. cap. I.

§. CIX. Proxime cum baptismo conjuncti actus fuerunt sequentes. 1. *Unctio*, in signum certaminis et exercitii per Spiritum S., instar athletarum: cujus, praeter Cyr., Ambros. et Const. Ap., quoque meminit Pseudo-Just. Mart. quaest. 137. ad Orthodoxos, et Chrys. hom. VI. ad ep. ad Coloss., probe ab ea post baptismum distinguenda: ante baptismum dicta est χρίσις μυστικὴ, etiam ἐπορκιστὸν ἔλαιον, et a Diacono fiebat, altera vero illa χρίσμα *Chrisma* adpellatur, et ab Episcopo vel Presbytero peragebatur. Apud Orientales in usu erat totius corporis unctio, sed Occidentales harum illarumve partium. Vid. Touttee in monito praemisso cat. XX. Cyrill. 2. Nominis inponendi consuetudo: uti docet Martene l. c. sed quam negat Menardus ad libr. sacram. Gregor. M. Oper tom. III., nisi cum infans octavo natalis die, aut antea, baptizaretur. 3. Requisita fuit a baptizando, solennis abrenunciatio Diaboli, pompae, spectaculorum,

et operum ejus: quae formula, in libris Const. Ap. obvia, adhuc obtinuit tempore Cyrilli Hier. cat. myst. I., etiam Salviani, in lib. de Providentia c. 6. Fiebat autem renunciatio verbis et gestibus, facie ad occidentem, unde tenebrae, versa, et ter repetebatur: uti ex Cyr., Greg. Naz., et Dionys. Areop. l. c. constat. β. Stipulatio obedientiae Christi, non tantum fidei, sed et bonorum operum, respectu, ut multis probat August. *de fide et bonis operibus*, facie ad orientem flexa, versus Paradisum, ut putabant, et solem: vid. et Ambros. de myster. c. 2. ubi de Christo interpretatur. Graecis dicebatur συντάσσεσθαι χριστῷ *Christo adscribi*, et Lat. *promissum*, *pactum*, *votum*. De quo etiam vid. Basil. M. hom. 13. *exhortat. ad baptismum*, et Chrys. hom. XXI. ad Antiochen. et VI. ad Ep. ad Coloss. Ceterum spiritualem significatum abrenunciationis Satanae, et stipulationis Christi, aliorumque rituum, exponit Cyrill. Hieros. cat. XIX. Sequebatur tunc γ. solennis et publica *fidei confessio*, manibus oculisque ad coelum elevatis, eaque ter repetita, sive trina responsione ad diversas symboli partes: quam ex trina interrogatione Petro facta derivavit Cyrill. Alexandr. ad Joh. Fiebat utique responsio, non tantum ad unum articulum, *credo Filium Dei esse Jesum Christum*, sed ad omnes, uti contra nonnullos, qui ad unum illum volebant, probat August. de *fide et operibus*. Fuit quidem antea in diversis Ecclesiis Symbolum diversum, sed postea Nicaenum, vel Nicaeno-CPolitanum, obtinuit. Ceterum fidei confessionem fuisse quoque libro a baptizandis inscriptam, nonnulli quidem opinantur, quod eo respicere videantur Greg. Naz. et Ambrosius l. cit. sed illi figurate possunt intelligi, et Chrysost. hom. XXI. ad Antiochen. contrarium docet, dicens, *Christus non testes, non chirographa, a nobis exigit, sed sola contentus est voce.*

§. CX. Ad *essentiales* baptismi actus pertinet 1. *immersio*, qua vestibus exuti inmergebantur nudi, nullo virorum et mulierum facto discrimine, nisi quod locis baptizarentur

 sepa-

separatis, Chryf. Epift. I. ad Innocentium, et hom. VI. ad ep. ad Coloff. Ex iconibus apud Mabillonium *itin. Ital.* p. 72. recentiorum temporum fi ad antiquiora colligere liceat, quod nefcio num fas fit, omni vefte non fuerunt nudati. Eft autem de inmerfione res teftatiffima, nec dubia. Vid. Voffius difp. II. de Baptifmo, et Suicerus in Theff. Ecclef. ad verbum ἀναδύεσθαι. Adpellabatur enim καταδύεσθαι *inmergi*, oppofite ad ἀναδ. Obfervat etiam Mabillon. l. c. p. 81. eos, qui in baptifteriis tingebantur apud Catholicos, inferiore tantum corporis parte fub aquis fuiffe, in fuperiorem partem aqua ex ampulla effufa. Eunomianos vero ad pectus tantum usque madefeciffe aqua tradit Theodoret. haer. fab. l. IV. fed *capite demerfo et pedibus erectis*, Epiph. haer. 76. unde *hyftopedes* feu *pederecti* vocari cenfentur. Vid. Gothofr. ad cod. Theod. l. XVI. tit. V. de haereticis, ubi pro Eunomiani *fpadones* legendum cenfet *hyftopedes*; fed de quo poftea. Attamen *adfperfio* locum habuit in extremo vitae momento, quales *clinici* dicebantur, can. 47*mo* Laodiceno, nec non ubi aquae tanta deficiebat copia, ut exemplum eft in Laurentio, fecundum acta ejus apud Surium, tom. IV. 2. Trina vero obtinuit inmerfio, in fignum Trinitatis, et triduanae Chrifti fepulturae; ut autores citati docent. 3. Denique in nomine *Patris*, *Filii*, *et Spiritus S.* Quae formula, non tantum, ut antea, ufitata erat, fed et pro neceffaria habita: can. Apoft. 49. Athanaf. Orat. IV. contra Arianos, et Epift. ad Serapionem, Greg. Naz. Orat. 24. Bafil. M. de Spiritu S. cap. 12. Ambrof. de Spir. S. l. 3. *plenum facramentum eft*, dicit, *fi Patrem*, *Filium et Spiritum S. fatearis*; *fi unum neges*, *totum fubruis*, quare talem baptifmum declarat nullum; cui non repugnat, quod addit, *fi unum in fermone comprehendas aut Patrem*, *aut Filium*, *aut Spiritum S.*, *fide autem nec Patrem*, *nec Filium*, *nec Spiritum S.*, *abneges*, *plenum eft fidei facramentum:* cum non de formula baptifmi loquatur, fed de refponfo baptizandi ad interrogata, adeo ut fi de una tantum perfona roga-

rogatus, et recte respondisset, legitimus ejus sit baptismus, quod recte de Trinitate sentiat; uti in not. a Benedictinis recte est observatum. Censuerunt vero, eos, qui in Trinitatem non baptizabantur, formula illa non observata, esse rebaptizandos, ut Sabellianos, quibus Montanistae adjunguntur, et Eunomianos, una demersione usos, can. 8 Laodicen. et Basil. M. ep. canonica I. c. 1. Montanistas in Patrem, Filium, et Montanum, Priscillamve baptizare, et propterea rebaptizandos esse, traditur: sed de quo hic non est agendi locus. Pauli Samosat. adseclas, ob adulteratam formulam, esse rebaptizandos, sanxisse Syn. Nicaenam, refert August. haeres. c. 44. Eunomianos vero, spreta formula usitata, in mortem Christi tinxisse, autor est Socrat. H. V: 24. Arianos formulam quoque mutasse, quod nonnullis visum est, non constat. Athanas. quidem Orat. III. contra eos, habet, eos in nomine *creatoris et creati* baptizasse, sed de re ipsa, non de formula, loquitur. Autor vero vetustissimus *breviarii fidei contra Arianos* apud Sirmond. Oper. t. I. p. 230, 237. diserte testatur, eos solennem baptismi formulam ausos non fuisse mutare. Vid. etiam can. 17. Arelat. II.

§. CXI. Inter actus *consequentes* primum, et praecipuum, locum tenet *confirmatio*, sed nondum eo nomine, verum *unctionis*, *inpositionis manuum*, *et signaculi*. Ritum enim eum constituebant χρίσμα *unctio*, χειροθεσία *manus inpositio*, *et signum crucis*, quod σφραγὶς *signaculum Domini* vocatur: unde universus ritus nomen *consignationis* traxit apud Latinos, sicut *signaculi* nomine insignivit Ambros. de *Mysteriis* c. 7. Legi autem de hoc ritu debent Const. Ap. VII: 43, 44. Cyrill. Hierosol. cat. myst. III. et canon 77. Illiberitanus. Unde patet *a. confirmationem*, ut eo nomine, postea usitatiore, utar, baptismo adjungi solitam fuisse, nisi forte absens esset Episcopus, aut alius prohiberet casus, ita ut adpendix fuerit baptismi, non distinctum sacramentum. Sic Pacianus, Episc. Barcinonensis, serm. de *baptismo*, tres ejus partes recenset, *lavacrum*, *chrisma*, *et benedictionem Antistitis*.

 Vid.

Vid. et, praeter autores in initio cit., Dionys. Areop.; et Ambrosium, canon 48. Laodicenus. Qui mos, confirmationem subjungere baptismo, diu in Ecclesia Latina mansit, usque ad 13*tium* sec., quando obsolevit, exceptis nonnullis Ecclesiis, sed apud Orientales semper duravit, Vid. Martene l. c. cap. II. β. Unguentum Chrismatis fuisse consecratum, et ita a Spiritu S. censitum insessum, adeo ut eandem, quam aqua baptismi, et panis ac vinum Eucharistiae, subierit mutationem: uti diserte Cyrill. Hieros. l. c. Denique γ. effectum ejus fuisse creditum confirmationem animarum gratia Spirituali, et donationem Spiritus S. a parte Dei, et factae professionis a parte hominum: quare βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας καὶ σφραγὶς τῶν συνθηκῶν *confirmatio confessionis, et signaculum pactorum* vocatur Const. Ap. III: 17. et VII: 22. Baptismus censebatur remissionem peccatorum ac regenerationem adferre, Chrisma vero gratiam Spiritus S. sanctificantem et confirmantem, simul adoptionem et dona subinde extraordinaria. Vid. Touttee ad Cyrill. diss. 3*tia*. Ex quo, quam facile in distinctum sacramentum degenerare potuerit, sicut postea factum est, elucescit. Hisce addatur, ritum fuisse necessarium habitum in complementum baptismi, et voluntarium neglectum censura quoque Ecclesiastica punitum: can. 38. Illiberit. et 12. Neo-caesar: attamen si quis post baptismum, ante confirmationem, fuisset mortuus, aut sine culpa sua ea careret, solum sufficere baptismum, crediderunt: can. 77. Illiber. et Const. Ap. VII: 22. 24. Ceterum notari meretur, Novatianos non habuisse Chrisma secundum Theodoret. haeret. fab. l. III: 5.

§. CXII. Reliquos ritus subsequentes levidensi brachio perstringam. 1. Baptizati *candidis* ornabantur vestibus, inde λευχειμονοῦντες dicti Cyr. cat. myst. IV. et ipsae vestes *indumentum Christi* ac *mysticum*: Socrat. H. V: 8. Sozom. H. VII: 8. quas plerumque gerebant in signum laetitiae, et communionis cum Christo, per *octo* dies, quando in Ecclesia reponebantur adservandae: quod cum *dominica* post pascha

pascha fieri solebat, August. hom. 86. *de diversis*, dies inde dominica *in albis* censetur adpellata. Erant autem vestes illae subinde valde splendidae, et sumtuosae, unde objectio nonnullorum contra baptismum nata est apud Greg. Naz. or. XL. *de baptismo*, *ubi est* ἐμφάνειος ἐσθὴς *splendida vestis?* Ceterum, cum novi *liberti* apud Romanos, ut constat, *albis* vestibus fuerint induti, Veterum vestes *nuptiales* etiam candidae, eo respici potuit, nuptiarum enim conspectum quoque gerebat baptismus: Cyr. Hierosf. Procatech. §. 3. Ambros. *de his*, *qui initiantur*. Alias dedit rationes Milles ad Cyr. cat. III. Eodem 2. tendebat ceremonia, cum superiore arcte conjuncta, *ardentes candelas* in manibus gestandi, cujus Greg. Naz. l. c. meminit, in signum illuminationis, et vitae aeternae. 3. *Osculum* pacis quoque adhuc in usu fuit, in signum amicitiae, etiam reconciliationis cum Deo, Chrys. serm. *de utilitate legendi scripturam*. 4. *Lac et mel* dabatur baptizatis gustandum, in signum novae nativitatis spiritualis. Hieron. ad Jes. LV. et contra Lucifer. c. 4. Imo, quod notandum, in usum jam irrepsit *consecratio* lactis et mellis, sed ab ea eucharistiae diversa. Can. 37. cod. Ecclesiae Africanae, ubi additur, *mel et lac uno die solennissimo* (sabbato magno antepaschali) *solere offerri in mysterio infantum*, h. e. recens baptizatorum, sic mystice dictorum: qui infantum titulo quoque insigniuntur ab August. ad 1 Joh. I. tr. I. Non itaque, quod Salmas. apud Suicer. Th. Eccles. in συνάξει opinatur, locum eucharistiae supplevit, cum infantes etiam ad eucharistiam fuerint admissi. 5. Inter actus consequentes quoque locum tenet *eucharistiae* participatio, quippe ad quam mox admittebantur, uti diu post adhuc in Ecclesia obtinuit, donec sec. XVI. mos iste fuerit inter Latinos abolitus, Martene de ant. rit. Eccles. l. cit., praeterea *orationis dominicae* recitatio, Chrys. hom. VI. ad Ep. ad Coloss., quam *stantes* faciebant, Const. Ap. VII: 44. Denique 6. *pedum ablutio* in Ecclesiis nonnullis Latinis obtinuit, uti Gallicanis, etiam Mediolanensi,

si autori librorum de *sacramentis*, sub nomine Ambrosii, fidendum sit, nunquam in Romana. De quo vid. Benedictini in not. ad l. c. l. III. c. 1. Illiberit. vero concilium abrogavit in Hispania, can. 48., ubi etiam vetatur, *nummos in concham mittere*, ne sacerdos pretio videatur distribuere dona Dei. Quod et alia concilia deinceps sanciverunt. Vid. Martene l. cit. cap. I.

§. CXIII. *Locus* baptismi, ut de circumstantiis *locorum et temporum* ejus, quid moneam, erat usitatus *Ecclesia*, seu aedes sacra, licet in casu necessitatis alibi quoque licuerit, extra quem casum erat vetitum., Justinian. Nov. 42. et 58., ubi iste abusus vocatur παραβαπτίζειν. Quem in finem erant *baptisteria* in Ecclesia; de quo mox. Mansit tamen in nonnullis desiderium baptizandi in Jordane, uti in ipso Constantino M., Eus. vit. Const. IV. 62. Stata licet fuerint baptismi *tempora*, mox recensenda, casibus tamen extraordinariis, uti in graviore morbo, aut cum catechumenus eximie profecerit, aliis quibuscunque temporibus licitus fuit baptismus: quod de Ecclesiis Orientalibus testatur Basilius M. in *exhortatione ad baptismum*, et Chrys. hom. I. in Act. Apost. Erant autem solennia illa tempora Pascha, Pentecoste, et Epiphania, seu dies, quo Christus censitus fuit baptizatus, inde τὰ φῶτα *dies luminum* dictus a Greg. Naz. Orat. 40. de *baptismo*. Solenniora tamen erant *paschatis*, Pentecostes, et spatii intermedii, tempora, Chrys. ep. ad Innocentium, et Const. Ap. V. 19. Solis diebus Paschatis baptizari in Thessalia, tradit Socrat. H. V. 22. Qui stati in Ecclesia dies continuarunt usque ad finem sec. XI., quando mos iste coepit abrogari, teste Theophilacto ad Luc. X. Ceterum Hierosolymis fiebat quoque baptismus festo dedicationis Ecclesiae in monte Calvariae anniversario, Sozom. H. II. 26., qui erat, ut ibi observat Val. les., dies 13tius Septembr. Seculo sequente nonnullae Ecclesiae in Hispania et Italia id fecerunt in *natalitiis* martyrum; quod vetuit Leo M., ep. 136.

§. CXIV.

§. CXIV. Nihil superest, quam ut Veterum opinionem de *natura*, *effectis*, *et necessitate* baptismi exponam. Eos hac de re idem sensisse, et eodem modo locutos esse, ac de Eucharistia, sicut antea, ut supra observavi, ab aliis jam est notatum, et a J. Basnagio hist. Eccles. l. XIV: 5. per partes demonstratum, ut postea vidi, sed in specie aquam in baptismo crediderunt eandem subire mutationem, ac panem et vinum in Eucharistia, in unione cum divina natura sitam: quod idem de chrismate sacrato statuerunt. Cyrill. cat. myst. III. et Greg. Nyss. de *baptismo* Christi, op. t. III. Ambros. *de his*, *qui initiantur* c. 3. etc. et autor de *Sacram.*, sub nomine Ambrosii, l. I et II. Quo etiam pertinet, quod ad Luc. l. II. §. 79. dicit, *in ipso fonte sanctificationem divinitatis adspirare*. Excerpta Ephraemi Syri, et Jacobi in Oper. Ephr. Syriacis t. I. p. 118. habent, *per Spiritum aquis incubantem*, Gen. I., *fuisse baptismi sacramentum praesignatum*, *fore aliquando*, *ut*, *ejusdem Spiritus divini illapsu foecundatae*, *filios Dei procrearent*. *Duabus rebus* constare baptismum dixit etiam Gregor. Nazianz. Orat. XL. *aqua* scilicet, et *spiritu*, *illa visibiliter et corporaliter accepta*, *hoc vero incorporeo et invisibili*, *modo conveniente*. Sic et Orat. X. recens baptizatum adpellat *animam recens creatam*, *quam Spiritus per aquam ἀνεμόρφωσεν reformavit*, Gregor. Nyss. l. cit. *hoc beneficium non aqua largitur* — — — *sed Dei praeceptum*, *et Spiritus* — — *ἐπιφοίτησις accessus*. Effecta itaque regenerationis, remissionis peccatorum, ac juris ad vitam aeternam, statuerunt cum baptismo esse conjuncta, nec tamen ab aqua, sed a Spiritu, cum ea unito, derivanda. Ita praeter Cyrill., Gregor. Naz. et Nyssen., locis in principio citatis, Chrysostomus hom. X et XXXVI. in Joh. et ad Rom. IX. ac hom. III. ad 1 ad Cor. ac Ambros. de *poenitentia* l. I. c. 8. instituerunt. Cyrill. in Procatech §. 16. inter alia encomia baptismum adpellat *signaculum sanctum indissolubile*: quod characteris baptismi est aliquod testimonium; vid. etiam cat. II et III., ubi Spiritui S. ea adscri-

bitur obſignatio. Praeterea, peccatorum maculas, ante commiſſorum, elui dicit cat. XIX. per baptiſmum. Peccata in baptiſmo remitti etiam adſerit Ephraem Syr. in *reprehenſione ſui* Op. Graec. t. I. p. 170. edit. nov., ubi pro Ϲώματός leg. Ϲαλίαμ. vid. p. 137. Sed ſingulare eſt, quod, noſtra propria peccata per baptiſmum, haereditaria vero per lotionem pedum, tolli, dicat Ambroſius de Myſter. c. 6., quod de concupiſcentia, quae in renatis ſupereſt, exponunt Benedictini in not. Chryſoſt. hom. I. ad *illuminandos* Op. tom. II., ubi effecta baptiſmi recenſet, peccatorum quoque memorat remiſſionem, et regenerationem. Peccata, ante commiſſa, per baptiſmum remittuntur, ſed poſt patrata, per poenitentiam, ibid. de Pentecoſte, et Gregor. Naz. Orat. XL. de baptiſmo. Vid. etiam Lactant. Inſtit. l. III. c. 26. ubi ejus effecta, ſed per gratiam Spiritus S., mirifice, et hyperbolice nimis, deſcribit: *uno lavacro*, inter alia dicit, *malitia omnis abolebitur*, — — — *gratis iſta fiunt facile, cito, modo pateant aures, et pectus ſapientiam ſiſtat.* Veteres, ut homines ad baptiſmum exhortarentur, valde oratorie, et hyperbolice, de baptiſmi effectis ſunt locuti: unde multi ſunt orti errores. Elogia, quibus baptiſmus fuit ornatus, fuerunt varia, et ſingularia, ut et ejus nomina: quae recenſuit Suicer. Obſ. S. cap. 3.

§. CXV. Ex quibus omnibus facile colligitur, baptiſmum ab ipſis fuiſſe ad ſalutem habitum *neceſſarium.* Imo ſaepe de eo tanquam abſolute, et ſimpliciter, neceſſario loquuntur, ita ut ſine illo nulla ſit ſalus; ad eum quoque referentes dictum Chriſti Joh. III. *niſi quis regenitus fuerit* etc. Chryſoſt. hom. III. in 1 ad Cor. *impoſſibile eſt*, inquit, *ſine baptiſmo regnum conſequi, ſine ipſo ſervari:* ſic et alibi ſaepe, uti hom. III. ad Ep. ad Philipp., XXV. ad Johann. de *ſacerdotio* l. III. c. 5. de *conſolatione mortis*, et alibi, Cyrill. cat. myſt. III. etiam Gregor. Nazianz. *Oratione in ſanctum lavacrum*, et Nyſſenus *adverſus eos, qui differunt baptiſmum.* Attamen, ubi moderatius et exactius loquuntur, nonnulla addiderunt

tem-

temperamenta. Illos, qui sine sua culpa sine baptismo decedunt, nec in coelum, nec in gehennam, sed in locum medium venire, si pie vixerint, declarat Greg. Naz. Orat. XL. p. 653. Sanius alii dixerunt, baptismi desiderium, et pietatis studium, supplere defectum baptismi, ut Ambros. de obitu Valentiniani jun., sine baptismo mortui. Denique per *martyrium* id plenissime fieri, communis fuit opinio, propterea etiam *baptismi martyrii* nomine insignitum. Vid. Cyrill. cat. III et XIII. Basil. M. de Spiritu S. cap. 15. Chrys. hom. XI. in ad Ephes., et in S. Lucianum, Const. Ap. V: 6. Ambrosius de Virginitate l. III. Prudentius de *coronis* hymn. XIII. de loco, quo martyres sunt passi, aliis ut Augustin. de *civitate Dei*, XIII: 7. et ep. 108. ad Seleuciam.

§. CXVI. *Locorum* sacrorum, quae, una cum *temporibus*, ad circumstantias cultus religiosi, nunc describendas, tractatione de *objecto et partibus* cultus absoluta, pertinent, respectu, ingens accidit mutatio, sive nominum, sive dispositionis, sive ornatus, sive honoris et reverentiae, habeatur ratio. Quod 1. ab Inperatoribus, Christianis factis, magnificentiam, quin pietatem, ut vulgo credebatur, in Templis exstruendis, ostentantibus, derivandum est: quales hoc seculo fuerunt Constantinus M., Constantius, et successores. Constantinus M. splendida, per omnes fere Orientis partes, aedificavit, Hierosolymis, ex. gr. Antiochiae, Nicomediae, Heliopoli in Phoenicia, et omnium splendidissimum Constantinopoli in honorem Apostolorum, *Ecclesiae Constantinianae* nomine insignitum Euseb. vit. Const. III: 50 et IV: 58. Constantius Ecclesiam, quae *Sancta Sophia et magna* dicta est, cujus fundamenta jecerat Const. M. exaedificavit, et dedicavit, a. 360. Socrat. H. II: 16. 2. Gentilium quoque Templis in Ecclesias conversis, quod a Theodosii temporibus incepit, cum antea occlusa fuerint vel diruta, de quo postea, acceptum ferendum est. Multum 3. eo etiam tribuit opinio, a Judaeis et Gentilibus derivata, de externo Sa-

crorum splendore, Deo grato, et pietatis indicio. Unde ingens etiam donariorum copia, et ita inmensae divitiae, in Ecclesiam confluxerunt. Cum itaque Templorum notitia haud exiguam historiae hujus seculi partem faciat, nec nullius sit utilitatis, paulo prolixior ero in Templis describendis, respectu *nominum*, *structurae*, *ornamentorum*, *et venerationis*.

§. CXVII. *Nomina*, antea usitata, fuerunt *Ecclesia*, pro domo congregationis religiosae sumta, *domus Dei*, *columbae*, quia Symbolum est Spiritus S., *oratoria*, Gr. εὐκτήρια, quia domus precum erat, denique, ne alia memorem, *dominicum*, unde mansit nomen *Dom*, *et Domheer*, Gr. κυριακὸν, unde *Kerke*, voce in Anglia orta, ubi Graeci plantaverant Ecclesias, et inde ad Germanos ac Belgas translata, Bevereg. ad *canones Ancyranos*. Sed hoc saeculo invaluerunt alia: uti 1. *Basilicae* Gr. ἀνάκτορα: nomine a palatiis, aulis, aliisque publici usus aedificiis, eo nomine ornari solitis, ducto, cum multa ejusmodi aedificia, in Ecclesias conversa, nomina cum iis communicarunt, maxime si splendidae essent Ecclesiae domus. 2. *Templorum* nomen, antea Gentilibus proprium, et Christianis odiosum, pro Ecclesiis quoque adhiberi coepit, ab ipso Lactant. Instit. l. V. et Euseb. H. l. X. et aliis deinceps; licet in Cod. Theodos. vox absolute posita, de Gentilium aedibus adhibeatur, uti Gothofr. ad lib. XVI. tit. de *fide catholica* non neglexit observare. *Fanorum* tamen nomen adhuc relictum est Gentilibus, vel haereticorum aedibus adplicitum, uti ab Ambros. ep. 40. ad Theodosium. 3. Ecclesiae, super martyrum sepulchris exstructae, vel eorum nominibus, ut memoria eorum conservaretur, inscriptae, μαρτύρια dictae sunt Graecis, et Lat. *memoriae* martyrum, etiam coemiteria, sepulchra, subinde et *tropaea*: Gentiles adpellarunt ipsi τάφυς sepulchra, propter martyrum reliquias, Vales. ad Amm. Marcell. p. 252. Quod si, cujus memoria conservaretur, esset propheta, adpellabatur προφητεῖον, si Apostolus ἀποστο-

λεῖον.

λαῖον. Fuit utique ex. gr. Chalcedone *Apostolium*, in memoriam Pauli et Petri, Sozom. H. VIII: 17. *Prophetium* Samuelis apud Theod. Lect. l. II. *Martyrium* Tomae Edessae Socrat. H. IV. 18. Petri et Pauli Romae ibid. 23., Euphemiae Chalcedone ib. VI: 6. Christi Hierosolymae, in memoriam *passionis et resurrectionis:* sed Basilica major Carthagine fuit adpellata *restituta*, forte quod, a Donatistis occupata, postea fuerit Catholicis reddita, August. Serm. XIX. *ad loca Script. S.* Sicut Constantinopoli fuit nomine *Anastasiae*, in memoriam fidei purae, per Gregor. Naz. ibi restitutae, ut in ejus vita narravi. Alia nomina praetereo, ut ex. gr. *συνόδου conventus* apud Eus. H. E. IX: 1. et ep. 221. inter Basilianas: ubi vid. notae: verbo memorasse distinctionem *matricis* Ecclesiae et *dioecesanae* contentus, quae in nonnullis canonibus Ecclesiae Africanae occurrit. *Prior* dicta est, quam Episcopus dioecesios administrabat, alias etiam cathedra principalis, vel Ecclesia Catholica adpellata, Vales. ad Theodor. Lect. l. I., *posterior* est, quae postea *parochialis* dicta est, et Episcopali Ecclesiae subjecta, ac a presbyteris recta.

§. CXVIII. De Ecclesiarum dispositione, ac *structura*, ad quam pergo, ex Veteribus legendi sunt Euseb. H. X: 4. et vit. Const. M. III: 37. Greg. Naz. in *somnio Anastasiae*, Const. Apost. II: 57. et Paulinus Nolan. ep. 12. ad Severum ex Recentioribus Bevereg. ad can. Nicaen. in *Pandectis can* Leo Allatius de *Templis*, du Fresne in hist. Byzant. p. II Toutee ad calcem Cyrill. Hierosf., ubi Templum Hierosolymae, hoc tempore exstructum, describit, alii satis noti Nos paucis, veteres in primis secuti duces, defungemur. Licet Ecclesiae diversae fuerint *formae*, aliae oblongae, instar navis, Const. Ap. l. c., aliae rotundae, uti in monte Golgothae Eus. vit. Eus. Const. M., aliae formae ὀκταέδρου *octaedri*, ut Antiochiae, Eus. ib., aliae instar crucis, ut Apostolorum CPoli, Greg. Naz. carm. 9. praeterea diversae etiam positurae, ita ut aliae introitum habuerint versus Occiden-

cidentem, locum altaris versus Orientem, quae communior fuit, Gentilibus quoque antiquitus in usu, quorum aedes sacrae ad Orientem spectabant, ob solem, in ejus honorem, Christianis in honorem Christi, veri solis: Savaro ad Sidon. Apollin. l. II. ep. 10. Aliae situ plane inverso, ut Socrat. H. V: 22. de Antiochena refert, et Paulinus Nol. de sua structura l. c.: partes tamen eaedem passim fuerunt, eaeque tres, *Narthex*, *naos*, *et bema*: de quibus agendum est.

§. CXIX. Ante Narthecem in majoribus Templis erat *vestibulum*, seu προπυλον primum, quod ingressuro, fronte ad ortum versa, occurrebat, dein *area* spatiosa (seu *atrium et inpluvium*, locus sub dio) quae porticibus, στοαις, undiquaque circumsepta erat; ubi, sive in atrio, sive in porticibus, stabant poenitentes primae classis Eus. H. X: 4. In medio vero atrii erat *fons*, vel cisterna, in usum introeuntium, ad manus faciesque abluendas ante introitum. Eus. l. c. adpellat κρῆνας, Socrat. H. II: 38. φρεαρ, ab aliis *nymphaeum*, ἐμβάτης, κολυμβεῖον vocatur. De quibus fontibus, et more lavandi, saepe loquitur Chrysost., et eo etiam respicit Cyrill. Hier. cat. 23. Sed in hujus consuetudinis locum postea successit *aqua benedicta*, seu lustralis, ansam praebente more Gentili, Sozom. H. VI: 6. Erant etiam in Templis AEgyptiorum eum in finem περιῤῥαντηρια, ut quoque observavit Gaulmin. vit. Mosis in not. l. I. c. 2. Sequebatur tunc ipse *Narthex*, in quem per magnam *portam* introibant, ante quam in aedibus minus amplis, atrio et porticibus carentibus, stabant primi ordinis poenitentes. Hae autem portae et vestibula subinde, a structura operis arcuati, adpellabantur *arcus*, ἀψιδες. Hic locus, alias πρόναος adpellatus, videtur recentioribus temporibus nomen *Narthecis* accepisse, quod esset longus et angustus, instar *ferulae*, cui vox Gr. νάρθηξ respondet. Stabant vero in eo *catechumeni*, et poenitentes, dicti ἀκροώμενοι *audientes*: licebat quoque in eo consistere, ad lectiones et homilias audiendas, Gentilibus, Judaeis, ac haereticis.

§. CXX.

§. CXX. Ex Narthece in ipsam aedem, repagulis ligneis ab eo sejunctam, veniebant per portas, ὡραίας καὶ βασιλικὰς *speciosas et regias* dictas, quia ad ipsam aedem, *basilicam* adpellatam, ducebant. Haec autem pars proprie ναὸς, et *navis* quoque Ecclesiae, nuncupata est, nec non ἱερατεῖον ἐν λαῷ τὸ τετράγωνον *quadratum populi oratorium*, ut habet epist. Theodosii et Valentiniani, sub finem concilii Ephesini, in actis ejus, et in Cod. Theodos. l. IX. tit. 45., a *quadrata* ejus figura, et ab usu. Sedes autem hic habebant omnes, qui precum, vel eucharistiae, participes erant: sed sub introitum, in viliore ejus parte, consistebant ὑποπίπτοντες *substrati*, poenitentes tertii ordinis. Sozom. H. VII: 16. In reliquis autem partibus, praeter *consistentes*, quarti ordinis poenitentes, reliqui fideles sua separata habebant loca, viri scilicet et foeminae, virgines et viduae, Const. Ap. II: 57. locis illis ligneis parietibus distinctis, Chrys. hom. XXIV. in Matth. et LXXIII., ubi addit, antiquitus ita non fuisse, sed deinceps lasciviae ergo parietes esse introductos. In Ecclesiis, quae hyperoa, seu coenacula, habebant, mulieres superiora illa loca tenebant Greg. Naz. carm. de *Templo Anastasiae*, unde ea loca dicta sunt ὑπερῷα Evagr. H. IV: 31. In una vero harum porticuum superiorum sedebat Regina, ut Id. ib. refert. Sed Rex inter viros ante cancellos altaris propriam habebat sedem, inde dictam σωλεῖον *solium*, de qua voce variae exstant conjecturae aliae. Vid. Suicer. in Thes. Eccles., et de re ipsa Sozom. H. VII: 25. Eminuit vero inter loca in Nao editior ille, in medio fere, in quo Lectores et Cantores, sed non concionatores, stabant, et officio fungebantur, Soz. H. VIII: 5. et can. 15*tus* Laodicenus, ἄμβων adpellatus, ab ἀναβαίνειν *adscendere*, etiam βῆμα γνωστῶν *bema lectorum* Soz. H. IX: 2.

§. CXXI. Ultima denique Templi pars, ubi altare erat, et ministri ejus versabantur, variis fuit insignita nominibus; ab altitudine, qua reliquis partibus erat eminentior, dicta est βῆμα *bema*, ab altari ibi posito θυσιαστήριον can. 44. Laodi-

Laodicen.; inde, et a sacris ibi peractis, ἅγιον et ἱερατεῖον *sacrarium*, ἁγίασμα *sanctuarium*; denique, quia solis clericis patebat, reliquis erat inaccessus locus, nomen *adyti* tulit, uti ἄδυτα et ἄβατα Eusebio, Theodor. H. V: 8. et aliis vocatur. Laicis enim hoc jam tempore ad altare non licuit ingredi, Theodor. l. c. et can. 19 ac 44. Laodicen. Separata fuit haec pars per septa e ligno reticulata, quae Lat. *cancelli*, unde ortum deinceps est inter Normannos *chancel*, Gr. κιγκλίδες Eus. H. X: 4. Theod. l. c. dicuntur, Euseb. l. c. δίκτυα ἀπὸ ξύλου et Sozom. H. V: 27. δρύφακτα τοῦ ἱερατείου *septa sanctuarii*. Aditus patebat per *sanctas portas*, ut appellabantur, et, ne prospectus altaris pateret, *vela* fuerunt adpensa, *vela Ecclesiae* dicta Athanas. ep. ad *solitar.*, etiam ἀμφίθυρα nuncupata, quod utrinque aperirentur, Evagr. H. VI: 21. etiam βηλόθυρον *velum januae*. Quale fuit, quod ob picturam imaginum scissum refertur ab Epiphanio; ut supra narravi. Ultima *bematis* pars, seu Orientalis, erat sphaericae structurae, quae *Semi-circuli* formam exhibebat, inde *concha* dicta, observante du Fresnio ad *Paulum Silentiarium*. Hic erat *thronus* Episcopi, et ad utrumque latus throni Presbyterorum, in Semicirculi formam. Const. Ap. II: 57. Episcopi sublimior, paulo depressiores reliqui, Greg. Naz. in *Somnio Anastasiae*. Episcopi quoque dictus est *sedes*, *cathedra*, imo βῆμα *tribunal*. Eus. H. VII: 30. Presbyterorum *throni secundi*. Eus. H. X: 5. simul συνθρονοι.

§. CXXII. In ejus medio posita erat *mensa* sacra, eximie *altare* dicta Eus. l. c. βωμὸς ἀναίμακτος *ara incruenta* Synesio in Catastes. etiam τράπεζα *mensa* cum variis epithetis, uti μυστικὴ, *mystica*, φρικώδης *tremenda*, ἱερὰ *sacra* etc. Coepit vero hoc jam sec. ejus materia et forma mutari. Cum enim antea *ligneae* fuerint materiae, tempore quoque adhuc Athanasii, ut ex Ep. ejus ad Solitarios, ac ex hist. Arianorum patet, imo in Ecclesiis Africanis aetate Augustin. et Optati, ut ex illius Epist. 50. ad Bonifacium, et l. III. contra

tra Cresconium, hujus l. VI. contra Donatistas liquet: coepit jam *lapidea* esse tempore Gregor. Nyssen., ut est apud ipsum de *baptismo Christi.* Quod in concilio Epaunens. a. 509. in Gallia sancitum fuit deinceps decreto: nec tamen cessarunt ibi lignea: ut Martene l. cit. docuit. *Forma* propius ad altare accessit, et columnis sustentari coepit, teste Synesio l. cit. Ceterum unum tantum ejusmodi in una erat Ecclesia, in una quoque civitate, licet plures in ea essent Ecclesiae. Vid. Medus de *Ecclesiis*. Qui mos in Oriente semper continuavit, secus ac in Latina, ubi plura in Ecclesiis fuerunt deinceps altaria. Vid. Gregor. M. epist. 50. lib. V. Erat praeterea super mensa umbraculum aliquod, ad formam turriculae, super quatuor columnis erectum, cujus superior pars *sphaeram* referebat, qua altare fuit tectum: adpellatur πύργος *turris*, *umbraculum*, etc., imo, quod notandum, passim κιβώριον *ciborium;* quod male putatur fuisse *pyxis*, qua hostia adservatur, vid. du Fresnius l. cit. Pyxis enim posterioribus demum temporibus nomen ciborii accepit. Vid. Suicerus in voce. Crucis vero materialis in mensa nusquam fit mentio ante Sozom. H. II: 3. et Evagrium H. VI: 21. Crucem quidem super mensa alibi memorat Chrysost., sed signum transitorium intelligit. Vid. Const. Ap. VIII: 12.

§. CXXIII. Fuit in bemate ordinarius concionandi locus: Episcopus enim non in ambone, loco lectorum et cantorum, sed gradibus altaris, conciones habebat; licet extraordinarie subinde Chrysost. concionatus fuerit in ambone, Socrat. H. VI: 5. Praeterea ad utrumque bematis latus duo erant loca, a Paulino ep. cit. duo *secretaria* adpellata: ad dextrum latus erat locus, ubi populi oblationes recipiebantur, *corban* dictus Cypriano *de opere et eleemosynis;* postea πρόθεσις, παρατραπέζιον, *oblationarium*, *paratorium:* vid. Liturgiae Jacobi et Chrysostomi: a sinistro latere erat locus, ubi vestimenta, et vasa, ad altare pertinentia, reponebantur, σκευοφυλάκιον propterea dictus, etiam *diaconicum*, si-

ve quod curae esset Diaconis, sive quod contineat sacro *ministerio* dicata; ut opinatur Gothofred. ad cod. Theodos. l. XVI. tit. V.

§. CXXIV. Aedi, seu Ecclesiae, hactenus aliqualiter descriptae, cum aliqua adnexa fuerint loca, ab ea quidem distincta, attamen a latere adhaerentia, portis conjuncta, et eodem septo, re latius sumta, tecta, quae generali nomine *exedrae* adpellantur, Eus. vit. Const. M. III: 5. et H. X. 4. de illis verbo dicendum restat. Ubi primum et praecipuum meretur locum *Baptisterium*, quippe peculiare aedificium extra parietes Ecclesiae, et non, ut nonnullis visum, in Narthece, sed contiguum, uti ex Eus. H. X: 4. Cyrill. Hieros. cat. mystag. I. aliisque, ut Paul. Nol. l. c., manifestum est; adeo amplum, ut concilia nonnunquam in eo fuerint celebrata, vid. du Fresnius ad *Paulum Silentiar.*, et Suicerus in voce Φωτιστήριον. Quo nomine communiter venit, partim a baptismo, nomine φωτισμ. insigniri solito, partim ab institutione hic saepe facta, Ambros. ep. 20. ad Marcellinam sororem. Erat autem in ejus medio *fons* rotundae figurae, materiae lapideae, et inmensae capacitatis, seu aquarum receptaculum, in quo demergebantur baptizandi: adpellatur Gr. κολυμβήθρα Cyrill. Hieros. l. cit., et Lat. *piscina*, Optat. Milev. contra Donat. l. III., forte cum adlusione ad piscinam Bethesdae apud Joh. in euangelio. Dicitur quoque Procopio in Anecdotis ἡ θεῖα δεξαμενὴ *divina piscina*, uti restituit, et exposuit, Gataker, ad Marc. Antonin. l. VII. Defossi autem erant intra terram baptisterii fontes, et non, ut postea, supra pavimentum eminebant Vid. notae ad Gregor. M. l. III. ep. 59. Erat denique unum tantum tale baptisterium in civitate, scilicet in Ecclesia matrice seu Episcopali, vid. Durantus et Vice-comes de ritibus *baptismi*; sed Romae, secundum Martene, de antiq. Eccles. cit. l. I. c. 1. in omnibus fere Basilicis.

§. CXXV. Exedris Ecclesiae etiam adnumeratur *Diaconicum* magnum, a modo memorato diaconico diversum, a va-

riis ufibus vario adpellatum nomine. Quia vafa facra, aliaque ornamenta, ibi adfervantur, dicitur κειμηλαρχεῖον, vel σκευοφυλάκιον; confiftorii vero locus quoque erat *fecretarium*, feu *paftophorium*, quae vox, interprete Suida, dicit, *id quod fert* τὸν παστὸν thalamum nuptialem, etiam *falutatorium*, et receptatorium, quia Epifcopus et Presbyteri ibi fedebant, *falutationes* populi, qui, vel benedictionis accipiendae, vel confultandi caufa, veniebat, recipientes. Denique *decanetum*, vel *decanicum*, audiebat, quia Clerici, aliquo reatu obftricti, ibi videntur incarcerati. *Decanica* enim quofcunque carceres generali fignificatu denotant: Gothofred. ad Cod. Theodof. l. XVI. tit. V. Denique, quia Clerici hic veftes mutabant, *apodyterium* vocatur, et *veftiarium*, etiam forte *mitatorium*. vel *metatorium*, voce ex *mutatorio* corrupta: de qua voce aliud quid adfert Suicerus in μετατωρ. Reliquis locis intra limites περιβόλου, feu exteriora Ecclefiae fepta, miffis, verbo obfervo, *Bibliothecas* iis paffim fuiffe adnexas, quarum omnium celeberrima fuit Caefareae Palaeftin., a Pamphilo et Eufebio valde aucta, nec non Ecclefiae Sophianae Conftantinopol., a Conft. M. fundata, et a Theodofio Jun. infigniter multiplicata. De qua et aliis tractavit Lomejerus de *Bibliothecis*. Denique *fcholae* etiam fuerunt adjunctae, uti CPol. Vid. Socrat. H. III: 1. et alii.

§. CXXVI. *Ornamenta* Ecclefiarum, ad quae pervenimus, cujufcunque fuerint generis, five in Ecclefiarum ftructuris fita, five vafa fint et inftrumenta, five alius generis, cuncta, generali nomine, adpellata funt ἀναθήματα, vel ἀναθέματα, *anathemata*. Quae voces ab aliis confunduntur, ab aliis diftinguuntur, licet in fpecie eo nomine veniant *donaria*, quae in fignum gratitudinis, pro beneficiis a Deo impetratis, a columnis pendebant, omnium oculis, tanquam illius gratiae monumenta, expofita. Quae pofteriora, fi beneficii praeftiti fymbolicae effent repraefentationes, five imagines partis adflictae, quae convaluerat, dicta funt ἐκτυπώματα: ex. gr. pedum, oculorum etc. *fimulacra*: fed quae

non, nisi sequente sec., demonstrari queunt in usu fuisse. Primus eorum meminit Theodoret. Serm. VIII*vo* de *Martyribus*: in quo, ut multis aliis in rebus, Gentilium mores secuti sunt Christiani. Hoc vero seculo ornari coeperunt Ecclesiae, cum structurae magnificentia, tum vasorum, vestium, librorum, et similium, ingente valore et splendore; praeeunte rursus Constantino M., cujus hanc fuisse regulam, tradit Euseb. vit. Const. III: 31. Templa ornatu et splendore splendidissima civitatis aedificia superare debere. *Qui quidem error ad nos pervenit*, inquit longe rectius Hieron. ad Jer. X., *ut religionem in divitiis arbitremur.* Quam nimiam magnificentiam quoque taxavit Isidor. Pelusiota, qui in init. sec. V. floruit, l. II. ep. 246. ubi inter alia dicit, *Templa quidem omnis generis marmoribus fuisse cohonestata*, *sed Ecclesiam spiritualibus illis gratiis nudam et vacuam esse.*

§. CXXVII. Columnae duodecim, ut nonnullis exemplis dicta illustrem, quae hemisphaerium Ecclesiae Hierosol. cingebant, *capita* habebant *maximis crateribus aureis ornata*, quos Const. M. tanquam κάλλιςον ἀνάθημα *pulcherrimum anathema* donaverat, Eus. vit. Const. III: 38. qui addit, dici non posse, quot quantisque donariis ac ornamentis, partim ex auro et argento, partim ex gemmis, condecoraverit. Sic vestis, ab eo donata Macario, Episc. Hierosolym., ut in ea ministerium baptismi obiret, erat *aureis filis contexta.* Theodoret. H. II: 27. Sozom. H. IV: 25. Ex quo, ut id obiter observem, vestes *sacras*, a civilibus diversas, jam obtinuisse, secus ac antea, elucescit. Cujus rei et alia adsunt testimonia. Chrys. hom. 82. ad Matt., ex. gr. Diaconis adtribuit λευκὸν χιτωνίσκον καὶ ἀποςίλβοντα *albam et fulgidam tunicam.* Vid. et Greg. Naz. *in somna Anastasiae.* Mentio quoque fit in canon. Laodicenis *orarii*, seu fasciae, in humeris portari solitae ab Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, nomine ducto a linteo, ori tergendo parato. Interioris Ecclesiae *tecti*, seu, ut dicebant, *camerae*, splendor erat et artificium

tificium magnificum, ſive opus eſſet vermiculatum, quod muſivum dicitur, ſive lacunatum, tecto in varia interſtitia, laquearia, vel lacunaria, dicta a lacu, alia rotunda, alia quadrata, ligno, vel gypſo, vel coloribus, diviſa, varieque vel inaurata vel picta: quomodo laqueata erat Baſilica Hieroſol. Euſ. vit. Conſt. III: 36. Templum Paulini Nolani utroque erat ornatum modo; ut ex ejus ep. 12. ad Severum patet. Legendus de ſplendore Templorum eſt Hieronym. ep. 2. ad Nepotianum, 8. ad Demetriadem virginem, et in epitaphio Fabiolae. Theodoret. quoque H. III: 12. magnificentiam vaſorum ſacrorum, quae Conſt. M. et Conſtantius ambitioſe fabricari curarunt, demonſtrat, et alibi l. I. c. 31. refert, Conſt. M. altare Eccleſiae Hieroſolym. βασιλικοῖς παραπετάσμοις *regalibus velis* ornaſſe. Narrat quoque Palladius hiſt. *Lauſiaca*, nonnullas matronas Romanas *cuncta ſua tegumenta ſerica donaſſe altaribus*, Eccleſiae quoque Carthagin. *quam plurima ornamenta fuiſſe ex auro et argento*, tradit Optat. Milev. contra Donatiſt. l. I. Ipſos libros, Eccleſiaſticis inſervientes uſibus, ſplendide condecoravit, etiam *gemmis et lapillis*, Conſt. M. teſte Euſeb. vit. Conſt. III: 1. Plura adtuliſſe nihil adtinet. Illud hac occaſione obſervetur, vanam hanc oſtentationem haud raram fuiſſe hoc ſeculo inter Chriſtianos, quorum qui Biblia ſacra domi habebant, quales non erant multi, non *utilitatis* cauſa, ſed *ut opulentiam* ſuam ambitioſe oſtentent, habebant, *omneque ſtudium* ponebant in *membranarum tenuitate*, *aut in litterarum pulchritudine*, *neglecta lectione.* Vid. Chryſoſt. homil. 32 in Johann., qui addit, *neminem audio id ambire*, *ut libros intelligat*, *ſed potius ſe libros habere jactant*, *aureis litteris ſcriptos*. Hieronymus quoque ep. XXII. ad Euſtochium reprehendit matronas, quarum *membranae inficiuntur colore purpureo*, *aurum liqueſcit in lituras*, *gemmis codices veſtiuntur*, *et nudus ante fores earum Chriſtus emoritur.*

§. CXXVIII. Ad *venerationem* Templorum, ut ad eam deſcribendam veniam, ante omnia memoranda pertinet ſolen-

nis, et magna cum pompa facta, *consecratio* eorum, ante hoc seculum inusitata, sed nunc quoque pro necessaria habita, ita ut nullum in iis officium, nisi ea praegressa, licuerit peragi, excepto casu extraordinario; ut ex *apologia* Athanasii prima ad Constantium manifestum est. Ipse enim hoc, quod criminis loco ei erat inputatum, a se in magna Ecclesia Alexandriae factum ante dedicationem, excusat ex necessitatis lege. Fiebat *consecratio*, quae solennis Ecclesiae erat a communi usu ad cultum Dei separatio, etiam *dedicatio* adpellata, ab Episcopo dioecesios, cujus hoc erat privilegium, ut canones Ecclesiastici habent, per gratiarum actiones, preces, et homilias, sive in laudem conditorum, sive Basilicae ipsius, sive de alia materia congrua, accedente celebratione synaxios. Vid. Euseb. vit. Const. IV: 45. et H. X: 3. 4. Aliae cerimoniae hoc tempore ignotae fuerunt. De *ςαυροπηγίῳ crucis erectione* in loco, ubi erat aedificanda Ecclesia, postea introducta, vid. Bevereg. ad canones concilii Nicaeni *secundi.* Accessit quoque brevi *reliquiarum* translatio in Ecclesiam, quae necessariae sunt creditae ad consecrationem. Quod primum coepit in Romana Ecclesia, inde ad alias terras brevi propagatum. Postea adhuc alii ritus in usu esse coeperunt, ex. gr. adspersionis aquarum, inunctionum et thurificationum, ex cultu Levitico. De quibus hic non est agendi locus. Sed summa jam cum magnificentia solebat hoc encoeniorum festum celebrari, ingente cum Praesulum confluxu, ita ut tota synodus saepe fuerit eo tempore coacta, et orationes quoque ab aliis, praeter Episcopum diaecesios, habitae sint, Eus. l. c. Socrat. H. I: 28. Sozomen. II: 26. Soliti etiam fuerunt festo dedicationis epulari, ad exemplum Gentilium. Quod propter abusum postea fuit interdictum. Vid. Savaro ad Sidon. Apollin. l. IV. ep. 15. Imo hic ipse dies nonnullis in Ecclesiis locum inter festa anniversaria accepit: Sozom. l. c. Erat autem dies dedicationis non necessario Dominicus, sed alius qualiscunque, ut jam observavit Pagi

ad

ad Baron. a. 335. Ceterum dedicatio adhuc fiebat soli Deo, non sanctis, aut ulli creaturae: ut luculenter docet Augustin. variis in locis, ut de *Civ. Dei* XXII: 10. de *vera religione* c. 55. contra *Maximinum* Arianum l. I. et *Faustum* Manichaeum XX: 21. nec contrarium exstat exemplum. Denominabantur quidem Templa ex. gr. a martyribus, quorum memoriam conservabant, et super quorum sepulchris, aut reliquiis, erant constructa, sed illis non fuerunt consecrata; nec illud inde colligi potest, cum nomina etiam vel ab aedificatoribus nacta sint, uti ex. gr. Constantini, Arcadii, Justiniani, et aliorum, gesserunt nomina, vel ab aliis circumstantiis. Sic Hierosolymis dicta est Ecclesia *anastasis et crux*, a locis, Constantinopoli *anastasia*, ob novam vitam per Arianismi destructionem ei datam, Greg. Naz. Orat. 32. et de *somno Anastasiae*, Alexandriae fuit Templum dictum *Caesareum*, a loco, antea sic adpellato. Vid. Vales. ad Evagr. H. II: 8. Romae *Lateranae* nomen accepit a Laterano gentili, a Nerone obtruncato, cujus fuerat palatium, Hieron. ep. 30. *epitaphio Fabiolae*. Ceterum, ut illud obiter observem, licet dedicatio, in actum deducta per ipsum religionis exercitium, et in separatione sita ab usu communi ad religiosum, nihil vitii habeat, facile tamen in superstitionem degenerat, sicut ejus et hoc tempore aliqua fuerunt indicia, cum consecrationis effectum habetur *sanctitas* quaedam *interna* Templis conciliata, per quam sunt in dominio Dei, ac praesentia divina, et gratia quadam speciali, censentur praedita. Quod ex Judaeorum sacris, et Gentilium superstitione, originem repetiit.

§. CXXIX. Reliqua *reverentiae* signa verbo perstringam 1. Reges, ingressuri Ecclesiam, diadema, custodiamque, foris relinquebant, Chrys. Orat. *post exilium*; cujus ritus rationem quoque haberi voluit respectu Fanorum ipse Julianus, Sozom. H. V: 16. Reliqui non tantum in amoris et reverentiae signum, manus vultumque lavabant ante introitum, de quo supra dixi, sed et januas, limina, columnas,

aliasve partes, salutabant et exosculabantur, Chrys. hom. 30. in 2. ad Corinth., ubi etiam exponit, quo modo illud fiat. Vid. Savaro ad Sidon. Apoll. l. I. ep. 5. ubi Paganis id in more quoque fuisse observat. Invaluit etiam deinceps consuetudo, utique in Romana Ecclesia, jam ab antiquioribus temporibus, secundum Gregor. M. l. XI. ep. 64. qua *cum propria conjuge concumbens, et lavacri purificationem quaerit, et ab ingressu Ecclesiae paululum reverenter abstinet.* 2. Ecclesias, earumque vasa, ad nullos, nisi religiosos, usus adhiberi voluerunt, excepto casu necessario, uti ad redimendos captivos, et pauperum sublevationem tempore penuriae. Cujus rei exempla sunt in Cyrillo Hierosolym. Sozom. H. IV: 25. Ambrosio de *officiis* l. II: 27. et aliis, Templorum vero spoliatores poena θεηλάτῳ *divinitus inflicta* puniri censuerunt, uti in ministris Juliani, Felice et Juliano, apud Theodoret. H. III: 12. Inceperunt 3. digniores in Ecclesia habiti in areis Templorum sepeliri, ut de Ecclesiae sanctitate, et martyrum meritis, quid participarent. Quod Constantino M. contigisse tradit Sozom. H. II. cap. ult. Quae superstitio postea magis invaluit, et deinceps post sec. X. coemiteria publica produxit prope Templa, eorumque consecrationem, etc. Vid. Cl. Boehmer. Jur. Eccles. l III. tit. 28. De sanctorum vero et martyrum in Ecclesiis, sec. nostro jam usitata, sepultura, licet non tam in urbibus, vid. Muratorius in peculiari *dissert.* in Anecdot. Gr., inserta quoque cod. Theodos. edit. Ritteri tom. III. Sepultura in urbibus Legibus Romanis non tantum, sed et Christianorum Inperatorum saepe, ut notum, vetita, in nonnullis regionibus per Ecclesiasticos canones etiam promiscua fuit interdicta, ut Braccarensis concilii I. sec. VI. can. 36. quo, quod notandum, dicitur, *firmissimum hoc privilegium usque nunc retinere Galliae civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum civitatis, cujuslibet defuncti corpus sit humatum.* Denique 4. Templa non tantum temporibus calamitatum, et hostilium invasionum, pro refugiis et praesidiis

fuerunt,

fuerunt, quippe quae hostes saepe prae reverentia sinebant intacta, August. de Civit. Dei I: 1. Oros. H. VII: 39. Sed et pro asylis, ut ex illis, quae Greg. Naz. Orat. XX. de *laude* Basilii, qui illud privilegium tribuit *sacrae mensae* p. 357. et Paulinus in vita Ambrosii, habent, colligi potest. Quod ipsum Lex Theodosii, in cod. Theodos. l. IX. tit. 45. *de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, indicat. Etsi enim prima hac de re lex sit, cum tamen *modum* refugii tantum definiat, rem ipsam jam ante fuisse usitatam, significat. Vid. Gothofred. ad eam legem. Plura ad sec. seq. de asylis dicam, hic obiter notasse suffecerit, perfugium illud partim inde fuisse ortum, quod Templa fuerint reputata interna quadam sanctitate praedita, ita ut ibi sub tutela Dei essent, partim etiam, quod ea ratione intercessione Sacerdotum, jam a sanguine fundendo alieniorum, gauderent.

§. CXXX. De *Temporibus* sacris, altera *circumstantiarum* cultus religiosi parte, acturo, *quotidiana* primo occurrunt, ut ordine procedam, officia duo, matutinum, et vespertinum, quibus Christiani, singulis diebus in Ecclesiam venientes, defungi solebant Psalmis, hymnis, et precibus. *Matutinum* incipiebat summo mane, initio cum Ps. LXIII., secundum Graec. divisionem, facto, qui inde Psalmus ὀρθρινὸς *matutinus* eximie adpellatur. *Vespertinum* vero instituebatur cum lucernae accendi solebant, unde Gr. dicitur λυχναψία, Lat. *lucernarium*; initio sumto a Ps. CXL., qui inde ἐπιλύχνιος dictus est, Const. Apost. II: 59. Fuerunt quoque diversi *hymni* in usu, alius matutinus, alius vespertinus: quorum supra memini. Plura ad ordinem horum officiorum spectantia peti possunt ex Const. Ap. VIII: 37. Basil. M. epist. ad Neo-Caesar., Epiphan. expos. fidei §. 23., Chrysost. hom. ad Ps. CXL. et Cassian. Institut. l. II. Cum Christiani temporibus persecutionum antelucanis et nocturnis conventibus, diebus dominicis, solerent sacris defungi, ut ex Plin. l. X. ep. 97. Origen. contra Cels. l. I. Tertull. ad Uxorem l. II. c. 4. et aliis, liquet, cessantibus persecutio-

 nibus,

nibus, eos conventus non tantum continuarunt, sed de die dominico ad reliquos septimanae dies transtulerunt, ut, tum devotionem in ascetis, seu severiore vitae deditis, foverent, tum secularibus, qui tunc a negotiis vacabant, occasio devotionis praeberetur: quare illa officia soliti fuerunt sedulo commendare; uti saepe Chrysost. ex. gr. hom. 30. ad 1. ad Cor., Comment. ad Ps. CXXXIII. et alibi. Irrepserunt quoque horae canonicae, publicis precibus destinatae, *prima*, *tertia*, qua sententia a Pilato contra Christum est pronunciata, *sexta*, qua crucifixus est, et *nona*, seu, ex nostro computu, sexta, nona, duodecima, et tertia, ex vita monastica in Ecclesias nonnullas; utique quo tempore conditae sunt Constit. Apostolicae, quae earum meminerunt l. VIII: 34. In usu utique hoc sec. tantum fuerunt in monasteriis, habueruntque natales in illis Mesopotamiae et Palaestinae, teste Cassiano Instit. l. III: De monasteriis illud constat, ex Basil. M. regulis majoribus, Chrysost. hom. 14. in 1. ad Timoth., Cassiano l. c. et aliis. Sed in Ecclesia antea moris non fuit, nequidem hoc sec., nisi hic illic. Meminit quidem Cyprian. de *Orat. Domin.* earum horarum, sed tanquam privatis precibus destinatarum, ut et Clem. Alex. Strom. l. VIII. Sed Epiphan. l. c. matutinas tantum et vespertinas, tanquam publici usus, memoravit. Chrysost. hom. de *Anna*, trium tantum, tanquam publicarum precum, mentionem facit, matutinae, vespertinae et *nonae*, ut videtur, seu tertiae nostrae pomeridianae, qua Christus in cruce exspiravit, et Petrus ac Johannes in Templum ascenderunt: utique hanc horam publicis jam destinatam fuisse precibus, ex can. 18*vo* Laodiceno patet. Ceterum de horis canonicis legi etiam meretur Martene, *de antiqua Ecclesiae disciplina* cap. I. etc., et cap. VIII. de seq. seculis.

§. CXXXI. Praeter feriam septimanae *quartam* et *sextam*, quibus, ut antea, hoc quoque sec. in unum convenerunt, sese precibus et psalmodiis usque ad horam tertiam occupatos tenentes, etiam communicantes, teste Basil. M. ep.

93. ad *Caesaream Patriciam*, dies *Saturni*, ac *Dominicus*, fuerunt festi, sed Saturni in Ecclesia Graeca, non in Latina, ubi dies *jejunii* erat, de quo postea. Celebrabantur vero inter Graecos dies Sabbati eodem cultus genere, quo Dominici, excepto, quod operari in illis liceret, quantum exercitium religionis permittebat, uti can. 29. Laodicenus habet. Ceterum de cultu Sabbati, praeter canones Laodicenos, vid. Athanas. hom. de *Semente*, Basil. M. l. c. Const. Ap. II: 59. V: 20. et Socrat. H. V: 22 et VI: 8. Quod vero ad diem *Dominicum* adtinet, nonnulla hoc sec. accesserunt singularia, probe observanda, per constitutiones Imperatorum, quas de illo die, et festis reliquis, pleno commentario illustravit Brissonius de *spectaculis* et *Feriis*. 1. Cessatio negotiorum et actionum forensium, quae sub Imperatoribus gentilibus licebant hoc die, fuit legibus latis imperata, exceptis iis, quae necessitatis erant, aut charitatis, et *votivae* vocantur in cod. Theodos. l. II. tit. 8. de *feriis*, ubi licentia emancipandi, et manumittendi in specie, conceditur. Lex vero ea Constantinum M. habet autorem. Vetuit dein Valentinian. I. omnem debiti, tam privati, quam publici, exactionem, Cod. Theodos. l. VIII. tit. 8. 2. Prohibita etiam fuerunt opera secularia, exceptis rursus illis necessitatis et charitatis, in specie *agricultura* et *messis* fuit permissa; ut habet lex Const. M. in cod. Justin. l. III. tit. 2. de *feriis*. Meminit quoque Eus. vit. Const. M. IV: 18. legum ejus, quibus militaria exercitia vetantur: vid. etiam Sozom. H. I: 8. opera tamen ruralia canones conciliorum postea proscripserunt, uti 27. Aureliani IIItii: sed 29nus Laodicenus vult, ut Christiani eo die *otientur*, *si modo possint*, *sed ut Christiani*, *non ut Judaizantes*. Cuncta deinde opera prohibuit, perfectam praecepit cessationem, Leo Inperator, sec. V., teste Theodoro Lect. I: 14. Singulare vero est, quod *die Dominico lavari* licitum pronunciaverit sec. VI. Gregorius M. l. XIII. ep. 1. ubi, quod notandum, declarat *Antichristianum* esse, *diem Sabbati et Dominicum*

minicum ab omni opere facere custodiri. Denique ob *Dominici Diei injuriam, pro eo quod in eo operam publicam exercerent* Lemovicinae urbis cives plerosque fuisse igne coelesti consumtos, tradit Gregor. Turon. Hist. X: 30. qui addit, diem illum sanctum, *qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicae resurrectionis testis factus emicuit, ideo omni fide a Christianis observari debere, ne fiat in eo omne opus publicum.* 3. Denique prohibitae quidem sunt theatrales et scenicae oblectationes a Theodosio in cod. Theod. l. XV. *de spectaculis* tit. 5., quod a juniore Theodosio ad omnia alia festa est extensum, ut ibid. habet lex 5*ta*, quae Inperii Romani stata evasit lex, sicut, *die solenni ad spectacula vadere*, sub poena excommunicationis vetitum fuit a concilio Carthag. IV*to*: attamen honestis recreationibus, et animi relaxationibus obex non fuit positus, quin *jejunia* omnia severe sunt interdicta, etiam in ipsa Quadragesima, in honorem resurrectionis Christi, Epiphan. expos. fid. §. 22. Can. Apost. 64. et Ambros. de Elia et Jejunio, et Epist. 23.

§. CXXXII. Ceterum religionis studiosi sese precibus et hymnis ad dies sabbati ac Dominicum praeparare solebant, eumque in finem per maximam noctis partem in Ecclesiis versari; quod officium Graeci παννυχίδας, Latini *pernoctationes* et *pervigilia* adpellant, Chrysost. hom. I et IV. de *verbis* Jesaiae, Socrat. H. II: 11, VI: 8. ubi refert, Arianos, cum extra urbem haberent conventus, noctem in ea trivisse *hymnis per plateas canendis*. De Ecclesia Latina legendus Ambros. Serm. 19. in Ps. CXVIII. Plura qui de vigiliis velit, etiam quotidianis, et seq. seculorum, adeat Martene de *Eccles. diciplina*, c. 7. Sed cum foeminae hoc praetextu nonnunquam patrarent nefanda, can. 35. Illiberitanus sanxit, *ne foeminae in coemiterio pervigilent.*

§. CXXXIII. Festa *anniversaria* fuerunt Natalis Domini, Epiphania, Pascha, Pentecoste, Adscensio, et commemorationes martyrum: de quibus agendum restat. Festum *Natalis* licet

licet in Ecclesia Graeca fuerit celebratum in Epiphania, die VIto Januar. de quo vid. Cotelerius ad Const. Ap. V; 13., Antiochena deinde tamen et Syriae Ecclesiae jam tempore Chrysostomi id fecerunt die 25 Decembr. cum Latinis; ut ex hom. ejus in *natalem Domini* patet: quod etiam in Ecclesiis Hieros. ac Palaestinae est institutum a Juvenali Ep. Hieros., ut Cotel. l. c. observavit: AEgyptii quoque ante concilium Ephesinum, a. 431. habitum, diem 25. Decembr. adsumserunt, ut ex actis illius syn. patet. In Ecclesia vero Latina diem 25. Dec. semper obtinuisse, et a festo Epiphaniae distinctum fuisse, constat: licet incertum sit, quando inceperit. Tradit quidem Johannes, Archiep. Nicaenus, *Julium* Papam diem 25tum instituisse, in epist. de *die natali* a Combesio publicata; sed ei multum fidere non licet. Videtur autem in locum Saturnalium et Kalendarum Januar. successisse, quo a Greg. Naz. Orat. 38. in *Theophaniam* adluditur. De rationibus vero nativitatis Christi 25to Decembr. adligatae, exposui ad sec. I., ubi de *natali Christi* disputavi. Chrysostomus hom. de *baptismo Christi* adpellat *festum antiquum*, et ubique receptum; exstat etiam hom. ejus in *natalem Domini*; et antiquitatem festi demonstrat, recentius quidem apud Orientales, sed semper apud Occidentales fuisse dicit; praeterea diem 25. Dec. ex eo defendit, quod Johannes Baptista conceptus sit 10mo Septembr., quia Zacharias, tanquam Pontifex, intravit *sanctum sanctorum*, quod in superioribus jam refutatum est. Sed singulare est, quod in hom. *de Pentecoste* hoc festum non recenseat, licet ibi catalogum videatur contexere festorum; imo *Epiphaniam* faciat primum festum: in cujus rationem inquisivit Montfalcon. in *monito* praemisso, sed vera, quod observo, ratio est, quod illa tantum festa in oculis habuerit Chrysostomus, quae respectu *materiae* semper possunt, et quotidie, celebrari, ut *Epiphaniam*, quia Christus semper inter nos versatur, *pascha*, quia mortem ejus semper adnunciamus, *Pentecosten*, quia Spiritus S. semper nobiscum est.

S 3 §. CXXXIV.

§. CXXXIV. Festum nativitatis, etsi nomine Epiphaniae, ac Theophaniae, sed *primae*, veniat, Coteler. ad Const. Ap. V: 13. et Suicer. in voce, fuit tamen ab eo distinctum, et proprie sic dictum *Epiphaniae* fuit a Latinis die *6to* Jan. celebratum, post festum natale d. 25 Dec., quod Graeci quoque fecerunt, postquam diem natalem cum Latinis celebrarint die 25. Dec., ut modo notavi. Praecipua festi ratio fuit *baptismus* Chisti, ei diei a Veteribus adligatus, Chrys. hom. de *baptismo Christi*, Greg. Naz. Orat. 39. in *sancta lumina*, et Nyssen. Orat. de *baptismo*, *Christi*, Const. Ap. VIII: 33. Quare dies *φώτων*, *ἅγια φῶτα*, *dies luminum*, adpellatur. Apud Latinos tunc quoque in memoriam fuit revocata manifestatio Christi in adoratione per Magos, et miraculum in Cana Galilaeae. Vid. Prudent. in hymno Cathemer. XI. et Paulin. Nolan. carm. IX. de Felice: sed in Ecclesia Graeca fuit celebrius festum, quam in Latina, quia solenne erat, cum Paschate et Pentecoste, tempus baptismi inter Graecos, Chrysost. l. c. et Greg. Naz. Or. XL. de *baptismo*. Obtinuit etiam solennis benedictio aquae, qua non solum adspergebantur et potabantur in Ecclesia, sed quam etiam secum domum asportabant, quaeque, ut putabatur, miraculose manebat incorrupta multis annis. Vid. Chrysost. l. cit. Aliud miraculum conversionis aquae fluvialis in vinum nonnullis in locis, in memoriam miraculi in Cana, memorat Epiphanius haer. LI.

§. CXXXV. *Paschatis* nomine licet duae hebdomades, una ante, altera post, mortem Christi, illa pascha *σταυρώσιμον crucifixionis*, haec *ἀναστάσιμον resurrectionis*, fuerint comprehensae, Cod. Theodos. l. II. tit. 8. de *feriis*, ubi vid. Gothofr., dies tamen mortem secutae, seu *Resurrectionis*, proprie ad festum pertinebant, sicut antecedentes partem quadragesimae fecerunt. Varia nova cum hoc seculo fuerint introducta, ea tantum recensebo. Ubi ante omnia notandum est, Ecclesias omnes, antea hac parte divisas, in unum eundemque diem celebrandi paschatis consensisse; canone, paulo

paulo ante *Synodum* Nicaen. facto in concilio Arelatenſ. a. 314., *paſcha uno die et tempore per omnem orbem* eſſe obſervandum, et in ipſa Syn. Nic. confirmato, quo dies *Dominicus* definitus eſt, tanquam legitimus paſchatis dies, et a Conſt. M. ſancitus: cujus hac de re Epiſtola ad abſentes Epiſcopos reperitur apud omnes Hiſt. Eccleſ. conditores, Euſeb. vit. Conſt. III: 14. Addidit praeterea canon Antiochenus a. 341. poenam excommunicationis, omnibus infligendam, qui contentioſius obſiſterent: a quo tempore, qui Synodalium definitionum ſolet eſſe fatalis effectus, *ſchiſmatici* orti ſunt, et adpellati *quartadecimani*, *Teſſareſcaedecatitae*, *Audiani*, ab Audio aliquo, praecipuo promotore, qui cum Judaeis, et Aſceticis ſuperiorum ſeculorum, XIV*ta* Luna id facerent, iiſque nominibus damnati, et ſeverius tractati, legibus etiam ab Inperatoribus contra eos latis: uti in Cod. Theodoſ. l. XVI. tit. V. et VI., ubi *protopaſchitae*, quod paſcha anticiparent, dicti ſunt, qui quartadecimanorum cenſebantur peſſimi, et ad Judaeos propius accedentes, Socrat. H. IV: 28. et V: 21, ubi Novatianorum ſchiſmaticos fuiſſe refert; qui etiam *Sabbathiani* adpellati ſunt, a Sabbathio quodam: Gothofr. ad Cod. Theod. l. c. Vid. etiam de *Quartadecimanis* Epiphan. haer. 50. et 70. de *Audianis*. Chryſoſt. hom. in eos, *qui paſchae jejunant*.

§. CXXXVI. Sed licet dies iſte ea ratione fuerit definitus, omnes diſſenſiones non ſunt e medio ſublatae. Diverſitas enim cyclorum et calculationum varios produxit dies paſchatis: quae diſcrepantia jam antea inter eos viguerat, qui in diem dominicum conſentiebant, et poſt hoc tempus duravit. Quae prolixior eſt et intricatior hiſtoria, quam ut hic enarrare liceat; nec tantae utilitatis; quare nonnulla ſuffecerit in genere tradidiſſe. Cyclus Judaicus 84 annorum obtinuit per duo ſecula inter Chriſtianos, ſed obſervarunt, diem paſchalem aliquando ante aequinoctium vernum incidere. Hippolytus itaque, Epiſcopus Portuenſis,

novum Cyclum a. 222 reperit, qui ἑκκαιδεκαετηρὶς *sexdecim annorum* dictus est. Cum vero nec is satisfaceret, Anatolius Alexandr. a. 270. invenit ἐννεακαιδεκαετηρίδα *undeviginti annorum* circulum, in quo ostendit, pascha post aequinoctium vernum esse celebrandum, quo in canonibus Apostolicis respicitur. Synodus vero Nicaena paschatis determinandi curam demandavit Ecclesiae Alexandrinae, quae tempus illud cum reliquis Ecclesiis communicaret, Leo M. ep. 94. Usa vero est Ecclesia Alex. eodem circulo 19 annorum, sed melius, quam Anatolius fecerat. Diem itaque definitum Episcopus Alexandrinus perscribebat ad Romanum, qui per orbem Christianum divulgabat, Ambros. epist. ad Episcopos AEmilianos, quae est ordine 23. Sed Ecclesia Romana deinceps, quippe a reliquis dependere nescia, veterem cyclum Judaicum revocavit, donec a Papa Hilario illud curae fuerit datum Victorio cuidam Gallo, ut novum cyclum Paschalem componeret: unde periodus nata est Victoriana ann. 532, ex cyclo Lunae 19., et solis 28., annorum: cujus memini in Prolegom. hist. V. T. Prodiit haec periodus a. 457., sed in meliorem eam redegit formam Dionysius Exiguus a. 525., a quo tempore in usu fuit inter Christianos usque ad Gregorium XIII. a. 1582., quando stilus Gregorianus est introductus. Sed Victoriana periodus in Ecclesias Gallicanas et Britannicas, non nisi post annos 800, nec sine multis motibus, est introducta. De qua historia vid. Prideaux hist. V. et N. T. p. II. l. IV. Ceterum, ut illud addam, moris fuit, ut, festo Epiphaniarum, tempora festorum mobilium illius anni fuerint a Metropolitano notificata Episcopis Provinciae per *Epistolas*, quae dictae fuerunt ἑορταστικαί, *heortasticae*, *festales et paschales*: quarum aliquae adhuc supersunt.

§. CXXXVII. Celebrius hoc festum fecerunt nonnulla hoc seculo introducta, verbo recensenda. 1. Licet omnia cessarint negotia, permissa tamen fuit servorum manumissio per legem Theodosii, in cod. Justinian. l. III. tit. *de fe-*

nis, cujus rei etiam meminit Greg. Nyssen. hom. 8. *de resurrectione Christi.* Sed in primis 2. ad festi celebritatem pertinet incarceratorum dimissio, exceptis tantum graviorum criminum reis, quae coepit a. 367. sub Valentiniano, cujus hac de re leges prostant in Cod. Theodos. l. IX. tit. 38. *de indulgentiis criminum*: ubi etiam Valentin. jun., et Theodosii reperiuntur. Vocabantur *indulgentiae paschales*; ad quas quoque respexit Chrysost. hom. VI. et XX. ad Antiochen., Ambros. ep. XX. et Themistius Orat. V. De *munerum* missione, quam etiam fecit Const. M. apud Eus. vit. Const. IV: 22. ut sileam, notandae sunt 3. pervigiliae paschales, omnium celeberrimae, lucernis etiam et lampadibus per noctem accensis. Eus. vit. Const. IV. et hist. VI: 6. Lactant. Instit. VII: 19. Greg. Nyss. Orat. de Pascha. Adpellat vero eas pervigilias *traditionem Apostolicam* Hieron. ad Matt. XXV., et ab opinione, de secundo Christi adventu *media nocte, in similitudinem AEgyptii temporis*, quando media nocte venit ad AEgyptios puniendos, repetit. Lactant. l. cit. dicit, *haec est nox, quae a nobis propter adventum Regis ac Dei nostri pervigilia celebratur, cujus noctis duplex est ratio, quod in ea, et vitam tum recepit cum passus est, et postea orbis terrae regnum recepturus est.* Denique 4. duravit festum usque ad sequentem dominicam post pascha, quae et *octava* paschatis, etiam *dominica in albis* adpellatur, quia recens baptizati *albas* suas vestes, de quibus supra egi, hoc die exuere, et in Ecclesiis reponere solebant. Gr. etiam καινὴ κυριακὴ *nova dominica*, a renovatione hominum per baptismum, die paschatis factum, Chrys. hom. in *Dominicam novam*, et Greg. Naz. Orat. 43.

§. CXXXVIII. Totum intervallum inter Pascha et Pentecosten erat apud Veteres festum aliquatenus, nomine quoque Pentecostes insignitum, uti supra ex Tertull. observavi; quo temporis spatio legebantur *Actus* Apostolorum in Ecclesiis; et jejunia ac genuflexiones erant inusitatae, Epiph. *expos. fidei* §. 22. Sed dies *Adscensionis* Christi, in hoc

intervallum incidens, celebrabatur, Chrysost. hom. in *Pentecost.*, et Const. Ap. VIII: 33. Loquitur de eo, tanquam antiquo more, August. ep. 118. ad *Januarium:* vocabatur autem Dominica τῆς σωζομένης, et ἐπισωζομένης Chrysf. hom. 19. ad Antiochen., dominica post *adscensionem*, quia oeconomia salutis tunc erat finita. Vid. Leo Allatius de *dominicis et hebdom. Graecorum* Sed in specie *Pentecoste* significat festum *descensus Spiritus S.*, quare *dies* πνεύματος *spiritus* vocatur Greg. Naz. Orat. 44. de *Pentecoste*. Durabat per totam hebdomadem ad *octavas*, seu dominicam sequentem, et sine jejuniis ac genuflexione solenniter celebrabatur, Epiph. haeres. Aerian. 75. et Pseudo-Just. Martyr. Quaest. ad Orthodoxos 115.

§. CXXXIX. Cum anniversariis festis adnumerentur *commemorationes* martyrum, illis utique in Ecclesiis, ubi martyres passi et sepulti sunt, Sozom. H. V: 3. de illis quaedam observanda sunt. 1. Acta martyrum fuerunt ex Kalendariis, vel fastis, praelecta, ut patet ex can. 47. Carthag. III. Ex quibus *actis* orta sunt deinceps *martyrologia*, Kalendariis recentiora. Vid. Vales. de *martyrol.* Romano, ad calcem Eusebii: inde postea, cum multa admixta sunt fabulosa, *legendae*, etsi ratio istius nominis a *lectione* in Ecclesia sit orta. 2. Orationes panegyricas in eorum memoriam et honorem fuisse habitas, ex multis ejusmodi Veterum Orationibus, quae supersunt, satis constat. 3. Nec minus certum est, *eucharistiam* tunc celebrari solitam esse, in qua solennis eorum facta est commemoratio, preces fusae sunt, quibus Deo grates pro eorum martyrio agebantur, inde dictae *sacrifitia pro natalitiis martyrum*. De quo supra egi. 4. *Vigiliae* quoque, ante illos dies agi solitae, ex Gentilismo ortae, vid. Arnob. adv. Gentes, et ibi notae, quibus noctem praecedentem hymnis ac precibus ducebant, adhuc in usu fuerunt, Chrysost. homil. de *Martyribus* et Sidon. Apollin. l. V. Sed cum multus ejus loci esset abusus, Leontius, Episcopus Antiochenus, illud in Templum

revocavit,

revocavit, Theodoret. H. V: 32., concilium vero Illiberit. *foeminis* interdixit. 5. *Cerei* quoque in eorum honorem non tantum de nocte, sed et de die, accendebantur; quod idem concilium prohibuit, sed in Templis Paulini aetate adhuc obtinuisse, ex ejus versibus, in natali III. Felicis, patet. Singularis est ratio interdicti Illiberitani, inde petita, *quod Spiritus sanctorum non sint inquietandi*, vix aliter explicanda, quam ex opinione Veterum nonnullorum de animabus, vel in subterranea aliqua custodia, aut in cubilibus una cum corporibus suis detentis, quod jam observavit Cl. Heuman in *poecile* t. III. vel terram visitantibus, et fideles subinde admonentibus: ut acta habent Fructuosi martyris: quibus itaque haec superstitio displiceret: ut J. Basnagius Ann. Pol. Eccles. a. 305. conjicit. Praecipua difficultas cum in eo residеat, quod ratio interdicti a sanctis inquietandis peti videatur, ei forte occurri potest statuendo, legi posse *inquietandi etiam*, pro *enim*, *non sunt* etc., et duo distincta prohiberi, cereos accendere de die, ac spiritus sanctorum inquietare: cui opinioni robur addit, quod sequatur, *qui haec* in plur. *non observaverit* etc. Inquietare autem spiritus tunc erit, eos evocare, ciere, ad consulendum. Quod erat superstitiosum, et jam invaluit. Ceterum his pervigiliis et cereis, tanquam a superstitione non inmunibus, sese jam init. sec. sequent. opposuit Vigilantius, Barcinonensis in Hispania presbyter, de quo postea suo loco, quem refutare adgressus est Hieronym. in libro contra eum; ubi, quod notandum, negat, *cereos de die accendi:* nescio quam vere; cum canon Illiber. diserte *de die* habeat, nisi voces eas quis velit expungendas cum Heumanno. Agnoscit tamen ibid. Hieronymus, cereos in honorem martyrum accendi ab inperita plebe, et religiosis foeminis, zelo, sed sine scientia, flagrantibus: posset itaque censeri de se, suique similibus, loqui, cum dicit, *cereos clara luce non accendimus.* Ipse August. de *moribus* Ecclesiae Cathol. c. 34. et contra Faustum Manichaeum XX: 21. candide agnoscit, ingentem ejus consue-

tudinis abusum. Quod idem in *conviviis* obtinuit, quae, quod 6. observandum est, juxta monumenta martyrum instituì solebant, et speciem *agaparum* praeferebant, Chrys. hom. in sanctam *Jul.*, Greg. Naz. carm. IX. et Theodoret. Therapeut. serm. 8. Quae cum in abusum vertissent, abolita sunt Mediolani ab Ambrosio, teste Augustin. confess. VI: 2. in Ecclesiis Africanis, ope ipsius, per Aurelium Episc. Carthag., ut habet can. 30. Carthagin. III., in Gallia per concilium Aurelianense; secundum canonem ejus *secundum*. Qua vero ratione Augustinus in iis abolendis processit, ipse exponit ep. 29. ad Alypium, lectu et ideo digna, quod modum contineat, quo pravae consuetudines eliminandae sunt. Tradit quoque ibi, morem convivia tunc celebrandi fuisse introductum, in gratiam gentilium conversorum, qui ejusmodi festivitatibus in honorem idolorum erant adsueti. Vid. etiam Gregor. M. l. XI. ep. 76. Ex quo simul elucescit, unde tot pravae, et superstitiosae, consuetudines hoc, et sequentibus seculis, in Ecclesiam irrepserint. Similiter jam sec. IIItio indulsit Gregorius Thaumat., ut in ejus vita refert Gregor. Nyssenus. Plura de his epulis, et eorum origine, ac abusu, qui velit, adeat Murator. in Anecdot. Graecis. Denique, ut hoc dictis subjungam, cum propter martyrum copiam singulis proprii dies adsignari non possent, unum habuerunt jam festum in omnium Martyrum laudem, dictum κυριακὴν τῶν ἁγίων *dominicam omnium sanctorum*, Chrysost. hom. de *martyribus totius orbis:* unde etiam patet, hunc diem proxime post Pentecosten incidisse.

§. CXL. *Jejunia*, de quibus differendum unice restat, fuerunt, alia hebdomadalia, alia annua. *Hebdomadalia* adpellata sunt *stationes*; semijejunia, et jejunia feriae *quartae* et *sextae*, Gr. νηστεῖαι τῆς τετράδος, καὶ τῆς παρασκευῆς: de quibus ad sec. praeced. jam egi. Hic conferatur Victorinus de *fabrica mundi* apud Cave in hist. Litter., can 15. Petri Alexandrini, Basil. M. ep. 93. Epiphan. haer. 75. Const. Ap. V: 15. VII: 23. Repetit ea ab Ecclesiae institutis August.

ep.

ep. ad Casulan. 86. Durabant ad horam nonam, seu tertiam nostram pomeridianam: Epiphan. expos. fid. §. 22. Conventus quoque sacros tunc fuisse habitos, supra ad sec. praeced. vidimus. Sed in Ecclesiis Occidentalibus *Sabbatum* quoque his diebus jejunii additum est, donec, feria *quarta* cessante, in ejus locum successerit sabbatum. Vid. Albaspinaeus Obs. l. I. c. 13. Nec tamen in omnibus Ecclesiis Occidentis *Sabbato* fuit jejunatum: alius enim mos obtinuit in Ecclesia Mediolanensi. Ambros. de *Elia et jejunio*, August. ep. 118. ad Januarium, et 86. ad Casulan., ubi de Romana et paucis Ecclesiis Occident., jejunatum esse eo die, asserit, sed Romae saepe variatum esse tradit Socrat. H. V: 12. Num autem ab omni antiquitate in illis Ecclesiis jejunatum sit, vel quando mos inceperit, definiri nequit. Can. 26. Illiberit., morem eo tempore in Hispaniam fuisse introductum, innuere videtur. Ceterum jejunatum censetur eo die, quia Christus tunc in sepulchro fuit, ut habet Innocent. Papa ep. ad *Decentium*. Alii aliam dant rationem. Vid. Cassianus Instit. l. III. c. 10. Morem Romanum a Petro originem repetere, quod, cum Simone Mago die dominico certaturus, propter ipsum magnae tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis Ecclesia jejunaverit, nonnullos tradere, dicit l. cit. Augustin., sed addit, plerosque Romanos pro fabula habere, et ipse originem diversae Ecclesiarum consuetudinis inde derivat, quod moram Christi in sepulchro, alii pro *quiete*, alii pro *luctus* materia, cum Discipulis Christi, habuerint.

§. CXLI. Ad *anniversaria* jejunia in primis pertinet Quadragesima, a qua voce, ut illud in transitu observem, fluxit vox barbara *carantena*, et contracte *carena*, unde *carantenam* observare dicuntur, qui ex suspecto loco veniunt, quia 40. dierum moram trahere debent. Ipsa vero vox inde nata est, quod ad Mosis, Eliae, et Christi jejunium respiciatur, ut est apud Cassian. coll. XXI. Hieronymus quoque contra *Jovinianum*, Cristum dicit *quadraginta diebus*

Christianorum jejunium sanctificasse. Continuit passim quadragesima *sex* vel *septem* hebdomad., ita tamen, ut 1. sabbata, unico sabbato antepaschali excepto, et dies Dominici, exemti sint, quippe quibus jejunare in plurimis Ecclesiis nefas erat. Chrys. hom. XI. in Genes., et Cassian. collat. XXI. c. 24., magna adhuc 2. locum habuerit varietas, cum aliae Ecclesiae *tres*, aliae *sex*, aliae *septem* hebdomad. jejunaverint Socrat. H. V: 22. et Sozom. H. VII: 19. De rationibus observatae quadragesimae vid. Chrysost. Orat. III. adversus Judaeos. Inter quas, praeter supra ad sec. praeced. datas, hoc tempore fuerunt ex. gr. praeparatio ad Pascha, Chrys. hom. *in eos, qui pascha jejunant*, et *de ira*, praeterea catechumenorum, et poenitentium, praeparatio, illorum ad baptismum, et horum ad receptionem, Cyrill. Hier. cat. I., quare baptizandi nomina sua dare debebant ante quadragesimam, ut habet concil. Carthag. IV. et Siricius Papa epist. I. ad Himerium. Refert quoque Hieronym ep. LXI. ad Pammachium, *consuetudinem esse, ut his, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies tradatur sancta et adoranda Trinitas.* Erat quoque, sicut baptismi, ita absolutionis, solenne tempus Pascha, secundum concil. Ancyranum, et Greg. Nyssen. epist. canonicam ad Letoium, ut et Petri Alex. Obtinuit quoque adhuc varia libertas in observanda quadragesima, cum ejus neglectus neminem subjecerit censurae, et infirmitas corporis plane excusaret Socrat. H. V: 22. Alios aliis fuisse rigidiores tradit Chrysost. hom. IV. ad Antiochen., qui abstinentiam a cibis adnumerat adiaphoris; sic et hom. X. ad Genes., ne quidem carpendos esse dicit, qui prae infirmitate cibum sumunt ante vesperam. Poenam primum addidit can. 69. Apost., sicut deinde etiam Aureliani concilii can. 2dus a. 541. Ex quo colligi potest, canonem illum Apost. recentioris esse originis; quales inter eos alii sunt.

§. CXLII. Durabat per singulos illos dies jejunium usque ad vesperam, et in abstinentia ab omni cibo situm erat.

noi

non ab hoc vel illo, Basil. M. hom. de *jejunio*, et Chrysost. variis in homiliis ad Genes. Qui mos in ipsa Ecclesia Romana ad sec. XII. usque duravit. Vid. Bellarmin. de *bonis oper.* l. II. Erat vero *coena*, jejunium singulis diebus excipiens, frugalis quidem, sed sine ciborum discrimine, licet passim a carne, piscibus, aliisque lautioribus, sibi caverint, ut et a vino: sed sine ulla regula aut lege, multaque cum varietate, Socrat. H. V: 22. Praeterea, quod ad celebritatem Quadragesimae pertinet, toto 40 dierum spatio, nec reorum supplicia, nec quaestiones criminalium, licebant, per legem Theodos. M. in cod. Theodos. l. IX. tit. de *quaestionibus*; tantum id permisit in causa *Isaurorum* latronum Theodos. Jun. ibid. Celebrati quoque fuerunt illi dies, ut reliqui religiosi, per secularium negotiorum cessationem, conventus religiosos, homilias, frequentes communiones, et alia devotionis exercitia. De quibus plura dixisse nihil adtinet. Illud addatur, sponsalia et nuptias non licuisse celebrari, et a debito conjugali passim abstinuisse devotos, ut ex variis Augustin. sermonibus, ac aliunde, liquet.

§. CXLIII. Peculiarem meretur animadversionem ultima hebdomas, quae majore severitate et devotione fuit insignis, et propterea *hebdomas magna* dicta, etiam *passionis* Domini, de qua vid. Bevereg. ad canon. Trullan. 80. et ex Veteribus Chrys. hom. de *hebdomade magna*, ad Ps. CXLV. et XXX. in Genes., ubi istius adpellationis rationem profert, et privilegia recenset. Cessabant tunc omnia forensia, et incarcerati quoque dimittebantur, severius quoque institutum fuit jejunium, ipso quoque *sabbato*, quo alias non jejunabatur: alii duos dies continuos, alii tres, alii quatuor, alii totam hebdomadem jejuni transigebant; qui coenam sumebant, alii contenti erant ξηροφαγίᾳ *victu arido*, pane scilicet, cum sale et aqua, Epiph. expos. fid. §. 22. et haeres. 29. Nazaraeorum, Dionys. Alex. in Ep. canonica, apud Bevereg. in Pandectis, Constit. Apost. V: 17. Adpellarunt

larunt hoc jejuniorum genus Gr. ὑπερθέσεις, Lat. *super positiones*, Victorin. in hist. Litt. Cave. Nuncupavit quo que Dionys. l. c. tales jejunatores continuos per integran hebdomad. ὑπερτιθεμένους; quod alias etiam dicitur ἐπισυνάπτει τὴν νηστείαν, uti Tertull. *conjungere jejunia*. Feria vero *quinta* qua Dominus est proditus, et eucharistiam instituit, pra aliis erat sancta, propterea ἡ ἁγία καὶ μεγάλη πέμπτη *sanct et magna quinta* dicta Chrys. hom. de *proditione Judae*: Qu die communio celebrabatur post *coenam*, in nonnullis Ec clesiis Latinis, ad exemplum Christi, August. ep. 118. a Januar. et can. 23. Carthag. III. Servi etiam *communicabant* teste Moscho *in prato spirit.* Adpellata postea est *coena Do mini*, etiam *natalis calicis*. Fulsit etiam praecipua sancti tate feria *sexta*, seu dies sequens Veneris, quia Domint tunc est crucifixus, unde *pascha* σταυρώσιμον *crucis* nuncupa tur: quo die *poenitentes*, quorum tempus exspiraverat, ab solvebantur, Ambros. ep. 20. ad *sororem*, et generalis in dulgentia, seu remissio, adnunciabatur toti populo, ac da batur. Nec sua eximia celebritate carebat feria *septima* non tantum ob *jejunium*, a diebus Sabbati alias alienum sed et ob illud prorogatum ad *galli* cantum usque, Const Ap. V: 18., praeterea ob *vigilias* paschales, summa cu pompa agi solitas, luminibus in publicis et privatis locis ac censis, Const. Ap. et Epiph. l. c. Eus. vit. Const. IV: 2: Qua nocte catechumeni baptizabantur, Chrys. ep. I. ad In nocent. ubi adpellatur *sabbatum magnum*, et Palladius i vita Chrysostomi.

§. CXLIV. Praeter Quadragesimam, cum alia non fue rint stata jejunia, nisi quod unum *menstruum*, singulis men sibus, exceptis Jul. et Augusto, recurrens, incertum qu die, institutum sit a concilio Illiberitano in Hispania, ub jejuniorum *superpositiones* vocantur, quia nova erat eorum inpositio et indictio, uti eam vocem ibi exponit Albasp naeus, tractationi de jejuniis subjungam eorum *efficaciam* et fructum, ex Veterum opinione. Etsi jejunium, a ve

poen

poenitentia et abstinentia a peccatis sejunctum, nihil valere dixerunt, et inculcarunt, ut loca a Dallaeo de Jejun. l. II. c. 14. adducta, quibus omnino addi debet Ephraem. Syr. in Sermon. *de diversis* Oper. Syr. tom. III. p. 641.— demonstrant, Chrysost. quoque hom. X. ad Genes. jejunium non propter se, sed ut paratiores simus ad Spiritualia, institutum esse, adserit, Cassianus Instit. Coenob. l. V. c. 22. jejunium pro fine habere dicit *purgationem animae*, sine qua nihil valet, jejunium quoque, dicit Hieronymus ep. VIII. ad Demetriadem, *non est perfecta virtus, sed ceterarum virtutum fundamentum est*, sic et epist. XIV. ad Celantiam, sive quisquis ejus autor sit, *Cave*, inquit, *ne, si jejunare, aut abstinere, coeperis, te putes esse sanctum: haec enim virtus adjumentum est, non perfectio sanctitatis* etc. negari tamen nequit, eos de jejunio tanquam poena aliqua, pro peccatis inposita, et remissionem peccatorum, ac favorem Dei, promerente, nimis emphatice, ac rhetorice, esse locutos, ideoque ansam opinionis de merito ex opere operantis praebuisse. Basil. M. Orat. I. de *jejunio*, *Poenitentia*, inquit, *sine jejunio, otiosa est et infrugifera: per jejunium satisfacito Deo;* usus verbo *ἀπολογήσαι excusare*, quo quis sese apud Deum pro peccatis suis quasi defendit et excusat. Cyrill. Hieros. cat. IV. quoque *meritum* adscribit jejuniis. Epiphan. exp. fid. l. c. jejunia non veretur dicere *pro peccatis nostris Deo inputari.* Ipse Chrys. hom. 31. in Act. *καθάρσιον expiationem animarum* vocat. Alia, quae ex. Greg. Nyss. Orat. in *principium jejuniorum*, Ambros. de *Elia et jejunio*, et aliis, producere possem, mitto: ne prolixior sim.

§. CXLV. Cum, praeter *loca et tempora*, ad circumstantias cultus religiosi nonnulla alia referri queant, uti *vestes sacrae*, a civilibus distinctae, et *gestus* corporis in precibus, ac de vestibus jam supra monuerim, ubi de honore Templorum, hic de precibus aliquid subjungam. Quadruplex obtinuit in illis *gestus* corporis, exclusa *sessione*, nunquam usitata. 1. *statio* diebus dominicis, et a paschate ad Pentecosten;

ten, in usu fuit, in memoriam resurrectionis Domini. Pseudo-Just. M. quaest. ad Orthod. 115. Epiph. exp. fid. §. 22. Basil. M. de Spiritu. S. c. 27. Const. Ap. II: 59. Hilarius prolog. in Ps. et Cassianus Instit. coenob, l. II. 18. 2. Alias fuit *genuflexio* communis precantium gestus, ut ex modo citatis locis, quibus ea temporibus memoratis vetatur, satis elucescit: unde in Actis Theclae, apud Grab. in spicilegio Patrum, precatio adpellatur κλίσις γονάτων. Vid. et Eus. H. II: 23. *Inclinatio* vero capitis, 3. locum praecipue habuit in recipienda benedictione ab Episcopo, et precibus cum ea conjunctis, pro *catechumenis*, *et poenitentibus*: ut supra tetigi. Vid. Const. Ap. VIII: 6. 4. Denique *humistratio* in extraordinaria humiliatione, ex. gr. cum lapsi, preces introeuntium in Ecclesiam petentes, sese ante eorum pedes prosternerent, Socrat. H. I: 37. III: 13. et Theodoret. H V: 18. et aliis in casibus, Ambros. ad Ps. CXVIII. serm. 20. Singularis est ritus, cujus meminit Eus. ad Ps. XXII. in collect. nov. Montfalcon., quo flexis genibus terram fronte tangebant. Ceterum, sicut antea, ita et hoc sec., manus in coelum levabant, in formam saepe crucis, uti de Ambrosio testatur Paulinus in ejus vita, et de Fructuoso Prudent. Peristephan. hymno 6. Addit quoque Chrys. hom. XXII. in Epist. ad Hebr., nonnullos, prae coelestium ardente studio, se nimis in sublime ferre. Erant tamen a theatralibus gesticulationibus alieni, Chrys. hom. 3. de verbis Jesaiae. Denique vultu ad Orientem verso adhuc orabant, sive quod ibi paradisus esset, et primus homo conditus, ut Gregentius habet *contra Judaeum*, sive Christus ibi in coelum adscenderit, sive quod symbolum lucis esset. Quae rationes apud Veteres, ut Basil. M., Const. Apost., Pseudo-Just. M., locis supra citatis, et alios prostant.

REGIMEN.

§. CXLVI. Plebs, ut ab ejus juribus ordiar, in Episco-

porum

porum et Presbyterorum electione easdem retinuit partes, quas antea, in Oriente usque ad concil. Nic. II. adhuc, ut observavit Bevereg. ad ejus canones in Pandectis, et in Occidente adhuc sec. IX., de quo postea. In Episcoporum electione fideles mentem declarabant, vel per adclamationes ἄξιος *dignus*, aut ἀνάξιος *indignus* est. Euſ. H. VI: 29. Const. Ap. VIII: 4. Ambros. de *dignitate sacerdotii* c. 5. vel per subscriptiones decreto electionis, ne vota retrahant, uti in electione Meletii Antiocheni, Theodoret. H. II: 31. Quo etiam facit, quod Athanasii electioni fuerit inter alia objectum ab Eusebianis, quod *popularis consensus defuerit*: quod refutatur in apol. II. Athanasii, Vid. et Greg. Naz. Or. XXI. Cujus quoque juris respectu plebem subinde *parentum* titulo Episcopi ornarunt, uti Ambros. comment. in Luc. l. VIII. *vos mihi estis parentes, qui sacerdotium detulistis.* Chrysost. quoque de *sacerdotio* l. III. populum adpellat *dandi honores dominum.* In Presbyterorum electione idem obtinuisse, ostendit Hieron. ep. IV. ad Rusticum, et ad Ezech. l. X. Siricius Papa ep. I. ad Himerium Tarracon., Chrysost. hom. XVIII. ad 2 Cor. De quo utroque plebis privilegio constat quoque ex can. 1. et 22. concil. Carthag. IV., nec ei aliquid est derogatum per. can. 4*tum* Nic., secus ac nonnullis visum, cum Metropolitanorum et Episcoporum provincialium jura ibi tantum stabiliantur, salvo jure plebis; uti ex Epist. synodica concilii ad Alexandrinos apud Theodoret. H. l. I. constat. Adversari quidem juri plebis magis videtur canon. 13. Laodicenus, quo τοῖς ὄχλοις *turbis* vetatur *electio*; sed restricte capi potest, ita ut penes solam plebem non sit electio, excluso Episcoporum judicio, multo minus penes infimam, vel tumultuantem, plebem. Quo etiam facit monitum Coelestini Papae sec. V. epist. III. *docendam esse populum*, scilicet ut bonum eligat et legitimum, *non sequendum.* Partes quoque plebi fuisse in regimine Ecclesiae in Ecclesiis Africanis, tempore adhuc Augustini et Optati Milevitani, vel ex eo est manifestum,

Antiocheni, et Conft. Apoft. II: 25. Quod tamen per *Oeconomum* ab Epifcopo fieri praecepit concilium Chalcedon. A quo tempore, ut illud anticipem, in Oriente conftituti funt Oeconomi, ferius in Occidente, qui erant adminiftratores, et Epifcopo rationes debebant, quare et *vicedomini* adpellati funt. Quo nomine venerunt, cum domus Epifcopalis oeconomi, rerum domus ejus curatores, tum rerum Ecclefiafticarum adminiftratores. Erant in initio aeque Laici ac Clerici, fed poftea tantum Clerici, qui, cum faepe male curarent, *Vitricorum* Ecclefiae titulum meruerunt. Vid. Schurfleifch. de *Vitricis Ecclefiae* 3. Judices quoque litium et caufarum civilium, per ipfas Inperatorum leges, conftituti funt, fi litigantes ex compromiffo ad ipfos provocarent, fed exceptis criminalibus. Licebat tamen Epifcopis fe excufare, Ambrof. de offic. l. II. c. 24. qui etiam l. III. c. 9. declarat et deducit, in *caufis pecuniariis intervenire* non effe Sacerdotis. Ceterum ftandum tunc erat Epifcoporum judicio, quod a Judicibus fecularibus erat executioni mandandum. Euf. vit. Conft. IV: 27. Sozom. H. I: 9. Exftant de ea praerogativa leges Arcadii et Honorii in cod. Juftin. l. I. tit. IV., fed Conftantini lex, cujus hiftorici citati meminerunt, non fupereft: quae enim ad calcem cod. Theodof. reperitur fpuria eft, et nimiam Epifcopis tribuit autoritatem: de quo vid. Gothofred. De exercitio autem hujus poteftatis conftat ex Ambrof. ep. 82. ad Marcellum, Synefio ep. 105. et aliis. Committebant autem caufas ad fe delatas, ut plurimum, Presbytero aut Diacono fuo, ut fecit Auguftin. ep. 110. Sylvanus vero, Epifcopus Troadis, obfervata Clericorum avaritia, Laico perito et fideli, Socrat. H. VII: 37. Denique ipfas manumiffiones in Ecclefia fieri coram Epifcopo permifit Conft. M., ut Sirmond. obfervavit Op. t. V. ad Auguftin. fermones ad Script. S. 4. Poftremo nonnulli eo abrepti funt, ut in bona et vitam aliorum fibi per cenfuram Ecclefiaft. adrogarint poteftatem; uti Cyrillus Alex. in Novatianos,

quod

quod praeter ordinem sacerdotalem factum esse notavit Socrat. H. VII: 7. De Ithacio, et aliis quibusdam Episcopis Hispanis, qui a Maximo potestatem inpetrarunt occidendi Priscillianum, Martino tamen et aliis se opponentibus, postea suo loco dicam. Vid. Sulp. Sever. H. l. II.

§. CXLIX. Summae Episcoporum *dignitatis*, quam mirifice, una cum potestate, extulit, praeter Ambros. de *dignitate sacerdot.*, ipse historicus Sozom. H. II: 34. eam regiae aequans extra Ecclesiam, et ei praeferens in ea, ubi vid. Vales. sic et Gregor. Nazianz. Orat. XVII. p. 271: Principibus dicit, *vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subjicit, imperium enim nos quoque gerimus, addo, etiam praestantius, et perfectius*, varia ad manus sunt indicia, quae strictim proferam. 1. Caput coram Ipsis inclinarunt, ad eorum benedictionem recipiendam, ipsi etiam Imperatores, Chrysost. hom. 3. ad Antiochenos, qui inde jam collegit, eos esse Principibus honoratiores, vid. et Hilarius adv. Constantium. Plura dat Vales. ad Theodoret. H. IV: 5. 2. Manus eorum deosculabantur, Chrys. hom. in Meletium, et Pseudo-Ambros. de *dignitate* sacerdotii, loco notabili, quo Regum colla et Principum dicit submitti genibus sacerdotum, et, *exosculata eorum dextra, orationibus eorum se communiri credere* etc. nec non Sidon. Apollin. l. VIII. ep. 11. et ibi not. Savaronis. 3. Adeo prodigi fuerunt in honore Episcopis deferendo, ut ipsis *Hosanna* non erubuerint adclamare; teste Hieronym. ad Matt. XXI. et damnante. Vid. etiam quae ex Antonini Monachi itinerario protulit Vales. ad Eus. H. II: 23. Quo 4. magnifica quoque pertinent elogia, et tituli, quibus eos adlocuti sunt, et ornarunt. Cum Episcopum adpellarent, dicere solebant, *precor coronam vestram*, et per *coronam vestram*; Hieron. ep. 26. ad August., et August ep. 33. ad Proculejanum, Sidon. Apollin. l. VI. ep. 3. ubi Savaro vid. Quae formula unde nata sit, non constat, et variae exstant Doctorum conjecturae. Alii ex. gr. derivant a *tonsura* clericali, uti Gothofr. ad Cod. Theod.

Theod. l. XVI. tit. 2. et autor Gallicus R. P. Dom. S. Mauri, qui eſt Jaques Martin. in *explic. difficil. locorum Script.*, qui ipſam tonſuram ab Apoſtolorum repetit temporibus, ſatis temere: alii a mitra, vel ornamento capitis, alii aliunde. Vid. Valeſ. ad Euſ. H. V: 24. et Petavius ad Epiphan. haer. 78. Poſſet etiam forte cogitari de ritu ordinandi Epiſcopum, quo *Euangelium* ſuper caput tenebatur, quippe quod *tiaram* euangelii accipere adpellat Chryſoſt. de *laudibus Euangelii.* Praeterea adpellati ſunt θεοφιλέστατοι, ἁγιώτατοι *Deo cariſſimi*, et *ſanctiſſimi*, uti ſaepe in Novellis Juſtin. et apud Socrat. H. l. VI. in prooemio: *Principes* quoque populi, Optat. Milev. contra Donatiſt. l. I. et Hieron. ad Jeſ. III et LX., etiam *capita*, vid. Savaro ad Sidon. Apollin. l. VII. ep. 5. principes ſacerdotum, ſummi ſacerdotes, et Pontifices, relate ad Presbyteros, vid. Savaro ad Sidon. Apollin. l. IV. ep. 11. Pontifices Maximi, cujus tamen tituli neſcio num mentio occurrat ante finem ſeculi; memoravit utique eum Paulinus Nolanus ep. ad Roman.; Patres Patrum ſeu Papae, quod nomen primus habuit Heraclas Alexandrinus, et *avum* ſignificat, ſi credendum ſit Eutychio, vicarii Chriſti et *apoſtoli.* Vid. Sidon. Apollin. l. VI. ep. 7. et ibi Savaro, nec non *mediatores* inter Deum et populum, ut eos adpellavit Gregor. Nazianzen. Orat. I. p. 37. etc., quod memoraſſe ſuffecerit. Imo Gregor. M. l. V. ep. 40. ſatis temere et falſo jam contendit ſec. VI., ſacerdotes etiam Angelos, aut Deos, vocari in Script. S., ſeſe in illis fundans locis, quibus *Judices* Iſraelis אלהים *Dei* nuncupantur; nec majore fundamento profert dictum Conſtantini M. ad eos: *vos Dii eſtis, a vero Deo conſtituti: ite, et inter vos cauſas veſtras diſponite, quia dignum non eſt, ut nos judicemus Deos.*

§. CL. 5. Dignitatem quoque Epiſcopalem demonſtrat, quod pro *reis* deprecari fuerint cum effectu ſoliti apud Imperatores, et Magiſtratus, eoſque a morte liberare. Vid. Paulin. in vita Ambroſii. Auguſt. ep. 153. nec non Socrat.

H. V:

H. V: 14. VII: 17. Quod tamen in caussis criminalibus, non pecuniariis, solebat fieri, Ambros. Offic. l. III. c. 9. qui etiam alibi Off. l. II. necessariam addit restrictionem. Ceterum morem, quo Episcopi et Monachi reos eximebant supplicio, repetit Cujacius *Parat. cod:* de *audientia Episcopi*, ab exemplo sacrificulorum, qui eodem gaudebant privilegio. 6. Huc etiam facit, quod in Ecclesia sederint in cathedra sublimiore, titulo etiam throni, imo *excelsi*, ac *sublimis*, insignita. Greg. Naz. *somnio Anastasiae*, et Orat. XX. in Basil. M. Quod ipsum antea vitio fuit Paulo Samosateno versum, Eus. H. VIII: 30. 7. Referenda etiam huc est consuetudo, qua dies *Ordinationis* Episcopi fuit anniversaria solennitate celebratus, August. hom. XXIV. et XXV. ex *quinquaginta* tom. X. Unde est, quod in vetustis martyrologiis nonnunquam festa occurrant annua, sub titulis, *ordinatio Episcopi, et natale Episcopatus.* Ceterum in ea festivitate S. Scriptura legebatur, conciones habebantur, et Deo laudes canebantur. Quando et unde mos iste inceperit, certo non constat. Primum ejus exemplum exstat in Damaso Papa, in *praefatione* libelli *Faustini et Marcellini*, ubi ad *natalem suum* solenniter invitasse legitur Italiae Episcopos. Sic et Anastasius Paulinum Nolanum ad eam solennitatem vocavit, ut est in Paulini epist: 16., et inter Leonis M. sese offerunt *sermones in anniversario die adsumtionis suae* habiti. 8. Pertinet quoque ad dignitatem, et autoritatem, Episcoporum *visitatio* Ecclesiarum, cum potestate conjuncta, et ex officio facta, uti hoc maxime sec. incepit, cum ante ex sollicitudine, sed sine inperio, fuerit instituta, etiam per alias Ecclesias. Erant autem per leges Ecclesiast., ut illud hac occasione observem, visitationes annuae, licet saepius per annum ex officio peractae sint, et eum in finem constituti sunt, nomine Episcoporum, *περιοδευταί circuitores*, sive fuerint Presbyteri, sive Diaconi, etiam chorepiscopi, secundum canones Laodicenos. Exegerunt autem hoc nomine *procurationes* h. e. mansiones, paratas, fodrum,

albergarias, uti postea adpellari coeperunt, quibus cum societate sua sustentabantur istis in locis, initio quidem instar stipendiorum, pro opera praestita, sed, progressu temporis, statu Ecclesiae depravato, et hierarchia magis invalescente, jure *subjectionis*, et ad expilandas Ecclesias. De quo postea. His omnibus addatur, hinc natum fuisse can. VI*tum* concil. Sardicensis, quo vetatur, Episcopum constituere in aliquo pago, vel exigua urbe, ne *Episcopi nomen vel autoritas vilipendatur*. Quod tamen varias ob rationes semper non est observatum, inter quas fuit, ut factionem suam per Episcoporum numerum firmarent: sicut Catholici et Donatistae sibi invicem exprobrarunt in *collatione* Carthagin. I. Vid. etiam de Basilio M. Greg. Naz. Orat. XX. de *laudibus Basilii.*

§. CLI. Fuerunt quidem Episcopi, ut de eorum ad se invicem *relatione* nunc differam, singuli in Ecclesiis suis *independentes*, non tam *dogmatum*, cum hac in re collegio Episcoporum subessent, quam rituum, et similium causarum, respectu, uti in confessionibus fidei et liturgiis diversimode exprimendis ac ordinandis, in jejuniis indicandis, et similibus aliis rebus. De quo ipsa confessionum, liturgiarum, et jejuniorum varietas satis testatur. Versata quoque haec independentia fuit in Ecclesiis Africanis circa rebaptizandos haereticos, adulteros in communionem recipiendos, etiam circa valorem baptismi Clinicorum: uti ex variis Cypriani elucescit locis, et ad sec. praecedens abunde demonstravi. Attamen non fuit et hac parte independentia absoluta, sed certis limitibus circumscripta 1. per communem fidem et religionem, quae, si in aliqua dioecesi periculum subibat, aut damnum patiebatur, omnium censebatur esse Episcoporum aequali jure ad commune periculum concurrere, adeo ut eo in casu orthodoxos aliquando Clericos ordinarint in aliena dioecesi: uti in civitatibus Arianismo infectis fecit Athanasius, ab exilio redux, in itinere, Socrat. H. E. II. 24. ut et Eusebius Samosatenus tempore persecutio-

nis Arianae, Theodoret. H. IV: 12. Epiphanius etiam sibi eo fundamento, vel praetextu, idem adrogavit in dioecesi Johannis Hierosolym., uti in Ep. ad Johannem se defendit. Quo sensu et respectu orbis universus erat una dioecesis, et unus per orbem Episcopatus, sicut supra ex Cypriano vidimus. Sic et Athanasius tanquam *universo orbi praefectus* dicitur a Greg. Naz. Orat. XXI. et Basilio ep. 69. ad Athanasium: ne alios memorem. Quo eodem sensu erant quasi, et adpellabantur, *Universales* Episcopi, ut de Basilio habet Greg. Naz. l. c., et alibi de Eustathio Chrysost. Simul visitationes adhuc per omnes Ecclesias instituebant, non ex inperio, sed *officio*, ut modo notavi.

§. CLII. 2. Quo etiam pertinet, quod mutuam communionem exercuerint Episcopi et Ecclesiae per litteras encyclicas, et formatas, nec non per mutuum consensum in traditiones Apostolicas, ac universalium Synodorum decreta: de quibus aliquid dicendum restat. *a.* Per litteras *encyclicas* circulares Episcopus suam ordinationem et communionem cum reliquis collegis declarabat, et testificabatur, quae propterea *enthronisticae*, Evagr. H: IV: 4. et *communicatoriae*, *κοινωνικὰ συγγράμματα* Eus. H. VII: 30. vocabantur, etiam *litterae synodicae* a Liberato in *breviario*, ubi, eas summe necessarias fuisse habitas, ostendit c. 17. *β.* Litterae *formatae*, quarum *commercio* (verba sunt Optati Milev. contra Donatist., qui primus eo nomine legitur usus) *totus orbis in communionis societate concordat*; ita dictae, quod vel singulari forma, signis et characteribus, aut certis verborum formis, ut Savaro ad Sidon. Apollin. l. VI. p. 9. ut a fictis distinguerentur, scriptae fuerint, vel a forma sigilli, qua munitae erant: quare etiam *sigillatam* adpellarunt formatam epistolam Glossae Vaticanae apud Sirmondum. Fuisse quoque nomina Episcopi et civitatis illis plumbo incisa, observat Savaro l. cit. l. VII. ep. 2. Varii erant generis. Aliae erant *commendatoriae*, viris illustrioribus, et Clericis, in exteras oras profecturis, aut quorum fides in quaestio-

nem venerat, dari solitae: aliae *communicatoriae*, etiam pacificae, et canonicae, dictae, quae fidelibus in signum orthodoxae fidei et communionis concedebantur: aliae denique *dimissoriae*, quibus Clerici, ab una Ecclesia ad aliam transituri, dimittebantur. Has omnes litteras soli dabant Episcopi, ut habent canones Arelat. I. et Illiberitani, habebantque apud reliquos Episcopos tantam autoritatem, ut cum illis omnes, sine illis neminem, admitterent: ut ex canonibus Laodicen., Antiochen. et Carthag. I. patet. Qui enim ab una Ecclesia erant excommunicati, ab alia admitti non poterant, testibus canonibus Apostolicis, Nicaen. I., Antiochen. et Illiberitan. Quae Ecclesiarum praxis satis est testata exemplis, quae ubique recurrunt. γ. Quod vero ad mutuum adtinet consensum in traditiones Apostolicas et Synodorum decreta: traditiones censebantur Apostolicae, quae universaliter erant receptae, nec a Synodo aliqua profectae, quarumque ignota erat origo: ut eas difinivit August. ep. 118. ad Januar., et 66. ad Casulan. Die paschali ex. gr., per concilium Nic. universale definito, nulli Ecclesiae amplius licebat alio die celebrare: de quo supra egi. Quam eandem potestatem habuerunt concilia *nationalia*, cum nationales Ecclesiae ex orbis politici divisione obtinuerunt, et *provincialia*, respectu Ecclesiarum illius nationis, aut provinciae. Sic can. 2. concil. Toletan. IV. sec. VII. eandem cultus formam per regnum et provinciam esse observandam, decretum est: a quo tempore cessavit singulorum Episcoporum hac parte independentia, modo memorata,

§. CLIII. Insuper varia viguit inter Episcopos *subordinatio*, qua singulorum potestas magis fuit limitata: cujus notitia adcuratius est danda. *Prima* est Chorepiscoporum, urbium Episcopis obnoxiorum. Erant, ut ipsum indicat nomen, *τῆς χώρας ruris* episcopi, adeoque vere Episcopi, et non, ut multis placet, presbyteri, cum quod ab iis distinguantur, apud Athanas. apol. II. et can. Antiocheno VIII

et

et X. tum Chorepiſcopi ſubinde facti ſint illi, qui σχολάζοντες et σχολαῖοι *vacantes* Epiſcopi, etiam ordinati, ſed ab Eccleſia, ad quam miſſi erant, non admiſſi, ſine Eccleſia erant: quod de Novatianis Epiſcopis ac Meletianis quoque ſtatuit concil. Nic. I. et Epiſtola Synod. apud Socrat. H. *I*: 9. Quo etiam canon Antiochenus decimus pertinet, qui eos dicit, *manus inpoſitionem Epiſcoporum accepiſſe, et ut Epiſcopos conſecratos eſſe.* Vid. Bevereg. ad canon. Ancyranos, Blondell. in Apolog, ac Petavius ad Epiph. Sed Petrus de Marca *conc. Sacerd. et Inper.* l. II. eos non fuiſſe Epiſcopos, verum ſecundi ordinis, et Epiſcoporum vicarios in pagis et vicis, non male diſputat, ac de variis hujus miniſterii fatis diſſerit, ita tamen ut admittat, vacantes Epiſcopos ad hoc munus aliquando, ſed extraordinarie, fuiſſe adhibitos: Illud mihi conſtare videtur, eos fuiſſe Presbyteris ſuperiores, ſed Epiſcopis, proprie dictis, inferiores, et ab Epiſcopo urbis dependentes. Vid. Zieglerus de *Epiſcopis* l. I. c. 13. ubi de ipſis fuſe diſſerit. Utique oppidano Epiſcopo, ad cujus ditionem illa regio pertinebat, erant ſubjecti, ſicut LXX diſcipuli Apoſtolis, quo nomine veniunt can. 14. Neo-caeſar.; quare a ſolo Epiſcopo ordinabantur, teſte canone Antiocheno, nec presbyteros aut diaconos, niſi permittente Epiſcopo, ordinare poterant ruri, ut praeter can. cit. habet Ancyranus. Attamen poteſtate gaudebant inferiores clericos ordinandi, baptizandos confirmandi, clericis litteras dandi dimiſſorias, ut canones Antiocheni habent, denique ſacris, praeſente Epiſcopo, in civitate operandi, teſtibus canonibus Neo-caeſar. Ceterum Chorepiſcopi nec ubique, nec ſemper, fuerunt. Concilium Laodicen. in pagis et vicis vetuit conſtitui epiſcopos, et eorum loco juſſit introduci περιοδευτὰς *circumcurſatores*, ſive curatores et viſitatores: quo nomine nonnulli presbyteri occurrunt in Actis Chalcedon. Nec tamen penitùs ceſſarunt, ut ex Greg. Naz. ep. 245. Baſilii M. variis epiſtolis, Theodoret. ep. 113. ad Leonem, aliiſque, adparet: imo ſec. VII. adhuc fuiſſe, ex Iſidor.

dor. Hiſpal. de Offic. Eccleſ. I: 6. liquet. Sed a. ſec. IX. in Eccleſiis Occident. plane abrogati ſunt per dominium Papale.

§. CLIV. *Secunda* ſubordinatio eſt unius provinciae Epiſcoporum, uni tanquam capiti ſubjectorum; quare *ſuffraganei* dicti ſunt, quia ab ipſo ad ſuffragia danda in unum coguntur; cum autem tales eſſent Septuaginta in provincia Romana, *librae* Romanae et Occiduae nomen acceperunt, quia tot ſolidos, ſeu partes, habet libra. Baronius ad ann. 302. Dictus fuit *primus* antea, et *caput*, cui ſubordinati fuerunt reliqui, can. 37. Apoſt., ſed hoc ſec. et deinceps Archiepiſcopus, Epiphan. haer. 68., Exarchus provinciae, can. 6. Sardicens., princeps ſacerdotum, ſummus ſacerdos; quibus nominibus ſubſtitui voluit concilium Carthag. III. *primae ſedis Epiſcopum*, cui nomen Metropolitani reſpondet, ab urbe Provinciae primaria, cujus erat Epiſcopus. In Africa vero, ſeu proprie Numidia ac Mauritania, nuncupari ſolebat *Pater*, et *Senex*, quia non a Metropolitica civitate, ſed a tempore ordinationis dependebat ea dignitas, ita ut *Primus* fuerit, qui Epiſcoporum provinciae erat in munere Senior. Sic ex. gr. licet Conſtantina eſſet Numidiae Metropolis, primus tamen Numidiae fuit tempore Conſt. M. Secundus Tigiſitanus, Auguſt. contra Parmenion. I: 3. et Ep. 68. ad Januar., tempore vero Auguſtini Megatius, Epiſcopus Calamenſis, etc. Verum in reliquis orbis Chriſtiani Eccleſiis Metropolitani erant Epiſcopi Metropolios provinciae, propter urbis praerogativam; uti canon Antiochenus habet. Erant quidem aliarum nonnunquam civitatum Epiſcopi Metropolitani, ſed honorarii, hoc titulo ipſis honoris cauſa conceſſo, ſalva poteſtate veri Metropolitani. Epiſcopus ex. gr. provinciae Senior, proximo poſt Metropolitanum loco, praeterea Hieroſolymitanus propter honorem Hieroſolymae: uti eſt in can. 7. Nicaeno; qui ita ſonat: *quoniam obtinuit conſuetudo, et antiqua traditio, ut qui eſt in AElia Epiſcopus honoretur; habeat honoris conſequentiam, Me-*

tropoli

tropoli (scilicet quae Caesarea erat) *servata propria dignitate.* Quo canone non tantum non praefertur Caesareensi, sed nec aequatur, aut ejus potestati subducitur Hierosolymitanus, verum honor ipsi tantum conceditur prae reliquis post Caesareensem, verum Metropolitanum: uti ad eum can. fuse probavit Beveregius. Denique fuerunt *titulares* Metropolitani illarum urbium Episcopi, quae titulo civilis Metropolis, salvo jure verae, ornatae erant, qualis erat Chalcedon, hunc titulum nacta a Marciano Inperatore. Qui tamen honorarii, seu titulares, hac praerogativa elati, sese deinceps aequare coeperunt veris Metropolitis; unde variae ortae sunt turbae, ut suo loco patebit.

§. CLV. Eligebantur Metropolitani ab Episcopis ejus provinciae et ordinabantur, ut ex August. in *breviculo collationis* liquet; praesidebant vero ipsi Episcoporum suae provinciae electioni et ordinationi, quae sine ejus consensu et autoritate fieri non poterant; ut variorum conciliorum canones declarant. Episcopi nimirum in Synodum coacti proponebant Episcopum, populus per adclamationes adprobabat, et ita eligebat, electioni robur addebat Metropolita. De quo electionis modo constat ex Epist. Synodica Nicaena apud Theodoret. H. I: 9. Ejus etiam erat *Ordinare Episcopum*, sed praesentibus Episcopis Provincialibus, saltem tribus: ut habent canones Nicaeni, Antiocheni, Arelatenses, Carthagin., et alii. Praeterea ipsius erat, Episcopos provinciae convocare, Synodo praesidere, causas moderari, canones, et leges Inperiales, publicare etc. Interea nihil sine Synodo sua poterat, uti diserte tradit can. Apost. 43., et Antiochenus 9., ubi in genere dicitur, eum *curam gerere totius provinciae.* Vacante vero sede aliqua Episcopali, ipse vicariam ejus curam vicino committebat Episcopo, qui animos quoque ad novum eligendum praeparabat, et adunabat. Quales Episcopi vicarii in Ecclesiis Africanis adpellati sunt *interventores*, et *intercessores*, erantque annui, nec ipsi eligi poterant, ut ambitioni obex poneretur, uti

sancivit Concilium Carthag. V*tum:* simile quid in Galliis obtinuisse, ex concilio Reiense sec. V. liquet.

§. CLVI. *Tertia* subordinatio est variarum provinciarum, in unam *dioecesin* unitarum, Episcoporum ac Metropolitanorum singularum provinciarum uni capiti subjectorum. Qui, non unius provinciae, sicut Metropolitanus, sed dioeceseos ex pluribus provinciis *Primus* erat, Archiepiscopus dictus in novellis Justiniani, et apud Epiphan. haer. 68., alias ἔξαρχος τῆς διοικήσεως *Exarchus Dioeceseos*, distinctus ab *Exarcho* τῆς ἐπαρχίας provinciae, seu Metropolitano: concil. Antioch. in actis Concilii Chalcedonensis. Qui postea titulo *Patriarchae* fuit insignitus: hoc enim nomen primum innotuit sec. V. in concilio Chalcedon., et inter historicos primus adhibuit Socrat. H. V: 8., ubi Patriarchas primum esse a Concilio CP. I. institutos refert: nec hoc sec. usquam reperitur. Nomen autem a Judaeorum Patriarchis, quales in Oriente fuerunt usque ad seculi V*ti* initia, quando sunt abrogati, ut ex codice Theodosiano colligitur, ductum est, et principem πατριᾶς, seu familiae, gentis, aut regionis, denotat. Eo autem nomine veniunt, qui pluribus praesunt provinciis, ex iis convocant Synodos, iisque praesident: quibus Metropolitani aliqua ratione sunt subjecti; quatenus ab illis ordinantur, et ad illos datur provocatio, quique ad illos eandem habent relationem, quam suffraganei Episcopi ad Metropolitanos. Quatuor diversae vigent de Patriarcharum, ut eo nomine utar, origine opiniones, quarum *prima* est, eos ab Apostolis esse institutos, quam tenent, praeter Baronium, P. Marca, Valesf. Obs. Eccles. l. III. ad calcem Socratis, Pagi ad Baron. ann. 37., alii, ex Catholico-Romanis; *secunda* habet, paulo ante Synodum Nic. I., quam fovet Marc. Anton. de Dominis de Rep. p. I. l. III., *tertia* per ipsam illam Synodum, quae Balsamoni ad can. VI. Nic. et Graecis recentioribus placet; *quarta* tempore concil. CP. I. a. 381. quam Launoius in lib. de *recta, Interpretatione* can. VI. Nic. multis tuetur, et Bevereg. ad can. Nic. et Const.

Conſt. Baſnage Exercit. Hiſt., et alii. Cum vero *prima* in ſuperioribus jam refutata ſit, *tertia* in ipſa verba can. VI. Nic., quibus nihil novandum, et antiquum morem obſervandum, eſſe traditur, directe incurrat, *ſecunda* vel *quarta* obtineat neceſſe eſt. De quo mentem paulo fuſius exponam.

§. CLVII. Dependet quaeſtio a recto can. VI. Nic. ſenſu, et praxi Eccleſiae ante illud tempus. Cum enim Synodus antiquos velit obſervatos mores, illi, et verba Synodi, ſibi invicem opem ferre debent. Verba can. VI. haec ſunt: *antiqui mores ſerventur, qui ſunt in AEgypto, Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium poteſtatem habeat: quemadmodum et Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum, ſimiliter et in Antiochia, et in aliis provinciis ſua privilegia Eccleſiis ſerventur.* Quibus verbis Metropolitanos tantum, non Patriarchas, confirmari, demonſtrare conatus eſt Launoius, quem refutavit Valeſius, ad cujus rurſus argumenta reſpondit Beveregius. Ex mea ſententia 1. ſi forte Patriarchae non intelligendi ſunt, dubio tamen caret, Epiſcopis Alexandr., Roman., et Antiochenis, hic expreſſe nominatis, majorem dari praefecturam, quam reliqui habebant Metropolitani. Nulla ceteroquin α. eos ſpeciatim memorandi fuiſſet ratio. β. Metropoliticum jus, can. 4*to* jam definitum, et confirmatum, quid adtinebat hic repetere? γ. Nec ratio patet, quare ad Romanam Eccleſiam in ſpecie provocetur, et inde argumentum pro ſede Alexandr. petatur, cum Metropoliticae eſſent plures; nec etiam δ. quare Metropolitica poteſtas a Synodo debuerit confirmari, cum ea a nemine in dubium fuerit vocata. Denique ε. Epiſcopo Alexandrino non una, ſed plures, provinciae expreſſe adſcribuntur, AEgyptus, Libya et Pentapolis. Nec 2. dubiis accenſendum eſt, Veteres in hac fuiſſe opinione, mox poſt Synodum quoque Nicaenam, jus Patriarchale confirmatum eſſe a Synodo: uti ex Innocentii Papae Epiſt. ad Alexandrum, Hieronym. ad Pammachium de erroribus Jo-

hannis Hierosolymit., Johanne Scholastico, qui sub Justiniano canones collegit scholasticos, denique can. II*do* concil. CP. I., et Synodo Oecumenica VIII*ta*, manifestum, et a Valesio jam comprobatum est. Praxis 3. Ecclesiae Alexandrinae, ei plures fuisse provincias subjectas, evincit satis clare. De quo ad sec. praeced. dixi. Addo, Epiphanium haer. 68. adfirmare, Episcopum Alexandrin. negotia administrare per *totam AEgyptum, ac Thebaidem, Mareotam, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem et Pentapolin.*

§. CLVIII. Illud forte in quaestionem tantum mitti posset, num Alexandrino in eas Ecclesias concedatur potestas, qua Metropolitano, an Patriarchae? sive, num illae diversarum provinciarum Ecclesiae, tanquam una provincia, an plures considerentur? Ratio dubitandi foret, quod in illis fuisse Metropolitanos, Patriarchae subjectos, vix determinari queat, cum Patriarcha, proprie dictus, Metropolitanos, et non tantum suffraganeos Episcopos, sibi habeat obnoxios. Synesius Epist. 66. ad Theophilum memorat quidem Siderium Metropolitanum Ptolemaidis in Pentapoli, et Epiphan. haer. 68. et 69. Meletium, Archiepiscopum Lycopolitanum in Thebaide; sed fuerintne Metropolitani, proprie dicti, an coadjutores tantum Episcopi Alexandrini, disputari potest. De quo quicquid sit, illud mihi adfirmare posse videtur, Episcopos Alexandr., Roman., et Antiochen., potestate Patriarchali aliquatenus gavisos fuisse, sive Metropolitani, sive alio nomine Episcopi ipsis subjecti, adpellentur, fuisse eos prae reliquis Metropolitanis insignes et excellentes: sicut etiam mox sedes patriarchales, si non antea, ipsis adsignatae sunt: de quo mox.

§. CLIX. Confirmata itaque, ut concludam, potestate Metropolitica a Synodo Nicaena, can. 4*to*, ne quis in vulgarium Metropolitanorum numero poneret Episcopos, Alexandr., Roman., et Antiochen., eosque antiquo jure, vel consuetudine, privari, putaret: eorum dignitatem, prae reliquis Metropolitanis, confirmavit Synodus can. 6*to*, in specie,

Alexandr.

Alexandr. et Antiochen., cum de Romano nulla esset controversia. Sensus ergo est, 1. praerogativas Alexandrini et Antiocheni esse servandas, ad exemplum Romani: ita tamen 2. ut sedes Metropoliticae reliquae sua quoque jura retineant, denique 3. in specie Episcoporum in singulis Ecclesiis electio maneat penes Metropolitam. Quum itaque additur, *et in aliis provinciis*, sensus non est, Alexandrinam, Romanam et Antiochenam, ad provinciarum classem pertinere, sed provinciis sua jura esse servanda, aeque ac dioecesibus nec non, alias dioeceses patriarchales non esse admittendas, praeter illas tres nominatas; salvo tamen jure provinciarum. Progressu vero temporis crevit non tantum Episcoporum illorum dioecesanorum potestas, sed et plures aliae erectae sunt dioeceses; uti can. *2do* CP. I. quo hae ipsae dioeceses non tantum confirmantur, sed et limites definiuntur, ac aliae constituuntur, uti Asiana, Thracica, et Pontica. Quam ob causam Theodoret. Ep. 86. ad Flavianum dicit, concilium illud CP. *distinxisse dioeceses*, et Socrat. H. V: 8. *Patriarchas constituisse*, *provinciarum divisione facta* etc. ubi proprie dictos non intelligit Patriarchas, dat enim duos uni dioecesi, sed extraordinarios, patriarchali tamen potestate praeditos, qui curarent, ne fides aut ordo quid detrimenti caperet, ut recte advertit Vales. ad eum locum: quod tamen non tam a Synodo, quam lege Theodosii, repetit Sozom. H. VII: 9. Cum tamen Patriarcharum iis dat titulum Socrates, eo jam nomine ordinarios patriarchas fuisse insignitos, indicat. Plura de Patriarchis ad sec. seq.

§. CLX. Prae reliquis jam hoc sec. eminuerunt Romanus et Constantinopolitanus. Synodus Nicaena Romanum aequaverat Alexandrino et Antiocheno, nulla CPtani facta mentione: sed CPtana Synodus illam non tantum addidit dioecesin, verum in eandem ac Romanam elevavit dignitatem, secundum can. *3tium*, quo ei πρεσβεῖα τῆς τιμῆς *praerogativam honoris* concedit post Romanum Episcopum, ad-

 dita

dita ratione, quod CPolis sit *nova* Roma: quem canonem citant quoque et confirmant Socrat. et Sozomen. l. c., adeo ut de genuinitate ejus nullum sit dubium. Nec tamen, quod adverti velim, sedi CP. datur praerogativa *potestatis*, sed *honoris*; non enim ἐξουσίας sed τιμῆς memorantur πρεσβεῖα, et praecedente canone sola Thracia ei fuit subjecta: ut recte observavit Bevereg. ad can. cit. Quare concilium Chalcedon., potestate ei in dioeceses Ponticam et Asianam concessa, non ad hunc CP. canonem, sed consuetudinem tantum, provocat. Sedes enim illa, honoris praerogativa Syn. CP. data, elata, haud diu post ipsam potestatem in illas dioeceses sibi adrogavit, et usurpavit: quod a Chrysost. esse factum, narrat Theodoret. H. V: 28.

§. CLXI. Ex quibus manifestum est, Romanum Episcopum hoc tempore pro uno Patriarcharum tantum fuisse habitum, ejusdem potestatis, ac reliquos Patriarchas, Alexandr., Antiochenum, et CPtanum; tantum, *honoris* respectu, *primum*, et CP. *secundum*; quo universalis ejus Episcopatus evidenter refutatur. Nullum quidem non movent lapidem Romano-Catholici, ut huic argumento succidant nervos, sed inanes passim sunt, etiam refutatione indignae, eorum explicationes, quas exhibet, et fuse refellit, Cl. Spanhemius *Miscell. sacrae Antiquit.* l. IV. diss. I., de sensu canonis VI*ti* Nicaeni, qui ab harum rerum cupido consuli potest. Sed plura alia suppetunt, quibus universalis iste Episcopatus destrui potest: quorum aliqua strictim proferam. 1. Independentia Episcoporum, modo exposita, ei directe adversatur, ut facile cernitur. Addo, dictum Christi ad Petrum, *pasce oves meas*, ad omnes adplicari Episcopos ab Ambrosio, *dignitat. sacerdot.* cap. 2. 2. Circa Episcoporum ordinationes, extra dioecesin Patriarchalem, de qua mox, Romanis Episcopis nulla fuit potestas, partes fuerunt nullae. De Ecclesiis Orientalibus, et ordinationibus Episcoporum CP., Antiochen., et Hierosol., illud luculenter testatur Synodus CP., in Epistola Synodica ad Occidentales apud Theo-

Theodoret. H. V: 9. Vid. dicta de jure Metropolitico. Ipse Siricius Papa illud agnoscit epist. IX., ubi statuit, *ut extra conscientiam sedis Apostolicae, id est Primatis, nemo audeat ordinare.* Imo Mediolanensis pro Metropolita Italiae, et a Romano Metropolita distincto, fuit agnitus, teste quoque Athanasio epist. ad *Solitarios*, et non a Romano, sed Aquilejense, ordinari solitus, uti Aquilejensis a Mediolanensi, teste ipso Pelagio ep. 17. in tomis Concil. Ambrosius quoque Episcopus Mediolan. est electus, sine consensu Romani. Qualia exempla ad sec. seq. proferam plura. 3. Synodorum denique convocatio, ut hoc sec. obtinuit, Paparum potestatem praetensam quoque infringit. Provinciales enim a Metropolitis, Dioecesanae a Patriarchis, et Oecumenicae ab Inperatoribus fuerunt, ut constat, indictae, nulla ratione Romani Episcopi habita. De quo postea plura dicam. 4. Ipse Siricius Papa in epist., inter Ambrosianas relata Oper. tom. II. p. 1008., de Bonoso, in concilio damnato, consultus, declaravit, sibi non licere sententiam ferre de rebus a Synodo judicatis. Esse vero eam epistolam Syricii Papae, Holstenius in collectione Romana ostendit.

§. CLXII. Provocatur quidem, ad potestatem illam adstruendam, 1. ad epist. Synod. concilii Arelatensis, a. 314. jussu Const. M. contra Donatistas habiti, in qua Episcopus Romanus tenere dicitur *majores dioeceses;* sed ista phrasis ibi vel Episcopales, vel provinciales, ipsi qua Metropolitae, vel Patriarchae, subjectas, denotat: est enim ea vox ambigua, eo etiam usque, ut subinde pagum designet, uti apud Gregor. Turon. l. IV. c. 13 et VII: 38. ubi vid. Ruinart. vel plur. num. est pro singul., ita ut una dioecesis Romana intelligatur. Africanas utique Ecclesias non agnovisse potestatem Roman, indubia sec. seq. comprobant testimonia, uti suo loco patebit. Praeterea 2., quod majorem praebet speciem, ad canones 3. 4. et 7. Synodi Sardicensis, quibus *Julio*, Episcopo Romano, potestas conceditur efficien-

di, ut causa Episcopi depositi revideatur ab Episcopis istius provinciae, suosque, si velit, eo mittendi adsessores, imo secunda vice revidendi, si ipsi videatur. Quorum canonum ratio datur, ut *Petri sedes honoretur.* Sed, praeterquam quod mera fuerit potestatis concessio, sine ullo Episcopi Romani jure ad hoc privilegium, simul quid novi, quo Romanorum hypotheses destruuntur, 1. Synodus fuit solorum Occidentalium, cum Orientales sese ab ea separaverint; imo sese decretis illis opposuerint: Socrat. H. II: 20. et Sozom. H. III: 8. ubi adtentionem meretur, quid Orientales, Antiochiae coacti, rescripserint Julio. 2. Africani quoque sec. seq. illas adpellationes ad sedem Romanam respuerunt, quae etiam canonibus Nicaenis ac CP., ut et juribus Metropolit. ac Patriarch. adversantur. 3. Privilegium etiam in canonibus illis ad Julium papam restringitur, et temporarium fuit, ex confusione Ecclesiarum, ac multitudine Arianorum, ortum. 4. Denique Episcopus Rom. hic non constituitur Judex, sed ei tantum demandatur, ut curet, causam a legitimis judicibus *revideri*, si necesse judicaverit. Consuli hic merentur ex ipsis Romano-Catholicis P. de Marca *conc. Sacerd. et Inper.* l. VII. Dupinius de Disciplina Eccles. diss. II., et novissimus scriptor Just. Febronius, in erudito libro de *statu Ecclesiae*, seu legitima potestate Romani Pontificis. cap. V.

§. CLXIII. Hic ipse tamen canon Sardicensis fundamenta majoris autoritatis Episcoporum Romanorum jecit, ad quem postea provocarunt, et, hac praerogativa elati, cristas erexerunt. Varia quoque hoc tempore concurrerunt ad Paparum potestatem augendam. Quo 1. provocationes Orientalium refero ad Episcopos Romanos, non quidem tanquam Judices, sed arbitros, nec ex debito et obligatione, sed quia variis de causis opem ferre poterant oppressis, et haud vulgari pollerent autoritate, vel existimatione. Sic ad Julium causam detulit Athanasius, fecerant etiam Eusebiani, Athan. apol. ad Constantium, Socrat. H. II: 5. Sozom. H. III:

III: 8. Solebant eos in difficilioribus caufis paffim confulere prae aliis, ut Bafil. M. ep. 69. ad Athanaf., Chryfoft. ep. ad Innocent. I. Quae relationes non quidem autoritatem poteftatis demonftrant, attamen aliquam fedis Romanae inter pares Patriarchicas praeeminentiam arguunt, fimul autoritatem *aeternae urbis* Epifcoporum fuiffe *potiorem* habitam: uti tradit ipfe Ammian. Marcell. l. XV. c. 7. Contendunt quidem Papiftae, jus Paparum, quo caufae Epifcoporum, etiam per Galliam et Italiam, prima inftantia ad eos trahi poffunt, confirmatum effe à Gratiano, fed fine fundamento. Ortum unice eft jus adpellationum, proprie dictarum, ex Pfeudo-Ifidori infaufta collectione, avide ab ambitiofis Papis arrepta: uti recte advertit, et deduxit, Febronius modo laudatus l. c. 2. Temporis quoque circumftantiae eo multum contulerunt. Cum enim Orientis Ecclefiae Arianifmo paffim effent infectae, earumque conditio maxime turbulenta effet, Orthodoxi ad Occidentales, quorum praecipuus erat Romanus, paffim confugerunt: ut in Athanafio modo notavi exemplum. 3. Ipfae largitiones in fedem Romanam effufae, ficut eam divitiis repleverunt, ita faftum ejus auxerunt, ac autoritatem. De magnificentia ejus teftatur Ammian. Marc. l. XXVII., nec non dictum Praetextati, praefecti praetorio, cujus meminit Hieron. ep. 61. *facite me Romanae urbis epifcopum, et ero protinus Chriftianus.* 4. Acceffit ambitio Paparum, magis magifque fefe efferens. Bafil. M. ep .239. ad Eufebium Samofat. Epifcopum, et alibi, τὴν δυτικὴν ὀφρὺν *occidentale fupercilium* perftrinxit. Cum Julius Papa in Ep. ad Orientales apud Socrat. H. II: 17. eos reprehenderet, quod ipfum contra canones ad Synodum non vocaffent, addens, *interdictum effe Ecclefiaftica regula, praeter fententiam Romani pontificis quicquam ab Ecclefiis decerni;* fibi in fpecie datum autumans, quod cum ipfo reliqui Patriarchae et Metropolitae commune habebant, cum ad omnes cura omnium Ecclefiarnm aliquatenus fpectaret, ubi de communi fide agebatur: Orientales in Litte-

ris ad eum, apud Sozomen. H. III: 8. dixerunt, Romanam Ecclesiam *πᾶσι φιλοτιμίαν φέρειν apud omnes ambitiose se jactare*, ut vertit Vales., *tanquam Metropolin pietatis ab initio*. Verbis Papae respondent ejus facta, cum Episcopis depositis, qui ad ipsum se receperant, Ecclesias mox restituerit, ut ibid. traditur. Plura exempla postea sub manus venient. Robur 5. addidit Paparum ambitioni lex Theodosii M. a. 378. in cod. Theodos. l. XVI. tit. *de fide Catholica*, cujus etiam meminit Theodoret. H. V: 2. qua Damasus Romanus, et Petrus Alexandrinus, *vincula Orthodoxiae* constituuntur, ut pro orthodoxo sit habendus, qui cum ipsis communicat, quod Damasus sibi potissimum adrogavit. Sed *centrum fidei* ibi non occurrit Damasus, verum ad eum, tanquam illustre orthodoxiae exemplum, tantum provocatur: ut recte notavit Gothofr. ad eam legem, qui tamen non neglexit signa praerogativae Damasi, ibi obvia, proferre.

§. CLXIV. Hac ratione licet se Episcoporum habuerit subordinatio, fuerunt tamen nonnulli Metropolitani sui juris, nulli Patriarchae subjecti, propterea *αὐτοκέφαλοι autocaephali* adpellati, tanquam alieno non obnoxii capiti. Ante Metropolitanos introductos tales erant omnes Episcopi, sicut ante Patriarchas omnes Metropolitae, sed postea nonnulli eadem praerogativa perrexerunt gaudere: sicut in Ecclesiis Britannicis, ad Augustini Monachi tempora usque; ut et Iberiae, quae alias Georgia dicitur, Armeniae, et Cypri. De quo ex Actis Synodi Ephesinae constat. Quod idem de Episcopo Tomidis in Scythia testatur Sozom. H. VI: 21. VII: 19. Adnumeratur quidem a Valesio ad Eus. H. V: 23., et aliis, Episcopus Hierosolymitanus ejusmodi *autocaephalis*; sed injuria, cum Caesareensi Metropolitae, et Antiocheno Patriarchae, fuerit subordinatus, teste Hieron. Ep. ad Pammachium contra Johannem Hieros., de quo supra monui, et can. 7. Nicaenus tantum *honoris consequentiam* ipsi concedat, salva Metropolis dignitate. De quo vid. Beveregius ad eum can., et supra jam egi.

§. CLXV.

§. CLXV. Cum itaque Eccleſiae, ut ex dictis liquet, fuerint in Epiſcopatus, Metropoles, et Patriarchatus diviſae, eaque diſtributio civitatibus, provinciis, et dioeceſibus orbis Romani reſpondeat, ad Inperii diviſionem, a Conſt. M. factam, adcommodata: non poſſum quin generalem ejus rei ſubjungam intellectum, ſimul provinciarum et dioeceſium limites digito monſtrem. In Romano Inperio, ut ejus praemittam diviſionem, quia ad eam in genere fuit Eccleſiarum diſtributio inſtituta, fuerunt. 1. *Civitates*, cum ſubjectis vicis, et minoribus oppidis, quae, προάστεια *ſuburbia* dicta, civitatis juriſdictioni ſuberant. Quae civitates ſingulae habebant ſuum Magiſtratum, qui βουλὴ *Senatus*, etiam ordo, curia, vocatur, cujus primus nomen tulit *dictatoris*, ſeu defenſoris, civitatis. 2. Dein diviſum fuit Inperium, jam ſec. I., in *Provincias*, quae plures tales civitates comprehenderunt, ſuperiori Magiſtratui, ſeu uni ſupremo, in Metropoli reſidenti, ſubmiſſas. 3. Denique in *Dioeceſes*, aetate Conſt. M., diviſum eſt, quae plures continebant Provincias, ſuperiori adhuc Magiſtratui, in totius territorii Metropoli ſedem tenenti, ſubjectas. Qui Magiſtratus dictus fuit Eparchus, vel Vicarius Inperii Romani, ſed Alexandriae in ſpecie Praefectus Auguſtalis. 4. Poſtremo has dioeceſes, vel territoria magna, ſubjecit Conſt. M. *quatuor* Praefectis Praetorio, Zoſim. II: 3., qui erant Orientis, Illyrici, Italiae et Galliarum. Praefectus *Orientis* ſub ſe habebat quinque Dioeceſes, Orientis cum quindecim provinciis, AEgypti cum ſex, Aſiae cum decem, et Thraciae cum ſex. Praefecto *Illyrici* ſuberant tres Dioeceſes, Macedoniae cum ſex Provinciis, Illyrici cum totidem, et Daciae cum quinque. Praefectus *Italiae* habebat duas Dioeceſes, Italiae cum provinciis ſeptendecim, quarum decem erant Vicario Romae commiſſae, et reliquae ſeptem Vicario Italiae, qui Mediolani reſidebat, et Africae cum ſex provinciis. Praefectus vero *Galliarum* gubernabat tres Dioeceſes, Hiſpaniae cum Provinciis ſeptem, Galliarum cum ſeptendecim, Bri-

tanniae cum quinque. Ceterum Provinciarum catalogus peti poterit ex *notitia* Inperii, circa tempora Arcadii et Honorii confecta, et edita a Pancirollo cum notis, inserta quoque Thesauro Graevii tom. VII.

§. CLXVI. Ad hanc Inperii divisionem conformatam fuisse eam Ecclesiarum, ex eo, inter alia, constat, quod in controversiis de limitibus et sedibus Episcopatuum, Metropol. etc., ad eam provocare fuerint soliti, easque decidere, hoc et seq. seculis. Secundum hanc quoque normam Episcopus CP. factus est Patriarcha, cum antea nequidem esset Metropolita, sed Heracleae Primati subjectus. Can. 3. CP. I. et 28. Chalced. Fundat praeterea can. 9. Antiochen. Metropolitarum dignitatem in eo, quod Metropoli Provinciae praesint. Denique cum Provincia Civilis aliqua in duas divideretur, exemplum illud passim sequebatur Ecclesiastica, in duas sedes Metropolit. divisa: uti ex. gr. in Cappadocia, cujus Metropolis antea erat Caesarea, postea addita Tyana. Nec tamen per omnia sese ad civilem divisionem conformarunt Ecclesiae. Utique unum non habuit Ecclesia Universalis caput ad exemplum Inperatoris, nec duos summos Pontifices, ad exemplum Inperatorum Occidentis et Orientis, ne quidem magnos quatuor Patriarchas ad normam tot Praefectorum Praetorio: omnes quoque Inperii mutationes non mox imitata est Ecclesia. Vid. Justinian. novella 31. et Innocentii Epistola ad Alexandrum Antiochenum. Tantum in Episcopatus, Metropolitas, et Patriarchatus distributa est Ecclesia, sicut Inperium in Civitates, Provincias, et Dioeceses: singulae Civitates habebant Episcopum, cum Senatu Presbyterorum, licet exceptione illud non caruerit; nam in Scythia ex. gr. unus tantum rexit omnes Ecclesias, in Dalmatia duo aut tres. Sozomen. H. VI: 21. ubi vid. Vales. Provinciae singulae habuerunt Metropolitanum, et Dioeceses Patriarcham, seu Exarchum.

§. CLXVII. In Oriente erant, ut modo notavi, quinque Dioeceses, totidem quoque Patriarchae, Provinciae erant

quadra-

quadraginta ſeptem, tot etiam Metropolitae. Prima Dioeceſis Orientis erat, cujus Patriarcha fuit Antiochenus; ſecunda AEgypti, et Patriarcha Alexandrinus; tertiae Aſianae erat Epheſinus, quartae Ponticae Caeſareenſis, quintae Thraciae Exarchus erat primum Heracleenſis, dein CPtanus. In ditione Praefecti Praetorio Illyrici erant tres Dioeceſes, prima Macedoniae, cujus Exarchus Theſſalonicae, ſecunda Daciae, et Exarchus primum Sardicae, dein Juſtinianae primae, tertia Illyrici, et Exarchus Sirmii. Italia habuit duas dioeceſes civiles, ſed tres Exarchatus, Africae ſcilicet Carthagin., Italiae proprie dictae ſub Vicario Italiae Mediolanenſ., Romanae ſub Vicario Romae Patriarcha Romae. Sub Praefecto Galliarum tres erant Dioeceſes, Hiſpaniae, cujus incertus eſt Patriarcha, ut et Galliae, ſed Britanniae Exarchus erat Eboraci. De quo vid. Uſſerius Antiq. Britann. c. V., ubi de ſedibus Metropoliticis Britanniae fuſius diſſerit. Foret nunc quidem, praeter limites Dioeceſium, ſingularum provinciarum catalogus texendus, ſed illud nos nimium detineret, quare digitum ad fontes intendiſſe contentus ero. Eccleſiarum notitia petenda eſt ex notitiis Epiſcopatuum, et Actis ac ſubſcriptionibus Conciliorum. Antiquiſſima, quae aetatem tulit, notitia eſt, quae juſſu Leonis ſapientis confecta eſt, ſec. IX. fin., edita a Leunclavio in Jure Graeco-Roman. Poſtea ſecutae ſunt aliae, ſed imperfectae, editae a Carolo a S. Paulo ad calcem Geographiae ſacrae: quarum defectus dein ſupplevit Jac. Goar ad calcem Codini, in Corpore Byzantino, et Beveregius ad canones Trullanos. Ex Recentioribus adeundus eſt Miraeus in notitia Epiſcopatuum, Carolus a S. Paulo l. cit., Spanhemius in Geogr. S., et Bingham. Orig. Eccleſ. l. IX. Indicem denique Geographicum Epiſcopatuum alphabeticum contexuit Fabricius. Bibl. Gr. vol. XII. Diſtinctius quid ad ſec. ſequens monebo de nominibus parochiarum, dioeceſium etc., ut et de Romani Epiſcopi territorio; quia noſtrum ſeculum ſat luminis non offert, et prolixiori eſſe

non licet; quo diſputationem de Eccleſiis *ſuburbicariis* Roman. etiam differam. Supereſt de illuſtrioribus Epiſcopis Romanis breviter quaedam ſubjungam; cum de omnibus agere nec liceat, nec neceſſe ſit.

§. CLXVIII. *Sylveſtri* tantum mentionem obiter faciam, propter duo figmenta, unum, Conſtantinum M. ab ipſo eſſe baptizatum, alterum, ingentem ipſi a Conſt. M. factam eſſe donationem. Tradunt Acta Sylveſtri, et Liber Pontificalis, Conſtantinum ab ipſo eſſe lepra purgatum, et ſacro lavacro tinctum: ſed Hiſtorici conſtanter referunt, id ab Euſebio Nicomedienſe, ſub finem demum vitae Conſtantini, eſſe factum; et de lepra ſilent. De baptiſmo ejus ſub finem vitae teſtatur quoque Epiſtola Syn. Ariminenſis apud Sozom. H. l. IV. c. 18. et Ambroſius in obitum Theodoſii §. 40. Exploſit fictum Sylveſtri facinus quoque Papebrochius in vita Conſt. M., et in Act. Sanct. Menſ. Maji. *Donatio* autem Conſtantini, cujus primus meminit Aeneas Pariſiens. ſec. IX. in Spicileg. Dacheriano, adeo inepta eſt, tantamque Papae adtribuit poteſtatem, ſupra omnes quoque Principes, ut Ipſi Catholico-Romani eam paſſim repudient. Vid. Fabricius Bibl. Gr. l. V., qui ipſam donationem Gr. et Lat. quoque exhibet; quam L. Banck. de *tyrannide Papae* Lat. ediderat. Vid. etiam Wolf. Memorab. centur. IV. *Julius*, qui ab ann. 337. ſedit, verbo eſt adtingendus, quod ſub ipſo Epiſcoporum Romanorum dignitas creverit per canonem illum Sardicenſem, et provocationes Athanaſii, aliorumque, ad eum. De quo ſupra egi.

§. CLXIX. Majorem meretur adtentionem *Liberius*, qui a. 352. ſedit, ob lapſum ejus in Arianiſmum. Omnem in initio inpendit operam Athanaſio abſolvendo, ac fidei Nicaenae ſtabiliendae, adeo etiam, ut cum Ariani, duabus in Synodis, Arelatenſi a. 353. et Mediolan. a. 355., cujus ſupereſt tantum epiſtola ad Euſebium Vercellenſem apud Baronium; et in actis conciliorum Harduini, a Conſtantio, ad

Liberii

Liberii petitionem, indictis, praevaluissent, et Catholici in exilium essent missi, Liberius Mediolanum arcessitus, cum Inperatori animose restitisset, teste Athanas. *ad solitarios*, et Theodoret. H. II: 16. etiam Ammiano Marcell. XV: 7. Beroeam Thraciae fuerit in exilium missus, a. 355., in ejus locum substituto Felice II*do*, sive Arianae sectae addictus, sive ejus tolerator fuerit, variant enim autores: prius tradit Socrat. H. II: 37. et innuere videtur Athanas. l. c., posterius vero Theodoret. H. II: 17. Sozom H. IV. 10. et Ruffin. H. X: 22., qui eum in fide Orthodoxum faciunt, sed per communionem cum Arianis, ac tolerantiam, heterodoxum. Deinde exilii taedio, et sedis recuperandae desiderio, fractus, animo lubente subscripsit et Athanasii condemnationi, et formulae fidei Arianorum, Syrmii a. 358. cusae, teste ejus Epist. ad Orientales apud Hilarium in *fragmentis*: vid. quoque Athanas. l. cit. et Hieronym. in Chron. Hilarius vero fragmento VI. Epistolae Liberii, cujus memini, subscripsit vel inseruit, *haec est perfidia Ariana; Anathema tibi a me dictum Liberi! et sociis tuis, iterum tibi anathema, et tertio, praevaricator Liberi!* Dubium itaque non est, quin ad Arianismum hac sua confessione et subscriptione prolapsus fuerit, vel potius ad semi-arianismum, cum semi-arian. confessioni subscripserit, Aetianos vero ac ἑτερουσίους damnaverit, secundum Sozom. H. IV: 15. De Eusebio Presbytero Romano, qui Liberium palam dixit haereticum, et martyrium passo, vid. Baluz. misc. t. II. Multum quidem laborat Baronius, ut Liberium defendat, et excuset, sed in cassum, uti ostendit Larroquanus in diss. de Liberio. Vid. et Launoius Epist. ad Formentinum. Via hac palinodia ad sedem recuperandam parata, Romam rediit, sed multorum animos a se reperit alienatos, unde haud levis fuit orta seditio, donec, Felice mortuo, quocum sedem tenuerat aliquandiu, Sozom. H. IV: 15. et ipso Liberio sese ad prius in Arianos odium recipiente, omnia sint tranquillata. Quod Liberii exemplum quantopere prae-

tensam Paparum infallibilitatem, et autoritatem infrin in oculos incurrit.

§. CLXX. *Damasus*, qui ipsi a. 366. successit, et 18 ann. sedit, usque ad a. 584. cum propter schisma Ur ni contra ipsum, tum librorum, qui ipsi inscribuntur, ca memorandus est. Ursicinus, diaconus Romanus, sese maso recens electo opposuit, et, multis in partes tra ingentes concitavit motus, unde tanta orta est seditio, Romae in basilica Sicinini uno die occisi fuerint 137 ci teste Ammian. Marcell. l. XXVII. Culpa quidem facti hujus conjicitur in Damasi fastum et ambitionem, jam demonstratam, in Praef. ad *preces Faustini*, et *Marcel* Luciferianorum, sed nescio an satis vere: utique i novissimus operum Damasi editor, Antonius Maria Me da, de *opusculis et gestis Damasi*, refutare conatus est. pressum quidem est schisma per Inperatores Valentinia et Gratianum, Ursicino, cum suis, urbe pulso; sed, mo Damaso, novos non cessavit ciere tumultus. Inter o Damasi, a Millesio Zarazanio edita, falso referuntur, p ter Epistolas mutuas ejus et Hieronymi, liber Pontific tomis Conciliorum insertus, et catalogus Veterum Pon cum, qui in Liberio desinit, ut inter Eruditos constat, cet non detur antiquior. Epistolas et decreta Damasi stu se recensuit P. Coustant tom. I. Epist. Pontificum, et o cula ejus novissime, addita dissert. de vita et gestis Da si, A. Maria Merenda, in lucem emisit. *Siricii*, qui successit, licet Ursicini factio electionem in principio baverit, ut litterae Valentiniani apud Baron. indicant, *terae decretales*, una ad Himerium Tarraconensem, al ad Episcopos Africanos, etsi primae sint, quas multi D pro genuinis habent, severum examen ferre nequeunt: que Papebrochius in conatu Chron-histor. ad catalogum I tificum pro adulterinis habet, sicut posteriorem qu Quesnellius diss. 15. ad Opera Leonis M. Celebre praestitit nomen suum, quod Episcopum Thessalonicen

antea Primatem Illyrici, suum constituerit ibi vicarium, de quo postea, et Ruffino Aquilejensi in versione Origenis libri de *principiis* faverit, Hieronymo iniquior, quia Clerum Romanum nimis acerbe praestrinxerat; quodque praeterea primus censeatur Clero, exceptis subdiaconis, inposuisse sub censura coelibatum, nescio quam vere, cum Joviniano, qui eo tempore se coelibatui opposuit, iste error, tanquam haeresis, non fuerit inputatus, nec Hieronymus contra Vigilant. ejusmodi legis meminerit. Vid. Calixtus *de conjugio Clericorum*.

§. CLXXI. Tractatione de Majore Clero prolixiore absoluta, de *Minore* brevibus absolvam. De Diaconis cum nihil, quod ad sup. seculum dictis addam, habeam, Diaconissarum aliquam dabo notitiam. Vid. inter alios etiam Zieglerus de *Diaconis* etc. cap. XIX. *Diaconissae*, vel potius ministrae, etiam viduae, ac πρεσβύτιδες *viduae seniores* dictae, Epiph. haer. 79. et can. 11. Laodicen., erant passim viduae, licet nonnunquam etiam virgines pudicae, Epiph. expos. fid. §. 21. Const. Apost. VI: 18. et in Novellis Justinian., viduae vero univirae, ut citata loca docent, ut plurimum supra 60 annos, Basil. M.ep. canon., licet non constanter fuerit observatum, et quae liberos habebant, ut lex Theodosii requirit apud Sozom. H. VII: 16. et in cod. Theodos. l. XVI. tit. *de Episcopis et Clericis*, quae lex fuit occasione scandali lata. Officium vero earum erat, foeminarum baptismo adsistere, easque instruere, Const. Apost. III: 19. et locis citatis, iis aegrotis, nec non martyribus, in carcere ministrare, vid. Gothofr. ad cod. Th. l. c., denique foeminis in Ecclesia adsignare locum, easque gubernare, Const. Ap. II: 58. Adnumeratae quidem sunt Clero, et ordinatae per manuum inpositionem, ibid. VIII: 19 et can. 15. Chalced., licet dubium reddat can. 19. Nic., num in omnibus habuerit locum, Vid. Vales. ad Sozom. H. VIII: 9. Duplicis generis videntur fuisse Diaconissae, adeo ut aliae non fuerint in canone catholico, ab Ecclesia

non ſuſtentatae, quae *Laicae* fuerunt, et inter exſpectantes, de quibus loquitur canon Nicaenus, aliae conſecratae, nullam tamen functionem ſacerdotalem obibant; ut ex Epiph. haereſ. 79. *Collyridianorum*, qui foeminis ad Mariae virgini ſacrificandum utebantur, liquet: ubi diſerte adfirmat, eas in Eccleſia nunquam fuiſſe factas πρεσβυτερίδας aut ἱερείας. Ceterum can. 11. Laodicenus quidem vetuit, eas *conſtitui praeſidentes* in Eccleſia, uti ſolebant reliquis foeminis praeſidere, et iis inperare, ſed non, ut putatur, abolevit, quod poſtea, ſequentibus ſeculis, demum factum eſt, in Eccleſia Lat. citius, ſerius in Graeca. Balſam. in reſpons. ad interrogata Marci apud Leunclav. jur. Gr. Rom. t. I. Canon utique Laodicenus relate ad *ordinationem* earum, adeoque reſtricte, capi poteſt, ſicut et Arauſicani I. a. 412. et Aureliacenſis ſec. VI. canones, ubi, *ordinandas* non eſſe diaconiſſas, tantum vetatur.

§. CLXXII. Reliquos miniſtros inferioris ordinis, poſt ſec. II. variis inſtitutos temporibus, recenſuiſſe ſuffecerit, cum ad Clericos, proprie dictos, non pertineant. Cum enim ſupra memorati Clerici adpellentur ἱερώμενοι *ſacrati*, Socrat. H. I: 11., unde nomen *hierarchiae* ortum eſt, hi *inſacrati* fuerunt dicti in canon. Agathenſi; nec etiam coram altari, aut cum manuum impoſitione, conſecrati ſunt, quare Baſil. M. ep. canon. 51. ὑπηρεσίαν ἀχειροτόνητον adpellavit, nec alia obibant officia, ac quae omnes poterant Chriſtiani, mandante Epiſcopo. Erant vero *hypodiaconi*, quorum officium, ſaltem ſequentibus ſeculis, fuit, ut illud Iſidorus apud Gratianum deſcribit, *calicem et patinam ad altare Chriſti deferre, et Levitis* (Diaconis) *tradere, eiſque miniſtrare, urceolum quoque et aqua mantile, et manutergium tenere, Epiſcopo, Presbyteris, et Levitis, pro lavandis ante altare manibus, aquam praebere*: vid., praeter alios, Zieglerus de *Diaconis* c. XVIII. praeterea *acoluthi*, quorum in primis officium erat litteras deferre, et munera, ſeu eleemoſynas, tempore Cypriani, ut ex Ep. 36. 42. et 78. colligi poſſe videtur, *exorciſtae, lectores*

res et cantores, *ostiarii*, *copiatae*, seu fossarii, quorum erat funera curare, *parabolani*, qui aegrotorum gerebant curam, le quo nomine, eorumque officio, etiam de tumultibus saepe ab ipsis concitatis, vid. Gothofr. ad Cod. Theod. l. XVI. tit. 2. et 43., ubi Inperatoris reperitur ad eos refraenandos constitutio: praeterea *Ecclesiecdici*, seu defensores Ecclesiae, qui ejus syndici erant, et advocati, quales, ad exemplum urbium in orbe Romano, sunt ab Ecclesiis petiti, et ab Inperatoribus concessi, circa fin. sec., in concilio Carthagin., ut pauperes contra divites defenderent: sed dein aliae accesserunt rationes. Vid. Bevereg. ad canon. Chalcedon. et Gothofr. ad Cod. Theodos. l. c. Denique *notarii*, seu excerptores, quos Graeci vocant ὀξυγράφοι, ταχυγράφοι, qui primum gesta martyrum, dein Synodorum acta, descripserunt. Postremo *apocrisiarii*, seu responsales, qui Ecclesiarum et Episcoporum nomine versabantur in aula Inperatoris, eorumque ibi agebant negotia.

§. CLXXIII. Restat de Clericorum ordinatione, externo habitu, conjugio, et privilegiis, quaedam subjungam. *Ordinationis* ritus fuerunt praecipue sequentes. 1. Genuflexio coram altari, Dionys. Hierarch. c. 5. et Theodoret. H. IV: 15. 2. Manuum inpositio cum precibus, Const. Ap. VIII: 16. adpellata et χειροθεσία et χειροτονία, in canonibus Nic. et Chalced. Quae tamen voces aliqua laborant ambiguitate: prior enim aliquando in genere *benedictionem* Ecclesiae denotat, Const. Ap. VIII: 28. et χειροτονία subinde solam *electionem*, qui ejus est apud Exoticos usus, sed apud Ecclesiast. scriptores passim ordinationem per inpositionem manuum. Vid. Fronto Ducaeus ad Chrys. hom. I. ad Antiochenos. Denique 3. Signum crucis, Chrys. hom 55. in Matth., unde ordinatio σταυροειδὴς σφραγίς, signo crucis per manuum inpositionem facta super caput consecrandi, adpellatur. Dionys. l. c. De Euangelio quoque capiti inposito supra monui. 4. Finita ordinatione *osculo* excipiebatur recens ordinatus a Clericis praesentibus, Const. Ap. et Dionys.

Hierarch. Eccles. l. citatis. Si vero Episcopus esset vel Presbyter, is mox sermonem habebat ad populum, qui sermonis *enthronistici* titulo insignitus fuit, Socrat. H. II: 43. VII: 29. et Sozomen. H. IV: 28. De litteris vero *Enthronisticis* supra dixi. Aliae caeremoniae, ut *unctionis*, *vasorum traditionis*, etc. ignotae fuerunt. Ceterum fiebat consecratio non dominica *paschali*, sed diebus dominicis sine discrimine, Vid. Quesnell. ad Leon. M. ep. XI. Praeterea, eam in Ecclesia, cui inserviret, esse peragendam, sancivit Concilium Aurelianense IV. sec. VI. Sed Toletanum IV. sec. VII. in Hispania, statuit, Episcopum *comprovincialem ibi consecrandum esse, ubi Metropolitanus elegerit, Metropolitanum vero non nisi in civitate Metropoli.*

§. CLXXIV. Quod vero ad ordinationis verum conspectum adtinet, et effectum. Pro sacramento, proprie dicto, licet non habuerint Veteres, quantum constat, vox enim sacramenti, a qua non abstinuerunt, latioris est significatus, attamen 1. cum baptismo eam jam inceperunt comparare, Augustin. contra Parmenion. II: 13. *Ipsi*, Donatistae, *explicent*, *quomodo sacramentum baptismi non possit amitti*, *et sacramentum ordinis possit amitti* etc. ubi ex sacramentorum natura porro argumentatur. Vid. et de Baptismo lib. I: 1. c. 1. et Ep. 50. ad Bonifacium. 2. Donum Spiritus S., quo ad munus fierent apti, et gratiam Dei cum ordinatione aliquatenus cohaerere, dixerunt. Ambros. de *dignitate Sacerdot.* et ad 1. ep. ad Corinth. XII. *homo inponit manus*, dicit, *Deus largitur gratiam. Sacerdos inponit simplicem dextram*, *et Deus benedicit potenti dextra;* posteriore vero loco, *in loco ordinis Ecclesiastici positus gratiam habet qualisve sit*, *non utique propriam*, *sed ordinis*, *per efficaciam Spiritus S.* Vid. etiam Gregor. Nyssen. de *baptismo Christi*, ubi de effectis ordinationis valde hyperbolice differit. Singulare est, quod a Martyrio Cilice dictum refert Sozom. H. VII: 10. *baptismum et ordinationem* esse ex divino instituto *καθάρσια ἁμαρτημάτων ad expianda peccata:* cujus sensus non est in facili;

forte

forte huc redit, peccata expiari per baptismum, et ordinationem efficere, ut ordinatus gratia Spiritus S. praemuniatur contra peccata. Quod si phrasi minus satisfacere censeatur, nihil suppetit, quod forte rectius, quam ut post θεῶν statuatur excidisse ἢ, vel ἢ *non*, ut sensus sit, *non utrumque*, sed solum baptismum peccata expiare, secundum divinam institutionem. Conferatur etiam precum formula, inpositioni manuum adjungi solita, in Const. Apost. l. c. Ansam tale quid opinandi dedisse videtur locus. 2 Tim. I: 6. ubi Apostolus memorat *donum* Dei, vel Christi, ut alia habet lectio, in Timotheum *per inpositionem manuum suarum* collatum. Ceterum inter ordinationis effecta locum quoque habet, maxime accepit postea, vinculum indissolubile cum aliqua Ecclesia, quod cum mariti et uxoris conjugio jam compararunt, licet pro eodem nondum habuerint, sed postea hinc fluxit, sacerdotium esse verum cum Ecclesia conjugium, non nisi a Deo, per Papas Romanos, solvendum. Denique sequentibus seculis ex ordinatione quoque derivari coepit *character indelebilis*, qui ordinationem iterandam esse prohibet: cujus ansam ineptis suis comparationibus jam praebuit Augustinus. Vid. Boehmer. Jur. Eccles. l. I.

§. CLXXV. Clerici, ut de externo eorum *habitu* aliquid moneam, rasum non habuerunt verticem, sed brevem comam, et prolixam barbam, Sidon. Apollin. l. IV. epist. 24. ubi vid. Savaro, quo canon. 44*tus* Carthagin. IV. respicit, ut legi debet, et non, ut alii habent — — *nec comam nutriat, nec barbam*, ut jam demonstravit Savaro l. cit. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* Prudent. hymn. V. de Cypriano, *Deflua caesaries compescitur ad breves capillos.* Capita non habuisse rasa, constat ex Hieronymo ad Ez. XLIV. et Optat. Milev. contra Donatist. l. II. De vestitus genere et colore nihil videtur fuisse definitum: adfectatam elegantiam, et sorditiem esse vitandam, et gravitati convenienter incedendum, sancivit in genere canon Carthag.

thag. modo citatus. Videntur vero CPoli Catholici *pullis*, et Donatistae *candidis* usi vestibus, Socrat. H. VI: 22. Quod utrumque vitari vult Hieronym. ep. 2. ad Nepotianum. Patet quoque ex Sozom. H. III: 14. Episcopos, et Clericos, a reliquis Christianis non fuisse vestitu distinctos. Cedro digna sunt, hac parte, verba Coelestini Papae in init. sec. sequentis, in Epist. ad Episcopos Galliae: *discernendi a plebe, vel ceteris, sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu; nam*, sic pergit, *si studere incipimus novitati, traditum nobis a Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus.* Ascetae utebantur *περιβολαίῳ pallio Philosophico*, sed Clerici *byrro*, tunica communi: ut can. 12*mus* Gangrensis habet, ubi vid. Beveregius; priores in Clerum cooptati ipsum illum vestitum asceticum aliquando retinuerunt, uti de Origene tradit Eus. H. VI: 19., et de Heracla Hieronym. de scriptor. Eccles.

§. CLXXVI. Sequatur nunc *coelibatus* Clericorum, cujus historiam luculenter contexuit Chemnicius in examine Concil. Trident. p. III. et Calixtus de *conjugio Clericorum.* Licet Catholico-Romani, uxoratos fuisse in clerum cooptatos, concedant, eos tamen postea debuisse ab uxoribus abstinere, et jam ordini sacro adscriptis uxores ducere non licuisse, statuunt. Quod per omnia verum non est. Crimen, Novato presbytero inputatum, quod uxorem gravidam calce percusserit, eum uxoratum fuisse, demonstrat, Cyprian. ep. 49. ad Cornelium. Cum Penytus, Gnossiorum in Creta Episcopus, sec. II. coelibatus legem vellet introductam, Dionysius, Corinthiorum Episc., restitit, *grave onus castitatis fratrum cervicibus inpositum* nolens. Eus. H. IV: 23. Quod idem cum nonnulli in Synodo Nic. I. urgerent, hoc sec. Paphnutius, Episcopus AEgyptiacus, se fortiter opposuit, et decretum est, *cuique suam libertatem esse relinquendam*; testibus Socrat. H. I: 11. et Sozomen. H. I: 23. quod fabulosum nollem pronunciasset Vales. in notis. Quam eandem

dem libertatem, presbyterorum et Diaconorum respectu, sanciverunt canones Gangrenses, et Ancyrani: et Episcopi, aliique, in Oriente sibi adhuc sumserunt, teste Socrat. H. V: 22. Utique ex. gr. Gregorius Nazianz. ex patre, jam Episcopo, procreatus est, ut ipse in *Vita* sua testatur; qui et ipse forte habuit conjugem Theosebiam, Sororem Basilii M., uti ex epigrammate, et aliunde, probabile fecit Muratorius in Anecdot. Gr. Idem de se illud significat Gregor. Nyssen. de *Virginitate*, et de ipso tradit Greg. Nazianz. ep. 95., ut et de se Synesius ep. 145., de quo ad sec. sequens. Quid? quod concilium Gangrense anathemate percusserit eos, qui e manu sacerdotum uxoratorum eucharistiam noluerint sumere. Hieronym. contra Vigilant. conjugia sacerdotum suo tempore satis usitata esse indicat, ubi dicit: *quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia.*

§. CLXXVII. Haec licet vera sint, negari tamen nequit, multos jam propensiores fuisse in coelibatum, et viam ad eum introducendum fuisse stratam, cum quod ex Monachorum ordine passim fuerint electi, tum coelibatus fuerit conjugio purior et sanctior habitus, tum quod cum sacerdotibus Vet. Test., qui, dum sacris operabantur, ab usu conjugii abstinebant, comparati sint, indeque jam collegerint, sacerdotes N. T. semper abstinere debere, quia continuo sacris occupati sunt. Vid. Ambros. de *officii* *f. l.* c. 50. et Hieron. ad Ep. ad Titum, et Innocentius Papa ep. ad Exuperium Tolosanum. Utique de propensione ad coelibatum, et varii canones conciliorum, et ipsi Scriptores Ecclesiastici, testantur. Canones Illiberitani, Arelatens. II. et Neo-Caereens. Clericis jam sub poena depositionis interdixerunt conjugibus: ut ex eorum actis patet. Quod de Clericis Thessaliae, Macedoniae, et Achajae etiam tradit Socrat. H. V: 22., qui illud Heliodoro, Tricae Episcopo, eidem, qui libros illos Aethiopicos composuit, acceptum refert. Excipiunt tamen illi canones, si quis an-

... non posse declarave-
... concessit concilium
... ideo etiam
... Clerici multiplicarentur, tum
... multa requirebant a sanctitate,
... Inter eos, qui ad coeliba-
... ipse ille Paphnutius, cujus
... in Clerum adscriptos, *juxta vete-*
... jam non amplius uxores ducere
... concilio Nicaeno, Socrat. H. I: 11.
... opinionem Euseb. demonstr.
... haer. 52. et in *Panario*, licet con-
... tradit quoque haer. 59., canones Ec-
... Clericis coelibatum: quod nisi de prae-
... per omnia non congruit veritati,
... memorem, et Cyrill. Hierosl. cat. VII.
... eos, qui apud Jesum καλῶς *bene funguntur*
... a conjugio, Ambrosius Offic. I: 50. et Ep.
... qui et alibi, in *exhortat. virginitatis* cap.
... ad munus Ecclesiast. eligebantur, saepe re-
... In epist. cit. ad Vercellenses §. 62. Pau-
... Episcopo *unius uxoris viro* explicans, et re-
... non esse creandos *in sacerdotio*, cum
... velit *habentem filios*, *non facientem*, *neque*
... Secundas vero nuptias ibid. §. 64. adserit,
... Nicaeno fuisse vetitas Clericis. Nihil
... canones. In Vercellensi Ecclesia deni-
... Vercellensis instituto obtinuisse, in-
... *continentiam*. Siricius vero Episco-
... primus coelibatum injunxisse Pres-
... ad Himerium Tarraconensem habet;
... auctoritatis, ut supra observavi, nec in
... universalem consensum.

... coelibatus jam passim vigentis,
... clarum prostat indicium in
foemi-

foeminis συνεισάκτοις et ἀγαπηταῖς *extraneis*. subintroductis, ac *amicis*, quas *sororum* nomine secum habuerunt multi Clerici, ut inpudicitiam cum castitatis fama copularent, eamque hoc praetextu tegerent. Quales foeminas severe prohibuit, praeter concilia Nicaenum et Ancyranum, ipsa lex in cod. Theodosiano 44. l. XVI. tit. de *Episcopis*, ubi vid. Gothofredus. Conferatur etiam Epiphan. haer. 63. et Hieronym. ep. 22. ad Eustochium, scriptus quoque contra eas est liber de *singularitate Clericorum*, sub nomine Cypriani, ad calcem operum ejus, qui hujus est seculi. Exstant quoque tractatus Chrysostomi contra viros, qui tales foeminas, et has, quae tales viros, habebant cohabitantes, Oper. tom. I., qui sua aetate pravum illum morem coepisse tradit; utique magis invaluit, nam sec. III. locum jam tenuisse, exemplum Pauli Samosateni docet, apud Eus. H. VII: 30. ubi vid. Vales., imo a Tertulliani temporibus jam repetiit Muratorius, et ad Platonismum adscendit, ut spiritualis istius amoris originem detegat, loco Pauli 1 Cor. IX: 4. in abusum quoque tracto. Exstat ejus hac de re dissertatio in Anecdot. Gr., ubi carmina Gregor. Naz., quibus *syneisactos* reprehendit, publicavit. Esse autem συνεισάκτους puellas, vel foeminas innuptas, socias coelibatus, quas nec procreandae sobolis nec libidinis, sed ministerii et pietatis causa, vel praetextu, secum habebant, adeoque nec uxores, nec concubinas, constat ex Chrysost., et demonstratum quoque est a *Beveregio* ad canon. Nic.

§. CLXXIX. Venio ad *privilegia* et inmunitates Clericorum. Missa Constantini M. donatione, sine dubio ficta, ut in Sylvestro supra vidimus, ipsa quoque ejus lege de unius Episcopi testimonio pro legitimo apud Judices habendo, ad calcem Cod. Theodosiani, si non spuria, saltem dubia, cum omnes leges civiles aeque ac Ecclesiasticae duos semper requirant testes, de quo vid. Gothofredus, ad l. cit.

1. Clerici fuerunt judicio seculari exemti, non quidem atrociorum criminum, aut rei pecuniariae inter Clericum et

Laicum, respectu, sed partim in commissis contra fidem et canones Eccles., partim in levioribus delictis, ita tamen, ut supremae potestati civili semper fuerint subjecti. Ita non tantum fert lex Constantii in cod. Theodos. l. XVI. tit. *de Episcopis*, sed quae temporaria fuit, in odium Catholicorum lata, ut Gothofr. ibi notavit, sed et Valentiniani et Gratiani, nec non Theodosii ibid. tit. *de Episcopi judicio.* Vid. etiam praeter alios Zieglerus de *Diaconis* etc. cap. XVI., ubi de sequentibus etiam agit seculis. Memorat etiam Ambrosius, ep. XXI. ad Valentinianum juniorem, legem a Patre ejus latam de sacerdotibus a sacerdotibus judicandis. Quae lex nescio an supersit. Progressu temporis Clerici, a Judice seculari damnati, ante debuerunt a judicio Ecclesiastico exauctorari, quam puniri possent, quod ex militari tractum est exauctoratione, cum milites Ecclesiastici fuerint censiti Clerici. De quo vid. Lessaschierus in *opusculis*, in consultatione ad Venetum, ubi de Clericis, respectu fori politici, fusius disserit. Legi etiam tota hac de re Zieglerus de *Episcopis* l. III. c. 30. meretur, qui per sequentia etiam secula, qua ratione tribunal Ecclesiasticum sese habuerit, exponit. 2. Per tormenta non potuerunt Episcopi et Presbyteri compelli ad testimonium dicendum, uti lex Cod. Theodos. l. XI. tit. de *fide testium* habet: *presbyteri citra injuriam quaestionis testimonium dicant.*

§. CLXXX. Inmunes 3. fuerunt a multis tributis, non jure divino, ut Ambrosius alibi agnoscit, sed Inperatorum indulgentia ac concessione, nec ab omnibus, utique non a tributis agrorum et possessionum; ut habet Lex Constantii in Cod. Theodos. l. XVI. tit. II. Vid. etiam Theodoret. H. IV: 8. Num vero haec quoque inmunitas ipsis in initio non fuerit concessa a Constant. M. dubium est, sed nonnullis Ecclesiis illud privilegium speciatim fuit datum, ut Thessalonicensi a Theodosio Jun. in cod. Theodos. l. XI. tit. I. Adpellatur autem illud tributum *canon*, etiam *jugatio et juga*, quae vox terrae modum dicit, denique

nique *capita*, et, quia tribus quotannis vicibus solvebatur, *tria capita* apud Sidon. Apollin. carm. 13. ad Majorianum. Erant vero tributa, a quibus inmunes fuerunt *α. capitis*, alias census capitum, vel *personale* tributum, dictum: ut fert lex Constantii in cod. Theodos. XVI. tit. *de Episcopis et Clericis*, et Valentiniani ibid. XIII. tit. de *censu*. *β.* Milites, equosque ad militiam, dandi, vel eorum loco pecuniam, inde aurum tyronicum et stratioticum adpellatum apud Synes. ep. 79. ad Anastas. Vid. cod. Theodos. VII. tit. de *Tironibus*. *γ.* vectigale legitimis opificiis et negotiationibus inpositum, nomine *collationis lustralis* in lege civili notum, quod, vertente quolibet lustro, seu finitis quatuor annis, solvendum erat. Licuit itaque Clericis sine hoc tributo ad certam pecuniae summam negotiari, Cod. Theodos. XVI. tit. *de Episcopis et Clericis*, et l. XIII. tit. de *lustrali collatione*. Sed cum postea Ecclesiarum reditus essent majores, alii quoque hoc praetextu negotiarentur, interdicta fuit Clericis negotiatio, saltem haec inmunitas sublata, secundum legem Valentiniani III. ad calcem Cod. Theodos. Hoc tributum fuit hoc tempore χρυσάργυρον adpellatum, quia auri argentique moneta solvebatur, nec vilissimi aut meretrices ab eo erant inmunes, teste, praeter Zosimum, Evagrio H. III: 39. nec tamen Constantinus primus instituit, ut Zosimus tradit, sed antiquius fuit, ut Suetonius refert, a Caligula ortum. Postea tamen totum illud tributum est ab Anastasio abrogatum. Evagr. H. III: 39. Alia mitto.

§. CLXXXI. 4. Inmunes quoque fuerunt Clerici a muneribus personalibus obeundis, honorificis aeque ac sordidis, Cod. Theodos. XVI. tit. II. Quod ἀλειτουργησίαν et ἀτέλειαν λειτουργημάτων adpellarunt, Socrat. H. II: 23. Quod vero ad patrimonialia munera, bonis et possessionibus adnexa, alias etiam *municipialia et curialia* dicta, quia, qui iis fungebantur, *curiales* et *decuriones* adpellati sunt, adtinet, Constantinus M. Clericis, sive patrimonia haberent, sive reditibus Ecclesiae tantum alerentur, inmunitatem plenissimam

in initio concessit, ut cultui sacro incumberent toti, Cod. Theodos. l. c. Euf. H. E. X: 7. sed, cum multi, ut haec munera declinarent, titulum aliquem Ecclesiasticum, in reip. detrimentum, adsumerent, Inperator aliquem, qui possessiones haberet, clero adscribi vetuit sine exceptione, eosque, qui postea id fecerint, curiae, ad explenda officia, reddi voluit, Cod. Theodos. l. c., quae posterior lex a. 326., sicut prior a. 320., lata est. Sed cum haec nimis esset rigida, et varias concitaret turbas, Ecclesiae quoque multos eriperet Clericos, moderatione aliqua temperata est ab Inperatoribus sequentibus, statutumque, ut vel de possessionibus aliquid relinquerent civitati, vel alios suo loco substituerent, qui civilibus fungantur muneribus, vel soli Episcopi ea gauderent inmunitate, reliqui tantum, si curiae populique consensu essent ordinati, vel jam aliquandiu in munere fuissent.

§. CLXXXII. Fontes *redituum* Ecclesiae et Cleri, de quibus agendum unice superest., fuerunt 1. oblationes fidelium, sive quotidianae ad altare, quando nomina recitabantur offerentium, Hieronym. ad Ez. XVIII., sive menstruae, quas in arcam vel aerarium Ecclesiae singulis mensibus deferebant, Tertull. apolog. c. 39., unde menstruae inter Clericos ortae sunt divisiones, Cyprian. ep. 34. et 28., et Clerici sportulantes fratres dicti Id. ep. 66. a *sportulis*, in quibus honoraria offerebantur, tracto nomine, sive denique in baptismo, ita tamen, ut libera fuerit, et a nemine exigenda oblatio, can. 48. Illiberit., et Gregor. Nazianz. Orat. de baptismo. 2. Agri et possessiones inmobilium Ecclesiae donatae, vel legatae. Quales possessiones agrorum et aedium jam ante Constant. M. habuerunt Ecclesiae, Euseb. H. E. X: 5. vit. Const. II: 37. In Mediolanensi quoque Ecclesia, tempore Ambrosii, obtinuit agrorum possessiones, qui a tributo non erant inmunes, Ambros. ep. 21. ad Valentinianum, in sermone contra Auxentium. Sed Ecclesia Romana non nisi sec. VI. videtur inmobilia accepisse, teste

teste Theodoro Lect. l. II. Opes vero Ecclesiae per Constantinum M. inmensum sunt auctae, hac lege lata a. 321. *habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholico venerabilique concilio decedens, quod optaverit, relinquere.* Cod. Theodos. XVI. tit. II. de *Episcopis*. Qua licentia cum nonnulli Clerici, in primis avari Monachi, abuterentur, divitum viduarum et pupillorum gratiam aucupati, Valentinianus huic abusui obviam ivit, lege lata, in Cod. Theodos. l. c., non tam contra Ecclesiam, acsi ei legare nihil liceat, quam contra ejusmodi avaros; de qua lege Hieronym. ep. 2. ad Nepotianum, *nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus talem legem.* Theodosius quoque vetuit Diaconissis bona sua legare Ecclesiae, ibid., quae lex postea est ab eo abrogata, Ibid. Ceterum, ut id obiter observem, oblationes illae antea fuerant liberae, nunc inperatae, antea tantum in usum pauperum, et Clericorum talium, nunc in usum Cleri, antea ex charitate, nunc etiam ex superstitiosa opinione, ad peccatorum redemtionem, et salutem animarum. Quod postremum maxime post Salvianum, sec. V., qui illud principium sedulo in libris *contra avaritiam* inculcavit, in nervos erupit. Unde etiam progressu temporis variae adpellationes, magis minusve superstitiosae, sunt ortae. Utique *patrimonium pauperum* non tantum dicta sunt bona oblata, sed et Deo data, ac dicata, possessio et patrimonium Dei vel Christi, etiam Spiritualia, seu juris Spiritualis, tandem et iis accensita, quae *piae causae* adpellantur. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III.

§. CLXXXIII. 3. Inter fontes redituum quoque locum tenet, praeter pensionem ex publicis reditibus, Constant. M. statuente, Eus. H. X: 6. et Theodoret. H. I: 11. ubi ἐτήσια σιτηρέσια adpellatur, *annona annua*, quod martyrum et confessorum bona, si sine haeredibus essent mortui, Ecclesiae adjudicaverit Constantinus M., Euseb. vit. Const. II: 36. quod et Clericorum, sine haeredibus et testamento defunctorum, respectu statuit Theodosius Jun., Cod. Theodos.

 V: 3.

V. [illegible] Clericorum. Templorum quoque Gentilium, et Ecclesiarum haereticorum, reditus subinde ad Ecclesiam sunt translati, Cod. Theod. XVI: 5. *de haereticis*. Socrat. H. E. V: 16. Sozom. H. E. V: 7. 4. Denique, quod verbo subjungo, decimae sub finem sec. in usu esse coeperunt, quarum primi meminerunt Chrysostomus et Augustinus; postea saepe et Patres et canones conciliorum. Vid. Seldenus *de decimis*. Patrum monitis quidem commendatae sunt in initio, sed ante sec. VI. nullo canone aut lege sancitae. Eo autem seculo Matisconensis II. Synodus a. 585. decimas lege Ecclesiastica inperavit: deinceps et alia concilia, ac Regum edicta, eas sanciverunt. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III. Caesarius Arelatensis serm. IX. *decimas*, dicit, *non esse nostras, sed Ecclesiae deputatas*. Notabile est Augustini dictum, ep. 36. ad Casulanum: *decimas cupimus a multis fieri Christianis, et vix paucissimos invenimus*. 5. Addatur denique, Clericos, vel otii fugandi ergo, vel ut se sustentarent, ab aliquo artificio, aut manuum opera, non fuisse prohibitos. Quo canones 51—53. concilii Carthagin. IV. ad finem sec. pertinent valde notabiles, *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quaerat: Clericus victum et vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, praeparet. Omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, et artificiola, et litteras, discant.*

§. CLXXXIV. Tractationi de Clericis subjungendum est, quid Imperatores Christiani sibi vindicaverint circa sacra, quidve ipsis fuerit a Clericis relictum. In genere testatur Socrat. H. E. V. in prooemio, *res Ecclesiae ab ipsis pependisse*. Appellatur quoque Constantinus M. ab Eus. vit. Const. I. [illegible], seu universalis, *Episcopus*; ipse quoque Imperator, praesentibus Episcopis, dixisse fertur ibid. IV: [illegible] quidem Episcopos τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας *eorum quae intra Ecclesiam* sunt, se vero τῶν ἐκτὸς *eorum, quae extra*. [illegible] sensus mihi esse videtur, Episcopis competere [illegible] in Ecclesia administrationem, quo respectu

tu Ambrosius, teste Theodoret. H. V: 18. Theodosio, dixit, *purpura Inperatores, non sacerdotes*, facit, Inperatorum vero esse, ordinem rerum et personarum sacrarum curare, et leges in usum Ecclesiae ferre, ac exsequi, sicut ex gestis Constantini M. satis clare elucescit. Ipse utique Synodos suo nomine convocavit, uti Arelatens. I. et Nicaenam, de quo postea, litteras ante et post Synodum dedit ad Episcopos, leges tulit de haeresibus, Episcopis, aliisque rebus Ecclesiasticis. Ipse canonibus Synodalibus, et Ecclesiasticis, vim et autoritatem legum addidit, quare Synodorum decreta, non *leges*, sed *canones*, adpellari solent, cum sint instructiones et praecepta, non leges cum correctione, et punitione, conjunctae. Johannes quoque Scholasticus, canonum collector sec. VI., diserte in praefatione fatetur, canones per leges civiles nancisci *αὐθεντίαν autoritatem.* Imo Episcopos deponendi et restituendi supremam sibi vindicavit potestatem, admisit quoque adpellationes, et vel Ipse, vel per delegatos judices, sive Episcopos, sive praefectos provinciarum, judicia revidit. Ipse denique privilegia, et inmunitates, concessit Clericis, ne plura memorem. Quae omnia ex Eusebio, Theodoreto, aliisque Scriptoribus, satis constant, et suis locis sunt memorata. Ex quibus inter alia manifestum est, quam falso scripserit Ruffinus H. l. I. Constantinum, se jurgiis Episcoporum noluisse interponere judicem, quia dati sunt etiam Inperatoribus *Dei*, ab *homine non judicandi;* quod Gregor. M. l. IV. ep. 31. nimis inprudenter adoptavit, Vid. Blondellus, in libro, *de formula, Christo regnante.* Adserit nihilominus Constantinus in epist. ad Episcopos, qui Synodo Nicaenae non interfuerant, apud Theodoret. H. l. I. c. 10. *quicquid in sanctis Episcoporum comitiis geritur, id ad divinam referendum voluntatem.* Sed Valentinianus dixisse fertur apud Sozom. H. VI: 7. se esse laicum, et Clericis competere de fide disponere. Quod ipsum Ambrosius ep. 21. ad Valentinian. multis urget.

DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. CLXXXV. Versata cum ea fuerit circa admittendos ad Ecclesiam, et admissos, seu fideles, priores vero fuerint vel infantes vel adulti, a *paedobaptismo* ordiar. Infantes fuisse baptizatos cum sit testatissimum, uno alterove hic defungar observato. 1. Omni licet tempore potuerint sacro tingi lavacro, fiebat tamen ut plurimum festo *paschatis*, nisi morbus, aut mortis periculum, aliud requireret, Ambros. de *mysterio paschae*, sed de eo supra jam monui. Socrat. vero H. V: 22., morem solenni illo tempore baptizandi tam rigide fuisse observatum in Ecclesia Thessalonicensi tradit, ut plerique sine baptismo decesserint. Sed singulare est, Gregorium Nazianz. Orat. 40. p. 658. *de baptismo*, censuisse, infantes non nisi post *triennium*, aut circumcirca baptizari oportere, quando aliquid audire, aut respondere, possunt, nisi necessitatis aliquis casus aliter jubeat. 2. Fidelium non tantum, sed et infidelium, infantes tingebantur, si in manus Christianorum venissent, et hi pro illis profiterentur ac sponderent: ut habet can. 72. cod. Africani, et Ambrosius, vel autor libri de *vocatione gentium* l. II. c. 8. Vid. etiam Augustin. de *gratia et libero arbitrio* c. 22. Quod si parentes Christianismum susciperent, eorum liberi etiam baptizabantur, teste lege cod. Justin. l. I. tit. de *paganis*. 3. Cum vero fidem non possent profiteri infantes, id eorum nomine faciebant communiter parentes, vel, si non possent vel nollent, alii, *sponsorum* nomine jam Tertulliani tempore insigniti, ut ex libro ejus de *baptismo* c. 18. liquet. Quorum erat ad interrogata respondere, ex. gr. *credit in Deum?* respondebatur, *credit*, non acsi crederet infans, sed quod sacramentum fidei reciperet, quo nomen *fidelis* consequebatur, secundum Augustin. ep. 23. ad *Bonifacium:* incumbebat praeterea ipsis cura educationis infantum, tanquam futurae vitae spiritualis *tutoribus*. Augustin. serm. 116 et 163. *de tempore*. Nec tamen ad alimenta ip-

sis suppeditanda, secus ac nonnulli opinantur, obligati fuerunt, cum illud onus Parentibus vel Ecclesiae incumberet: nec iste mos, nisi post cognationem spiritualem introductam, invaluit: quando coepit inde orta consuetudo, qua susceptores, *Patres spirituales* dicti, munera et dona mittebant baptizatis, gratulationis, et adfectus testificandi, ergo: quae pecunia *lustrica* erat, et infantibus acquirebatur, Vid. Cangius in Glossar. voce *filiaticum*. De cognatione vero spirituali, inter sponsorem et pupillum contracta, quae nuptias prohibet, nihil hoc seculo occurrit. Prima de ea lex est Justiniani, quae exstat in Cod. l. V. tit. de *nuptiis*. Fuit autem, ut illud anticipem, talis cognatio primum inter susceptorem et filiam baptizatam, dein sec. VII. extensa est inter Graecos ad ipsam baptizatae matrem, sicut sec: VIII. inter Latinos deinceps quoque ad fratres et sorores, imo, si Pater propriam susciperet filiam, eaque ratione uxor fieret *commater*, conjugium subsistere amplius non posset. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. IV. tit. 11.

§. CLXXXVI. Cum vero *adulti*, antequam baptizarentur, fuerint *Catechumeni*, eorum notitia hic tradenda est. Vid. praeter alios S. Basnagius dissert. XII. de *Catechumenis*, eorumque *baptismo*. Catechumeni, a verbo κατηχέω *instituo* sic dicti, alias etiam *novitioli*, *tirones*, *et audientes*, in eum admissi sunt ordinem per inpositionem manuum, Eus. vit. Const. IV: 61. et can. 6. Arelat. I. ac 39. Illiberit., addito signo crucis, Augustin. de peccat. merit. II: 26. et alibi, ut *de catechizandis rudibus*, nec non sale, ad exorcismum pertinente, cujus mentio est apud Augustin. confess. I: 12. et de *peccat. meritis* II: 26. ubi etiam *sacramentum* adpellat, praeterea apud Gregor. M. in libro sacrament. et Isidor. Hispal. Offic. Eccles. II: 20. Vid. etiam Brissonius de *spectaculis* etc. et H. Vales. Emend. l. I: 6. Eum in ordinem recepti varios per gradus progrediebantur ad baptismum; qui varie quidem sunt definiti, dum alii duos, alii tres, alii quatuor constituant, sed proprie *duo* tantum fue-

runt, uti ex can. 14*to* Nicaeno recte collegit, et explicuit, Beveregius ad eum. Alii nimirum erant ἀκροώμενοι *audientes*, alii γονυκλίνοντες *genuflectentes*, *et prostrati*: quorum *illi* ad lectionem Script. S., et varios sermones audiendos, admittebantur, unde *audientes* adpellati sunt, quibus finitis discedebant, *hi* vero benedictionem praeterea ab Episcopo consequebantur, et precibus intererant, quae liturgiae pars dicta est εὐχὴ *precatio*, vel *missa*, Catechumenorum in canon. Nicaen. et Laodicen., ac Const. Ap. VIII: 6. Quibus gradus duo alii a nonnullis adduntur, unus, qui praecedit, alter qui sequitur, et eos excipit. Primum omnium gradum, ab audientibus distinctum, censent eorum fuisse, qui extra Ecclesiam manere debebant, et privatim instituebantur, nixi unice can. 5*to* Neo-caesar., ubi ἐξωθούμενοι *expulsi* memorantur: minus recte, cum *expulsio* ibi poena sit catechumenis infligenda, qua catechumenorum statu excidebant, et in Gentilium conditionem delabebantur: occurrunt quoque in ipso illo canone duo tantum ordines, *audientium et genuflectentium*. Ultimus autem gradus, qui *quartus* foret, statuitur *competentium et electorum*, qui proximi erant baptismi candidati, tempus opportunum tantum exspectantes: sed hi rectius in medio inter Catechumenos et fideles collocantur statu, quia illorum status jam finitus erat, quique proximo ad baptismum jure gaudebant; quare eos φωτιζομένους et φωτιζομένους adpellavit Cyrillus Hierosf. cat. 1. et sequentibus, non quod cognitione inbuantur, sed baptizandi erant; ut recte observavit Touttee. Vid. etiam Const. Ap VIII: 8. Erant itaque a genuflectentibus quidem distincti, quare diversa pro iis erat precum formula, Const. Ap. l. c., sed Catechumenorum, sic proprie dictorum, classi exemti, licet latiore sensu ad illos referri possent. Nomina autem eorum, una cum sponsorum, inscribebantur diptychis Ecclesiae, ipsique, instituto examine, quod postea *scrutinium* dictum est, explorati, declarabantur apti ad baptismum; et propterea *electi* dicti. Dionys. Areopag. Hierarch.

narch. Eccleſ. c. 2. et Leo M. ep. 4. ad Siculos. Requirebatur vero in illis, qui ſalutarem baptiſmi conſequerentur fructum, *bona προαίρεσις, bonum propoſitum.* Cyrill. procatech. et cat. I ac III. Legi etiam de actionibus et diſpoſitionibus, ad fructum baptiſmi aptis, meretur Greg. Naz. Orat. 40. de *baptiſmo.*

§. CLXXXVII. Sed, ad veterum mores cognoſcendos, obſervandum eſt, eos in hoc ſtatu ſaepe diu manſiſſe, baptiſmum ſponte differentes, etiam ad uſque ultimum vitae tempus. De quo ſaepe conqueſti ſunt Eccleſiarum Antiſtites, uti Greg. Naz. l. c. Nyſſen. de baptiſmo, Baſil. M. exhortat. ad baptiſmum, Chryſoſt. hom. 18. in Joh., et 1. in Act. Apoſt. Ex quibus etiam pateſcit, quibus rationibus, vel praetextibus, fuerint ad baptiſmum procraſtinandum compulſi. Alii propter metum lapſus in peccata poſt baptiſmum, peccata eo ablui ſtatuentes, ultimo vitae tempore baptizari geſtiebant. Sic ex. gr. Arinthaeum, ſub finem vitae baptizatum, *omnem animi maculam eluiſſe*, tradit. Baſil. M. epiſt. 269. Sed, ex mente Gregor. Naz. l. cit., baptiſmus ſub vitae finem liberat quidem ab ignis ſupplicio, verum gloriae haereditatem non confert. vid. etiam Cyrillus Alex. glaphyr. in Exod. l. II., ex quo, pravum illum morem nondum deſueviſſe eo tempore, etiam eluceſcit. Vid. etiam de clinicorum baptiſmo Chryſoſt. hom. I. ad *illuminandos:* qui alibi veram dilationis baptiſmi cauſam, in dulcedine peccandi ſitam, expoſuit, et reprehendit, uti hom. 13. in Act., 9. in Ep. 1. ad Theſſalon., et 13. ad Ep. ad Hebr. Alii vero, Chriſti ad exemplum, non niſi poſt annum vitae 30*mum*] tingi voluerunt, alii donec miniſtrum conſequerentur donis extraordinariis praeditum, a quo baptizentur, alii denique donec occaſionem haberent in Jordane baptizari: quod praetendiſſe traditur Conſtant. M. apud Euſ. vit. Conſt. IV: 62. Secundum diſciplinam vero Eccleſiaſticam nulla dilatio locum habuit, niſi cum Catechumeni ſeſe geſſiſſent indecenter, aut crimi-

num essent rei, adeoque in poenam: ut canones Illiberitani habent.

§. CLXXXVIII. Ceterum diversis hisce Catechumenorum ordinibus adcommodata erant Institutionis capita, quae in catechesibus Cyrilli Hierosl. exhibentur, et Const. Ap. VII: 39. Antequam vero essent Competentes, primis tantum religionis Christianae, ejusque officiorum, principiis inbuebantur, et mysteria Trinitatis, incarnationis Christi, aliaque sublimiora mysteria, una cum symbolo fidei et oratione Dominica, celabantur; quae pars erat *disciplinae arcani*, de qua mox, quae itaque ad dogmata sese quoque extendebat. Vid. Chrysost. hom. 19. ad Matth., et hom. ad 1 Cor. XV: 29. Cyrill. cat. V et VI. Theodoret. haeret. fab. V: 28. Eulogius, sec. V. scriptor, apud Phot. Bibl. cod. 230. Sozom. H. I: 20. Hieron. ep. 61. ad Pammachium, ne alios citem: *Cave*, inquit Ambros. de Cain et Abel l. I., *ne incaute symboli, vel orationis Dominicae, divulges mysteria:* nondum habebantur Christiani, nec oratione Dominica utebantur Catechumeni, Chrysost. hom. 2. ad 2. ad Cor. Solebant vero ea *competentibus* summatim exponi mysteria ipsa nocte paschali, fusius dein post eucharistiam diebus paschalibus. Quo Cyrilli catecheses mystagogicae tendunt. *Dimissis catechumenis*, inquit Ambrosius ep. 20. ad *Marcellinam* sororem, *symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam Basilicae.*

§. CLXXXIX. Disciplina vero *arcani*, respectu catechumenorum in genere, ad ritus sacros, uti baptismum, eucharistiam, chrisma, ordinationem sacerdotum, publicas preces, spectans, non in eo fuit sita, quod res significatae iis fuerint occultatae, sed modus et forma administrandi, ita ut ex. gr. de eucharistia coram catechumenis disserentes corpus et sanguinem Christi adpellaverint, et magnificis extulerint elogiis, sed elementa panis et vini, totamque administrationis formam, silentio involverint. Patet id, quod dixi, cum ex modo et ordine cultus publici, quo

catechumeni egredi debebant, antequam is incipiebat, tum satis claris Veterum testimoniis, uti Cyrill. Hierosf. cat. VI. Basil. M. de Spiritu S. c. 27. Can. Ap. 85. et Laodicen. 5. Greg. Naz. Orat. 4. de baptismo. Per quam erat disciplinam, quod de mysticis Ecclesiae ritibus mentem non aperte explicare fuerint soliti, ut diserte Chrys. hom. 40. in 1. ad Cor., Greg. Naz. l. c., et Theodoret. quaest. 15. ad librum Num. Erant etiam soliti, hujus disciplinae causa, cavere, ne haec mysteria, propter eorum simplicitatem, ab ignorantibus, et nondum instructis, contemnerentur, et efficere, ut reverentia ac desiderium iis conciliaretur, Basil. M. et Cyrill. Hieros. locis cit. Chrys. hom. 23. in Matth. Saepe Augustin., ex. gr. tract. 96. in Joh., ut uno hoc loco contentus sim, *sacramenta fidelium*, dicit, *non produntur catechumenis, non ideo, quod ea ferre non possunt, sed ut ab iis tanto ardentius concupiscantur, quanto iis honorabilius occultantur.* Plura qui de hac velit disciplina adeat, praeter Albertin. de Eucharist. l. II., Tentzel. Exercit. Sel. p. II. Ceterum de antiquitate hujus disciplinae non constat, nisi quod Tertullian. in Apolog. c. 7. et de Praescript. haeret. c. 41. ejus meminerit. Sed alia disciplinae arcani species, non rituum et sacramentorum respectu, verum mysticarum V. T. explicationum, et divinitatis Christi, tempore Clementis Alex. obtinuit: de quo legi meretur Beausobr. ad Matth. VI. ubi Clementis hac parte opiniones egregie exposuit. Origenes quoque opinionem de restricta poenarum aeternitate retulit inter dogmata promiscue et palam non proferenda: comm. in Epist. ad Rom. l. VIII.

§. CXC. Ad baptismum adultorum adhuc observandum est, eos quoque hoc sec. habuisse, cum baptizabantur, suos quasi sponsores, non ut pro ipsis respondeant, quippe quod ipsi facere debebant, sed ut eos formula responsionis instruerent, et morum post baptismum aliquam gererent curam. Const. Ap. III. 16. et Dionys. Hier. Eccles. c. 2. Qui vero in extremo morbo tingebantur, habebant quoque

responsores, qui fidem pro iis spondebant, Cyrill. Alex. ad Joh. p. 683. Fuerintne ante hoc sec. sponsores adultorum, non constat, licet testes et conductores adfuisse, non sit a probabili alienum.

§. CXCI. Disciplinae circa fideles, seu admissos ad Ecclesiam, ad quam pergo, tres sunt partes distincte tractandae, excommunicatio, poenitentia et absolutio. Ad *Excommunicationem* pertinent personae quae, et crimina, propter quae hanc censuram subibant, ejusque natura et effectus. Quod ad *personas* adtinet, quas nulla aetas aut sexus censurae eximebat, illud tantum in specie observari meretur, cujuscunque dignitatis et muneris fuisse huic censurae obnoxios, etiam ipsos magistratus, et summas Potestates, Basil M. ep. 61. can. 7. Arelat. I. Ambros. epist. 40. ad Theodosium. De Inperatoribus in specie illud ex iis, quae, sive vera sive ficta, narrat de Philippo Eus. H. VI: 34., et sive de eodem, vel de alio, Chrysost. contra Gentiles, constat. Singulare quoque exstitit in Theodosio M., ab Ambrosio, ob inmanem Thessalonicensium, noxiorum et innoxiorum, caedem, excommunicato, et dein poenitentiae legem subeunte: *stravit omne, quo utebatur, insigne regium*, inquit Ambrosius *de obitu Theodosii* §. 35. *deflevit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu et lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Inperator, publice agere poenitentiam*, Vid. etiam Theodoret. H. V: 18. Nicetius Trevirorum Episcopus sec. VI., ut illud addam, Trevirorum Regem *pro injustis operibus saepius excommunicavit*, teste Gregor. Turon. de *Vitis Patrum* c. XVII. Sed notandum est, minorem, non majorem, tantum excommunicationem fuisse in Principes exercitam, qua a sacrorum simpliciter communione fuerunt prohibiti; ut ex locis citatis liquet; nec non ex ipsius Ambrosii ep. 51. ad Theodosium, multo minus sibi jus adrogarunt *anathemate* feriendi principes, eorumque subditos a fidelitate et obsequio absolvendi: quale quid primus ten-

tentavit sec. XI. Gregorius VII., ut expresse adserit Otto Frisingens. l. VII. c. 35 Ceterum seculo seq. nonnulli coeperunt non tantum peccatores, sed et una cum familia eorum, licet innocua, excommunicare; quod notavit, sed et reprehendit, August. ep. 250. Papae Romani seriore tempore saepe fecerunt, interdictum sacrum toti regno inponentes.

§. CXCII. *Peccata*, quae hac censura puniebantur, non fuerunt leviores errores, et infirmitates, sed graviores et atrociores lapsus, seu peccata enormia et crimina, quae *mortalia*, opposite ad *venialia*, adpellabantur. Hanc enim distinctionem peccatorum in *mortalia* et *venialia*, non eo sensu, quo postea Catholico-Romani, intellexerunt, acsi mortalia essent, quae divinam merebantur vindictam, et sub auricularem confessionem, et arcanam absolutionem, cadunt, nam levia etiam peccata habita fuerunt morte digna, sed sensu Ecclesiastico, et censurae Ecclesiasticae respectu, ut *venialia* sint, quae privatam et quotidianam requirunt poenitentiam, *mortalia* vero quae publicam censuram et poenitentiam. Quod Petavius ad Epiphan. et Dupinius de Script. Eccles. centur. IV. agnoscunt, sed Dallaeus de *auricul. confess.* l. IV. c. 20. pluribus demonstravit. Vid. ex Veteribus Gregor. Nyss. epist. canon. ad Letoium, ubi graviora quoque delicta recenset, et Ambros. de *poenitentia* l. II: 10. Usus jam antea fuit nomine mortalium peccatorum eo sensu Cyprian. ep. 10 et 11. et in lib. de *patientia*, ubi dicit, *adulterium*, *fraus*, *homicidium*, *mortale crimen est:* imo ante eum Tertullian. de *pudicitia*, et contra Marcion. IV: 9. Grandia vero peccata non ea, quorum modo ex Cypriano memini, tantum fuerunt, quae censurae subjecta erant, adulterium, homicidium et idololatria, illo nomine eximie insigniri solita, ut aliqui tempore Augustin. putarunt, sed et plura alia, ut disputat August. de *fide* et Oper. c. 19., qui tamen Ipse tract. XII. ad Johann. tria tantum recenset tanquam lethalia, furta, homicidia, adulteria.

communicavimus, nec mortuis communicare debemus: quae Leonem M. Papam sec. V. habet autorem. Ceterum *interdicti*, sic dicti *sacri*, quo ob unius personae potentioris, aut ordinis, peccatum, sive verum sive fictum, levius saepe vel gravius, universo alicui territorio, Reipublicae, aut Regno, interdicitur sacramentorum administratio, ad ipsam sepulturam Ecclesiasticam usque, et publica injungitur poenitentia, quod ad censuram Ecclesiasticam referri solet, nullam feci mentionem, quia tyrannicus iste agendi mos longe serius, nec ante sec. XI., introductus est, eo scopo, ut Reges et Principes, in hierarchiam refractarii, in ordinem redigerentur. Cujus prima occurrit mentio in concilio Lemovicense a. 1034.

§. CXCV. Cum vero censura in Haereticos fuerit omnium severissima, ejus effecta paulo plenius enarrasse, non fuerit alienum. Licet ab haereticis et schismaticis valde abhorruerint Christiani superiorum quoque seculorum, a quo tamen Inperatores Christo dederunt nomen, Clerici in primis majore potestate et autoritate gavisi sunt, longe severius cum iis actum est, nec per Ecclesiasticos tantum canones, sed et leges civiles Inperatorum; quae a tempore Constantini M., usque ad Theodos. M. et Valentinian. III., latae exstant in Cod. Theodos. l. XVI. tit. *de haereticis*. Haereticus, ut illud praemittam, in lege Arcadii a. 365. in cod. Theod. definitur, *qui vel levi argumento a judicio Catholicae religionis et tramite detectus fuerit deviare*, ubi vid. Gothofred. Longe moderatius eum depinxit August. ep. 43., qui obstinationem et pervicaciam in eo requirit. *Ecclesia neminem unquam expulit*, inquit Facundus Hermian. pro *tribus capitulis* l. VIII. c. 7., *aut judicavit haereticum, nisi correptioni pertinaciter resistentem.* Habita praeterea est, quod notari meretur tanquam omnis persecutionis origo et fundamentum, haeresis pro *crimine publico*, hoc fundamento, *quod in religione divina committitur, in omnium fertur injuriam*; imo pro crimine Majestatis, uti habet lex Honorii

a. 407.

a. 407. in Cod. Theodof. l. c. tit. V. Percutiebantur 1. ab Ecclefia anathemate, et per leges civiles notabantur infamia, nec non odiofa iis inurebantur nomina. Tali anathemate fymbolum fuum claufit Synodus Nicaena, contra eos, qui fidem illam refpuerent, Gangrenfis quoque omnes articulos contra Euftathianos. Nec anathemate in errores pronunciato contenti, diras nonnunquam addiderunt inprecationes, et exfecrationes, quibus mala et mortem inprecabantur ipfis haereticorum perfonis. De Hermogene Novatiano refert Socrat. H. VII: 12., eum μετὰ κατάρας *cum exfecratione effe ejectum:* qui l. I: 37. Alexandrum Epifc. Alexandr. precatum fuiffe contra Arium tradit, vid. et Athanaf. epift. ad Serapionem. Contra Julianum Inperatorem, dictum apoftatam, multos eodem modo precatos effe, ex invectiva Gregor. Nazianz., ac jubilationibus, et gratiarum actionibus, fuper ejus morte, facile colligitur, Didymo tamen Alexandrino pro Ipfius converfione orante, Sozomen. H. VI: 2. Animi quoque magis Chriftiani fuit Chryfoft., fi ejus fit egregia, quae exftat, homilia 77. tom. I. quae tota eo tendit, ut evincat, *nec vivos nec mortuos effe anathemate plectendos*, errores quidem, fed non errantes, effe anathematizandos: vindicavit quidem eam Chryfoftomo Montfalcon. in monito praemiffo, fed nec ftilo, prolixitate, et ubertate fapere videtur Chryfoftomum, ut Savilius jam monuit. Forte conpendium eft homiliae Chryfoftomi, ab alia factum manu. Ceterum, videntur ejufmodi anathemata temere admodum fubftituiffe extraordinariae Apoftolorum poteftati *tradendi fatanae*, quae cum ipfis ceffavit, et longe aliud quid fuit.

§. CXCVI. 2. Haeretici per leges, modo memoratas, removentur ab omni commercio, ipfa contrahendi, emendi, vendendi, poteftate iis ademta; ab omnibus arcebantur dignitatibus; inteftabiles refpectu fui fimilium, nihil ex teftamentis aut donationibus lucrari poterant: Ecclefias habere, aut conventicula, difputare aut docere, ipfis prohibitum fuit,

in specie matrimonium cum ipsis inire nefas; ut canone Laodicen. 31. et Illiberit. habent. Proscripta etiam sun ejusmodi conjugia ab Ambrosio variis in locis, uti lib. II de Abrahamo, ad Ps. CXVIII. et alibi: incertum, num e ea dissolvi voluerit? utique pro nullis declarat. Canon Lao dicenus sextus etiam haereticis interdixit *ingressu in Eccle siam*, scilicet dum sacra peragebantur, ut canon concili Carthagin. IV*ti* habet, *cum haereticis nec orandum nec psal lendum*, ceteroquin, *audire verbum Dei in Ecclesia*, ipsis noi fuit vetitum, usque ad missam Catechumenorum, ut canoi istius concilii 84. docet, et aliunde constat. 3. Nec intr hos limites mansit spiritus persecutionis, sed ulterius pro cessit. Nonnullis enim in casibus α. mulcta ipsis fuit inpo sita, ex. gr. 10. librarum auri: quarum legum saepe me minit August., uti ep. 50. ad Bonifacium, 68. ad Januari um, contra Crescon. l. III. c. 47. β. Acti sunt in exilium uti Ariani a Constantino M., et Donatistae ab eo, et aliis August. ep. 166. γ. Flagellis quoque caesi, antequam ex pellerentur. Ceterum de flagellorum castigatione, in judicii ab Episcopis adhibita, testatur August. ep. 59. ad Marcel linum de Donatistis. Fuit quoque in Ecclesia Arelatensi usi tata tempore Caesarii Episcopi, vid. Cyprianus in ejus vi ta: sic et tempore Gregorii M. recepta fuit poena Ec clesiastica; ut ex lib. IX. ep. 66. Gregorii patet. δ. Quid quod lex fuerit a Theodosio M. a. 382. lata, de summo hae reticorum supplicio, quae in cod. Theod. l. c. exstat, e ab Honorio in Manichaeos est renovata, ibid.: si capital hoc supplicium non fuerit postea cod. Theodosiano inser tum, quod Balduinus epist. ad Cassandrum, inter Epistol Belgarum, centur. I. ep. 12. contendit, crudeles hae lege statui debent, non tam ut executioni mandentur, quam ter rorem excutiant, fuisse latae, quod Sozomen. H. VII: 1: diserte tradit. Utique exemplum, hoc et sequente sec., hae reticorum morte punitorum nullum in historia occurrit nisi in Priscillianistis, fidei tantum causae morti damnati

Julian

Julianus nihilominus objecit Christianis, quod haereticos, licet Christi sectatores, morte adfecerint, additque, illud Christi et Apostolorum praeceptis non esse congruum, apud Cyrillum adversus Julianum l. VI: p. 206. qui nihil ad rem regessit. Donatistae enim, quorum aliqui morte sunt puniti, si turbarum et violentiarum causa censeri nequeant tam severe tractati, illae tamen occasionem dederunt. De quo postea. Sed Priscilliani, et nonnullorum ejus sectae, a Maximo, Inperatorem tunc agente, ad Ithacii, sanguinarii Episcopi, instigationem, poena capitali adfectorum; historia verum, sed triste, praebet persecutionis ad mortem, fidei causa, exemplum.

§. CXCVII. Illud quidem verum est, et laudandum, summum supplicium fuisse ab Ecclesiasticis passim inprobatum, uti a Chrysost. hom. 47. ad Matth., qui sapienter addit, *irreconciliabile bellum*, per haereticidium, *esse in orbem inducendum*. Qui etiam hom. 30. ad Matth. docuit, homines, non vi, sed lenitate, esse docendos, et Zelotas, dum Deum vindicare videntur, suis litare adfectibus. Alibi etiam hom. 7. in 1. ad Timoth. §. 2. dicit, pro haereticis precandum, neque illos persequi oportere: praeterea damnatum est a Martino, aliisque Galliae Episcopis, apud Sulp. Sev. dial. III. c. 13., in causa Priscilliani, ipso Augustino, contra litteras Petiliani II: 86. Cresconium III: 5., ep. 61. ad Dulcitium, 158. ad Marcellinum, et 164. ad Apringium: sicut contra persecutiones fidei causa quoque scripsit Hilarius l. I. ad Constantium: imo cum dissentientibus pugnandum esse dixit Gregor. Naz. Orat. 14. λογικῶς *rationaliter*, et non ὁπλιτικῶς *violenter*, et armata manu, addens, *adversas manus adtollere prorsus esse a causa Christianorum alienum:* vid. et Orat. 26. et 34. Testatur quoque Socrates H. VII: 3. *orthodoxae Ecclesiae morem non esse, persequi haereticos.* Proclus quoque CPolitanus Episcopus, tempore Theodosii, placidus fuit erga haereticos, eos hac ratione potius, quam vi, ad rectam fidem adduci posse, censens, Socrat. H. VII: 41. qui addit, eum parvi facere

 si

si quis de Deo *aliter quam ipse* sentiret. Lactantius Instit. l. V. c. 19. fortiter pro libertate religionis, et contra omnem qualemcunque coactionem disputat, mereturque legi. *Non est opus*, inter alia inquit, *vi et injuria, quia religio cogi non potest, verbis potius, quam verberibus, res agenda est, ut sit voluntas.* Athanasius quoque inter opera Satanae refert qualemcunque fidei causa persecutionem, *ad Episcopos AEgypti et Libyae*, §. 5. et in *Apologia de fuga* §. 23. sic et in *hist. Arianorum*, §. 33., ubi hoc praeclarum occurrit effatum: *non enim gladiis aut telis, non militum manu, veritas praedicatur, sed suasione et consilio.* Vid. et §. 41. ac 67. ubi etiam dicitur, *religionis proprium esse non cogere, sed persuadere*, et persecutor adpellatur *Antichristus.*

§. CXCVIII. Negari tamen nequit, fundamenta persecutionis haereticorum jam fuisse hoc sec. jacta. Cujus rei indicia sese in definitione haeresios, supra data, in legibus contra haereticos, modo memoratis, in eorum exilio, et severa tractatione, teste historia, produnt indubia et varia. Quibus unum alterumve addam. *Ecclesiasticae lenitati*, dum Leo M., Episcopus Romanus sec. V. epist. 15. adserit, multum prodesse Principum severitatem, *cum haeretici ad Spiritüale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium*, spiritum persecutionis haud obscure expromit: vult quoque ep. 125., ut Inperator Clericos CPtanos, qui latenter adjuvant haereticos, urbe pellat. Fundamentum poenae capitalis, haeretico infligendae, jecit quoque Cyrillus Alex. in lib. *de adoratione* in Spiritu et Litt. l. VI. ubi dicit: haereticum *esse pejorem homicida, quia anima est corpore praestantior, adeoque justius adhuc plectendum:* vid. etiam ibid. l. VIII. Euoptus, Ptolemaidis Episcopus, in Synodo Ephesina sec. V. haec verba effudit: *sicut qui Principum numismata adulterant, extremo supplicio adficiuntur; ita Nestorius quovis poena apud Deum et homines dignus est, qui rectae fidei doctrinam adulteravit.* Quae, et quarum similes, opiniones, quarum supra memini, viam ad summum persecutionis gradum

dum straverunt. Imo ipsae leges civiles, in causa fidei et opinionum, quippe sanctione poenali muniendae, et inpune non violandae, quales hoc jam seculo latae sunt, sponte sua ad persecutionem ducunt.

§. CXCIX. Hisce addatur, inquisitores haereticorum fuisse a Theodosio M. a. 382. institutos in Manichaeorum nonnullos, ut ex Cod. Theodos. l. c. liquet: praeterea, libros Haereticorum non tantum fuisse legi vetitos, excepto Episcopo in casu necessitatis, ut can. 16. Carthag. IV. habet, sed et per leges Inperiales ad rogum damnatos, eorum traditione gravi sub poena inperata; imo mortis interminatione illud jussisse Constantinum M., et Arianorum libros flammis addixisse, refert Socrat. H. I: 4. Reperiuntur duae hanc in rem leges in Cod. Theodos., una Arcadii et Honorii adversus Eunomianos, altera Theodosii Jun. contra Nestorianos, lib. XVI. tit. de *haereticis*. Cui consuetudini acceptum est ferendum, cum quod haeretici libros suos studiose occultaverint, ut de Eunomio refert Photius in Biblioth. cod. 137. 138. tum quod maximam partem perierint, pauci tulerint aetatem. Quo haeresium historia redditur difficilior. Hac severissima erga haereticos disciplina non obstante, baptismus, ab ipsis haereticis quoque collatus, salva modo formula sueta, non fuit rescissus, aut iteratus; ita ut non novo baptismo, sed per solam poenitentiam, fuerint recepti, qui ad Ecclesiae communionem redierunt, Vid. can. Nicaen. de Paulianistis, et Augustin. de baptismo. Cujus fundamentum fuit opinio de *uno* tantum baptismo, Vid. Vossius disp. XVII. de *baptismo*. Nec tamen defuerunt adhuc doctores, qui haereticos rebaptizandos esse statuerunt, de quo legatur Touttee Diss. III. ad Cyrill. Hierosol., praeter Petavium ad Epiphan., sed illud ad eos ut plurimum restrictum videtur haereticos, qui vel formula recepta non recte satis uterentur, vel eam perverse intelligerent.

§. CC. Poenae, Clericis infligi solitae, ut censurae eorum,

rum, quae nonnulla habet singularia, aliquem dem intellectum, fuerunt 1. suspensio a reditibus, quo ipsis eorum portio denegabatur, Cyprian. ep. 28. ad Clericos, ubi illud dicitur, *se a divisione mensurna continere:* vid. et can. 49. Carthag. I. 2. suspensio ab officio, vel muneris functione, ad certum tempus: quod *abstinere*, vel *suspendere*, dicitur Cyprian. ep. 3. ad Rogatianum, vid. et Basil. M. can. 69. Quo sensu *suspendi* ICtis dicitur sententia, quae executioni ad tempus mandari non potest. 3. Depositio καθαίρεσις, qua ordine et officio excidebant in perpetuum; quod etiam adpellatur παντελῶς καθαιρεῖσθαι, παντελῶς ἀποπίπτειν βαθμοῦ in canon. Antiochen. et Ephesin. πεπαῦσθαι τοῦ κλήρου in can. Nicaen. et *degradari* in can. Carthag. IV. Sed quae poena vel relinquebat communionem, vel eam adimebat. Priore casu concessa fuit clerico deposito laicorum praerogativa, et per eam in ordinem laicorum detrudebatur, quod veteribus dictum fuit ad *communionem laicam redigi.* Quae phrasis non significat, quod putat Bellarminus, communionem sub una specie, ipsis doctioribus Catholicorum fatentibus, nec locum communicandi extra cancellos, sed simpliciter ordinem et locum laicorum, ut canones, qui de eo exstant, extra dubium collocant. Haec tamen reliqua mansit differentia inter tales Clericos et Laicos, quod illi, semel legitime ordinati, signa ordinationis retinuerint, ita ut readsumti nova non indiguerint ordinatione; quod recentioribus temporibus *characterem* vocarunt *indelebilem*; aeque ac in baptismo locum habebat. Hoc, et nihil aliud, ea phrasi designari, jam advertit Forbes. Irenic, l. II. c. 11. Phrasis quidem ea diu post demum orta est, sed res ipsa antiqua. Vid. Bingham in *historia scholastica* baptismi laicorum. Sed hac ipsa communione laica privati aliquando sunt Clerici depositi: quae eorum fuit excommunicatio, adjuncta depositioni, Can. Apost. 29., Cyprian. ep. 49. ad Cornelium, et canon. Sardic. ac Illiberit. 4. Praeter alias poenas, quas cum excommunicatis habebant communes, pecu-

liaris

liaris fuit, quae *curiae tradi* adpellatur, non ut a Judice seculari puniantur, quo sensu apud recentiores canonistas venit, sed ut civitatis suae societati, seu collegio, ad servilia manciparentur officia; unde nullus erat ad clericatum regressus. Cod. Theodos. l. XVI. tit. *de Episcopis*. Quod si crimina, a Judice punienda, commisissent, tradebantur excommunicati tribunali civili: uti saepe in canon. conciliorum occurrit. De *communione* vero *peregrina*, tanquam peculiari clericorum poena, ad sec. sequens dicam.

§. CCI. Gradus *poenitentiae*, ut, eam enarraturus, inde incipiam, non fuerunt, ut multis placet, *quinque*, sed *quatuor*, sicut hoc tempore obtinuit, Basil. M. epist. ad Amphilochium, ex cujus, ut et Gregor. Thaumat., concilii Nicaeni canonibus, ac Const. Ap. l. VIII. eorum notitiam dabo. *Primus* poenitentium ordo eorum est, qui proprie poenitentiae candidati erant, eam lacrymis et precibus expetentes a fidelibus, Ecclesiam ingredientibus; quare eum gradum, tanquam praevium magis, quam partem ejus constituentem, canones Nicaeni omiserunt, sed Basil. M. et Gregorii Thaumaturgi canones diserte memorarunt: quo etiam respicitur apud Eus. H. V: 28. et Ambros. ad *virginem lapsam*. Statio eorum erat in vestibulo Ecclesiae, et officium, intrantes flendo orare, eorumque precibus se commendare; quare προσκλαίοντες *flentes* dicti sunt: quorum etiam meminit Tertull. de Poenit. c. 9. Quo animo patefacto, admittebantur ad poenitentiam, quod *dare*, *accipere*, poenitentiam dicebatur. Cum autem ante probanda erat, quam absolvi poterant, concedebatur ipsis statio inter *audientes*, qui Script. S. lectionem et conciones audiebant, iisque finitis, et ante omnes preces, exire debebant; ideo ἀκροώμενοι *audientes* adpellati: qui *secundus fuit* gradus, triennium ordinario durans. Quo rite explicito, fiebant, qui *tertius* est gradus, ὑποπίπτοντες et γονυκλίνοντες *substrati et genuflectentes*; quia genibus flexis preces, cum inpositione manuum, consequebantur ab Episcopo: quarum formulam ex-

 hibet

hibet Gregor. Thaumat., qui, ficut praecedentibus ftationem in Narthece, ita his in navi, Ecclefiae adfignat. Quo officio, quod feptem aliquando fuit annorum, rite defuncti, ad communionem quidem admittebantur, fed fine oblatione, quatenus cum fidelibus fefe in precibus jungebant, euchariftiam videntes quidem, fed non participantes. Cum itaque licentia *confiftendi* cum fidelibus gaudebant, coram altari, adpellati funt συνιστάμενοι, συνεστῶτες *confiftentes*. Qui ftatus duos paffim durabat annos, licet aliquando plures, usque ad decem. Qui *quartus* fuit gradus, et ultimus. Addunt quidem aliqui quintum, quem μέσωσιν *inpletionem* vocat Bellarmin. de poenitentia *communicantium*, Cave in Primo Chrift. l. I., fed de quo filent Veteres, nec novus poteft admitti gradus, cum vel tempore poenitentiae finito mox ad euchariftiam admittebantur fumendam, vel, fi adhuc durabat, confiftentes erant, qui communicabant quidem, fed non plene, ut expofui, quod τὸ τέλειον adpellat canon Ancyranus.

§. CCII. Quoad *habitum et officia* poenitentiae, de quo nunc agendum eft, cilicio, vel facco, induti, cinere capiti infperfo, capitibus rafis, vel, fi foeminae effent, crinibus paffis, et per humerum fparfis, aut capite velato, in publicum prodibant, ad moerorem et luctum exprimendum, Cyprian. de *lapfis*, Euf. V: 28. et Ambrof. ad *virginem lapfam*: ab omnibus porro oblectationibus licitis, ut lavationibus, conviviis, ufu conjugii, abftinebant, Pacian. paraenef. ad *poenitentiam*, Ambrof. de *poenitentia* l. II. fefeque jejuniis et luctui dabant toti, Tertull. de poenit., et Cyprian. de Lapfis. Unde factum eft, ut poftea, *pane et aqua* uti, fuerit poenae loco injunctum: ficut inter ipfos Proteftantes quoque retinetur *op water en brood;* quod poenitentiae confpectum fert, et hinc natum eft. Debebant quoque omnibus jejuniis, et folennibus diebus, intereffe Ecclefiae, et flexis genubus orare, eleemofynas largiter dare, et nonnullis in Ecclefiis mortuorum fepulturae manus adhibere, uti in Africanis, fecundum canones

canones Carthag. IV. Ceterum, quod notari meretur, haec poenitentiae exercitia nomine *exomologesis*, seu confessionis peccatorum, fuerunt insignita in Ecclesia antiqua, quia peccata tunc detestabantur, et in specie ipso facto, habitu, et fletu, aliisque gestis, poenitentiam profitebantur. Quam vocis veram esse apud Veteres significationem agnoscit, et demonstrat, ipse Albaspinaeus Obs. l. II. c. 26., ac Petavius ad Epiphan., qui addit, exomologesin passim adligari tribus primis gradibus poenitentiae, simul publicam peccatorum confessionem, proprie dictam, in Ecclesia nusquam ulla lege, aut constitutione, obtinuisse contendit. Urget quidem confessionem Ambrosius ad Luc. lib. VII. §. 225., ex eo non tantum, quod pro confitente interveniat Christus, sed et, quod pro eo *roget Ecclesia*, *et illacrymet populus*, sed confessionem Deo dicit faciendam, et Ecclesiae per poenitentiae actus innotescere, indicat, Vid. etiam ibid. l. X. §. 88. ubi inter alia dicit, *lacrymae sine horrore culpam loquuntur*, *lacrymae crimen sine offensione verecundiae confitentur:* etc. Catholico-Romani alias hinc auricularem confessionem extundunt, quae privatim fit coram sacerdote, et necessarium habetur poenitentiae requisitum, virtute sacramentaria praeditum: sed sine ullo fundamento, nec auricularis confessio ante sec. IX. fuit in usu. Quae omnia fusius exsecutus est Dallaeus de *auriculari confessione.* Confessio nulli homini, sed Deo, facienda est, secundum Chrysost. hom. IV. de Lazaro, et II. ad illuminandos, et Euseb. ad Ps. XCI. Sic et Jo. Cassianus collat. XX. c. 1. confessionis auricularis nullam fecit mentionem, ubi modos recenset, quibus ad peccatorum expiationem perveniri possit, quem Deo confiteri sufficere dicit. Poenitentialem quoque confessionem non indigere *pecunia*, aut *peregrinationibus*, adserit Chrysost. hom. XX. ad Genes.

CCIII. Obtinuit quidem *privata* confessio, sed longe et aliis in casibus; paucis in lucem hac occasione prolata, eaque varia. 1. Prima est, qua fideles inter se

invicem, alii aliis, peccata confitebantur, ut sibi mutuo adessent in precibus, secundum Jac. V: 16., August. tract. 58. in Joh., et alibi. 2. *Secunda*, si quis alteri fecisset injuriam, secundum Matt. V: 23. Augustin. de *sermone Domini in monte* l. I. c. 10. 3. *Tertia*, si, cujus gravata esset conscientia, instructione ac consolatione indigeret, animum prudenti pastori explicabat, non ut absolutionem consequeretur, sed ejus consilio, monito, et precibus, adjuvaretur, Basil. M. regul. brevior. resp. 229. quo etiam ejus locus ad Jes. X., et Origenis hom. II. ad Levit. pertinet, Greg. Nyssen. de *poenitentia*. 4. *Quarta* erat, si quis consuleret sacerdotem, num publicam agere debeat poenitentiam, Cyprian. de *Lapsis*, et Origen. hom. II. ad Ps. XXXVII. Sic si crimina ejus essent naturae, ut confessori insigne periculum aut damnum crearetur, aut Ecclesiam possent offendere, *privata* fiebat confessio. Licet enim ea subinde, post secretam confessionem, fuerint publicata, et de libello recitata, Leo M. id fieri vetuit, ep. 80. ad Episcopos Campaniae. Vid. et Basil. M. can. 34. et Augustin. serm. 16. de *verbis Domini*. Quo etiam referri potest, quod Ambrosius habet de poenit. l. I. c. 16. *de eo, qui occulta crimina habens, tamen poenitentiam egerit*. Ceterum his in casibus, ut peccatores rectius instruerentur, num publicam agere debeant poenitentiam, simul quo modo sese in ea gererent, variis in Ecclesiis *minister poenitentiarius* dictus institutus fuit, cui eum, quem dixi, et non alium, in finem peccata sua confitebantur, Sozom. H. VII: 16. Fuit autem tempore persecutionis Diocletian. primum introductus, sed dein sub Theodosio abrogatus, primum a Nectario Episc. CPolitano, dein mox ab aliis, Socrat. H. V: 19. et Sozom. l. c. A quo tempore disciplina Ecclesiae, respectu privatorum commissorum, traditur haud parum imminuta, cuique etiam data hac parte se ipsum probandi ante eucharistiam licentia. Vid. Vales. ad Soz. H. VI: 28. Publica vero, ut hoc seculo, locum habuit, poenitentia in desuetudinem a

sec.

sec. IX. venire coepit; teste Jona Aurelianensi de *Institutione Laicali* l. I. c. 10.

§. CCIV. Ad *tempus*, poenitentiae agendae praescriptum, pertinet 1. ultimum ejus terminum fuisse praesens mortis discrimen, quando communio ipsis concedebatur: ut multi canones conciliorum, Illiberit., Neo-caesar., Arelat., et Ancyran. docent. Sed si absoluti convalescerent, status poenitentiae continuabat, canone Niceno orationum communionem concedente. Vid. can. 76. Carthag. IV., et 9. Arausican. I., ut et Greg. Nyssen. ep. ad Letoium. Post mortem vero nullus erat poenitentiae locus, Euseb. ad Ps. XXXVIII. fin. Leo M. serm. 34. 35. *Nisi remissum peccatum hic fiat*, inquit Ambros. ad Ps. XXXVIII. *non habebimus requiem, si requies non fuerit, non erit vita aeterna* etc. Chrysost. de *compunctione* ad Stelechium l. II. fin. nullam dicit in inferis esse *ἐξομολογησιν confessionem, nullum solatium ab hominibus*, Vid. et de *Lazaro* conc. II. §. 3. et in sermone de *non concionando ad gratiam*, §. 3. nec non hom. 18. in Ep. ad Roman. §. 6. ac alibi. Vid. etiam Gregor. Nazianz. Orat. XV. p. 220., ubi post mortem esse *poenae, non purgationis, tempus, nec in inferno confessionem, nec morum correctionem*, adserit. 2. Ordinarius poenitentiae cursus erat 10. 15. et 20. annorum: sed Episcopo tempus decurtandi vel prolongandi potestas fuit relicta, prout poenitentis conditio et res exegerit: si ex. gr. singulare in poenitente observaretur studium, insignia ipse opera quaedam bona ederet, quibus ardorem suum comprobabat, licebat Episcopo mitius de ipso statuere: ut habent canones Nicaen. et Ancyrani, ac Basilii M., nec non Chrysost. hom. V. 4. ad 2. ad Corinth. Quo pertinet Leonis M. Papae dictum, ep. 129. nov. edit. *poenitentia non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione, pensanda est.* Quod si fieret, *indulgentia* ipsi dicebatur fieri. Quae vera est hujus vocis significatio Ecclesiastica, uti, inter alia, ex epistola Vigilii Papae patet, *ad Eleutherum*: ubi dicit, *si qua-*

litas et poenitentiae devotio ſit adprobata, indulgentiae quoque remedio ſit vicina. Mitigabantur quoque tempore Auguſtini poenae canonicae aliquando ad Magiſtratuum interceſſiones, ut ipſe ep. 54. ad *Macedonium* indicat. Extendebant itaque ſeſe indulgentiae tantum ad poenas canonicas mitigandas, et non ad eas futuri ſeculi. Sed antiquarum harum indulgentiarum loco, quae mitigationes, relaxationes, vel remiſſiones dicebantur, irrepſerunt primo *redemtiones et permutationes*, quando poenitentiae opera conſpectum alicujus meriti induerunt, et pecunia, eleemoſynis, peregrinationibus, formularum quoque precum recitationibus, redemerunt poenitentiae opera ac tempora, imo Deo ſatisfacere cenſiti ſunt. Quae commutationes maxime coeperunt ſec. XI., circa tempora Burchardi et Gratiani. Deinde poſt ſec. XII-*mum* ortae ſunt novae indulgentiae, ſeu remiſſiones partis alicujus de injunctis poenitentiis, ex. gr. 40. dierum, unius anni, etc., quae ad Templorum fabricas, aliave munera, et pro iis, concedebantur. Denique indulgentias dixerunt pertinere, non tantum in foro Eccleſiaſtico ad poenas, et ſatisfactiones injunctas minuendas, ſed et in foro divino ad poenas purgatorii mitigandas vel tollendas. Legi de his omnibus in primis meretur Chemnicius in *Examin. concilii Tridentin.* p. III.

§. CCV. Hiſce denique addatur, Veteribus *unam* tantum fuiſſe admiſſam poenitentiam, et nonnullis in caſibus *nullam*. *Unam* tantum fuiſſe, ita ut relapſis alia fuerit negata, ſicut antea, ut ex Herma Paſt. l. II. mand. 4. Clement. Alex. ſtrom. II: 13. et Tertull. de *Poenitentia* liquet, ita et nunc adhuc, ex canon. Illiberit. et Arelat. IV. ut et Ambroſ. de *poenit.* II: 10. et Siricio ep. I. ad Himerium, conſtat. Quibus non obſtantibus ſubinde *bis* fuit data, uti exemplum Cerdonis apud Iren. adverſus haereſ. III: 4. et Valentini ac Marcionis, apud Tertull. *praeſcript. haeret.* c. 30. docet. Imo Chryſoſtomi dictum fuit, teſte Socrat. H. VI: 21., *licet millies poenitentiam egeris, accede*, quod ab

aliis

aliis eſt damnatum. Nonnullis, graviſſimorum criminum reis, nulla fuit conceſſa poenitentia, ſicut ante ſua tempora cum adulteris fuiſſe actum teſtatur Cyprian. ep. 55. ad Antonian., et ſuo adhuc tempore eos, qui ſub vitae finem demum petebant poenitentiam, tractatos fuiſſe ibid. adſerit. Quod ipſum multi canones, ut Illiberit, et Sardicenſ. ſanciverunt, licet non ex principiis Novatianorum, ſed prudentiae regulis. Virgini conſecratae, et per ſcortationem commaculatae, negat Ambroſ. in ſermone de *lapſu virginis* dandam abſolutionem ſub finem vitae. De tali poenitentia, ſalutari nec ne? diſputavit Caeſarius Arelatenſ. Serm. 255. in adpendice operum Auguſtini tom. V. Sed poſtea illud mitigatum eſt, nemini poenitentiam in agone mortis denegandam, et decretum in canon. Nicaen. Carthagin. IV. Arauſican. I., et epiſt. 3*tia* Innocentii ad Exuperium.

§. CCVI. Ad modum *abſolutionis*, quae tertia eſt cenſurae pars, pertinet ejus formula et ritus. *Formula* non fuit Pontificia, *ego te abſolvo*, cujus ante ſec. XII. nullus fuit uſus, ipſo Morino de *poenitentia* l. VIII. demonſtrante, et ex Toma Aquina, opuſculo 22. ubi novam formulam defendit, ſatis conſtat, ſed deprecatoria, qua orabatur, ut Deus remittat peccata; qualis exſtat in fin. Liturgiae Jacobi, et adpellatur *εὐχὴ ἱλασμοῦ oratio propitiationis*. Quales formulae in Eccleſia Graeca adhuc ſunt uſitatae, Vid. Jac. Goar in *Euchologio*, et T. Smith de *Eccleſiae Graecae* hodierno ſtatu. Ipſum quoque miſſale Latinum, a Bona rer. Liturg. in adpendice publicatum, aliam non habet formulam. Concinunt omnes antiqui libri rituales Mſſ., teſte Martene l. cit. cap. VI., qui ſimul obſervat, formulas aliquas abſolutionis indicativas, una cum orationibus reconciliatoriis, inveniri in pleriſque. Sed diverſus fuit abſolutionis *ritus*, relate ad varii generis poenitentes. 1. In periculo mortis abſolvebantur paſſim ſine manuum inpoſitione, euchariſtia inſtar viatici conceſſa: ut canones Carthag. IV.

isse, sed pro ministeriali tantum, et declarativa, qua remissio peccatorum adplicabatur poenitenti. Praeterquam enim quod absolutam ei non adscripserint necessitatem, jus remittendi peccata Deo soli vindicarunt, et inde divinitatem Christi demonstrarunt, Athanas. Orat. III. contra Arianos Basil. M. contra Eunom. l. V. Hilarius in Matt. VIII. Chrysost. hom. 29. in Matth. Ambros. de Spiritu S. III: 19. alii. Attamen hanc ipsam poenitentiam et absolutionem pro medio remissionis peccatorum in foro coelesti ordinario habuisse videntur; unde nonnulli eo vanitatis venerunt, ut sibi subinde plus, quam humanum est, adrogarint. Utique supercilium Pharisaicum taxat in Episcopis, et Presbyteris, Hieronym. ad Matt. XVI. quod putent, *se damnare posse innocuos vel noxios absolvere, dicto Christi, quod ligaveritis in terra* etc. *abutentes.* Compararunt profecto cum absolutione in baptismo Ambros. de poenit. l. I. Augustin. ep. 180. ad Honoratum, Leo M. ep. 89. ad Theodor., alii saepe. Dictum Christi Joh. XX. *quorum peccata remiseritis* etc. ad hanc ipsam poenitentialem absolutionem detorserunt, ut Cyrill. Alex. l. XII. ad Joh., et alii saepe. *Accepimus Spiritum*, inquit Ambrosius ad Ps. CXVIII. serm. X., *qui non solum nostra peccata dimittit, sed etiam nos facit sacerdotes suos aliis peccata dimittere*: sic et ad Lucam l. V. §. 13. *quis enim peccata potest dimittere, nisi solus Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem.* Chrysost. denique de sacerdot. l. III. c. 6. officium sacerdotale elevaturus, ei vindicat potestatem regenerandi per baptismum, et *peccata remittendi per poenitentialem absolutionem.*

SYNODI.

§. CCIX. *Synodi* vox latius quidem apud Eccles. scriptores sumitur pro quocunque coetu legitimo, etiam pro ipsa alicujus loci tota Ecclesia, quod Gothofred. ad Cod. Theod-

dosf. l. XVI. jam observavit, hic tamen strictius adhibetur, ubi de Synodis agimus, de conventu Ecclesiasticorum, sive universali totius, vel maximam partem, orbis Christiani, sive particulari, vel singularum provinciarum, vel plurium, unius dioecesios; quare in Oecumenicas, dioecesanas, et provinciales distinguuntur. Est autem hoc seculum earum feracissimum, partim quod Inperatores, Christiani facti, plenissimam dederint licentiam, partim Synodus Nicaena bis per annum in singulis provinciis decreverit celebrandas provinciales. Oecumenicae, sic dictae, fuerunt duae, Nicaena et Constantinopolitana, reliquae ingente numero; quarum notitia magnam historiae hujus seculi partem cum faciat, eam hic, quantum potest, brevibus dabo, sed Oecumenicarum paulo fusius et distinctius, respectu causarum, circumstantiarum, membrorum, et actorum. Causa Nicaenae *efficiens* fuit Constantinus M., qui eam convocavit, et non Papa Sylvester, ut constans Veterum habet traditio; quae testimonia jam produxit Launoius p. VI. ep. 1. Vid. etiam E. Richerius, hist. concil. gener. c. 2. Papae aliquas hic fuisse partes, sine ulla ratione a Catholico Romanis nonnullis adseritur. *Inpellens* vero causa fuit, ut pax Ecclesiastica restitueretur, fatente Const. M. in Epist. ad Nicomediens. apud Theodoret. H. I: 20., in specie lites de divinitate Filii, per Arium presbyterum, et Alexandrum Episcopum Alexandrinum, suscitatae, e medio tollerentur, nec non de tempore paschatis celebrandi, denique de ordinandi potestate in AEgypto, quam Meletius, in Thebaide Episcopus, nolebat Petro, Alexandrino Episcopo, concedi per dioecesin AEgypti. Eus. Vit. Const. l. III: 4.

§. CCX. Quod ad circumstantias loci et temporis adtinet; *locus* fuit Bithyniae Metropolis Nicaea, de qua vid., praeter alios, Beveregius in not. ad Pandect. canon., in specie Templum, Eus. vit. Const. III: 7., ultima forte sessione habita in Palatio, ut Vales. ad Eus. ex eo conjicit, quod alibi Synodum in palatio fuisse habitam tradat, cap. 7. ut eo

Theodoret. H. I: 7., quae ea ratione videntur conciliari posse: nisi potius quis velit, Ecclesiam, seu oratorium, in palatio Inperatoris, intelligi, ubi Synodus sedit, cui nomen *οἶκος εὐκτήριος*, quo utitur Eusebius, recte convenit, sed illud tanti non est. *Tempus* fuit annus 20*mus* Const. M., aer. Vulg. 325. uti ex illis, quae Beveregius. l. c. et Pagi ad Baron. in medium protulerunt, satis constat. Incepit Synodus 19. Jun., et finita est 25. Aug., adeoque *duas* Mens. et aliquot dies duravit, sub finem *vicennalibus* Const. M. celebratis, quae in Mens. Jul. quidem incidebant, sed Synodi causa, in sequentem mens. dilata sunt, Vid. Pagi l. c. *Membra* Synodi fuerunt, praeter Presbyteros et Diaconos, Episcopi, ingente numero, sed qui ab antiquissimis etiam autoribus varie initur: de quo vid. Seldenus ad Eutychii *Orig. Alexandr.* Euseb. vit. *Const.* III: 8. supra 250 numerat, ex omnibus Europae, Africae et Asiae, partibus. Eustath. Antiochenus apud Theodoret. H. I: 8. circiter 270. Athanas. de *Syn. Nic. decretis*, et in *historia Arianorum*, ad Monachos, 300, *plus minus*, adfuisse tradit. Sed postea, non sine adlusione ad numerum militum Abrahami, opinio de 318 invaluit, ut ex Epistola Synod. Liberii Papae apud Socrat. H. IV: 12. liquet. Meminit quoque ejus numeri Athanas. epist. ad Africanos, Epiphan. haer. 69. et can. 1. CPol. a. 381.

§. CCXI. Supremus Synodi Moderator fuit ipse Constantinus, Eus. vit. Const. III: 10.— sedit etiam ante omnes, orationem de pace habuit, et, cum Episcopi varie inter se litigarent, ipse sua persuasione et autoritate rem eo adegit, ut in eandem fidei formulam consenserint, et diem paschatis definiverint: quare Audiani Catholicis postea objecerunt, quod solius Inperatoris autoritate diem paschatis mutaverint, Epiph. haer. 70. Attamen, eum Episcoporum *arbitrio*, et *potestati*, reliquisse, ut de religionis dogmatibus adcuratius disquirerent, tradit Socrat. H. I: 8. et Ambrosius Ep. 21. ad *Valentinianum*. Praeter Inperatorem plures uno fuerunt

πρόεδροι

προέδρος praesides, loquitur enim de illis Euf. l. c. in plurali. Episcopus Alexandrinus in Epist. Synod. ad Ecclesiam Alexandrinam apud Theodoret. H. I: 9. adpellatur autor et particeps gestorum. Eustathius vero Antiochenus in dextra primum tenuisse locum, et, nomine Synodi, Constantinum primus adlocutus dicitur Euf. l. c. cap. 11. coll. Theodoret. l. c. cap. 7. Sed Sozomen. H. I: 18. eum non Eustathium, sed Eusebium Caesareensem, fuisse tradit. Habuit quoque, ut ipse testatur Euseb., orationem panegyricam in Const. coram Synodo. Eustathio primas quoque defert Proclus, apud Facund. Hermian. de tribus capitul. l. VIII. Praeter hos primarios Synodi viros praeses diserte adpellatur Hosius Cordubensis ab Athanas. in Apolog. de fuga, et in Epist. ad Solitarios; concinit Sozom. H. I: 15. 16. Unde patet, Hosium ad eam dignitatem a Constant. fuisse evectum, tanquam cujus legatione jam antea usus erat ad eas lites sopiendas. Quod vero Pontificii eum nomine Pontificis Romani praesedisse opinantur, illud solido caret fundamento, eo magis, quod duo Presbyteri, ab eo missi, locum ejus tenuerint, ut ex Euseb. vit. Const. III: 7. patet, ubi regiae urbis antistes, quem ob senectutem non interfuisse dicit, alius non est ac Romanus, ut ex Theodor. H. I: 7. elucescit. Sublestae itaque fidei est, quod Gelasius Cyzicenus in historia Actorum Synodi l. II. c. 12. tradit, eum Episcopi Romani locum tenuisse, cum illis Presbyteris. Tenuit itaque, ut concludam, primum post Constantinum locum Hosius, tanquam ejus legatus, secundum Eustathius, tertium Alexandrinus, tum legati Papae, qui adfuisse, sed non praefuisse, dicuntur. Vid. Launoius p. VIII. ep. 1. ad Raymundum Formentinum.

§. CCXII. *Decreta* Synodi fuerunt 1. Arianae haereseos damnatio, et homoousii definitio, cum symbolo fidei, ibi condito: quod qua ratione factum sit, postea in historia Arianorum narrabo. Vid. Athanas. de *Nicaen. decretis*, et Epist. ad Africanos. De Spiritu S. nihil directe, et in specie,

 defini-

definitum est, ut Basilius M. ep. 125. et Hieronymus ep. 65. adfirmant, quia quaestio tantum erat de Filio; adserta tamen fuit vera Spiritus divinitas, teste Athanasio l. cit., et ad Jovinianum, ac Basilio l. cit. 2. Temporis paschatis determinatio, die dominico post *decimam quartam* Lunam definito. 3. Meletii condemnatio, ademto ipsi ordinandi jure, sed relicto honore, et Alex. Episcopi privilegio confirmato. De quo suo loco. Denique 4. canones viginti sunt cusi, qui in Pandectis Beveregii etiam prostant. Viginti enim, et non 25, fuisse canones, ex concilio Chalcedon., ubi tot tantum memorantur, manifestum est. Interea nulla memorantur *acta* Synodi confecta; excepto symbolo, et Epistola Synodica ad Alexandr. apud Theodor. H. I: 9. ne Const. M. epistolas memorem ad absentes, ibid. c. 10. et canones. Ea tantum scriptis fuisse et singulorum subscriptione corroborata, adserit Euseb. vit. Const. VIII: 14. *quae in commune placuerunt*. Ubi vid. Valesius. Ceterum obtinuit Synodus summam et universalem per totam Ecclesiam Catholicam autoritatem, retinuitque per omnia secula, cum fidei, tum canonum, respectu; quae Synodorum Oecumenicarum est praerogativa: uti adfirmat Augustin. ep. 118. ad Januarium. Constantinus praeterea lata lege ejus decreta confirmavit, Theodoret. H. II: 4., simul divinam Synodis adtribuit autoritatem, teste Socrate H. I: 9. Adfirmat quoque Basilius M. ep. 114. ad *Cyriacum*, Patres Nicaenos *non sine divino adflatu* esse locutos, et propterea fidem, ibi sancitam, cum voce omoousios esse recipiendam. Athanasius paulo moderatius, licet in eandem fere mentem, in lib. de Synodis p. 873. ed. Colon. in negotio paschatis declarat, Synodum pro autoritate egisse, dicendo, *visum est, ut omnes obtemperarent*: sed de *fide* non scripsisse, *visum est*, sed, *ita credit Ecclesia Catholica*, adjuncta fidei confessione Apostolica. Cujus itaque testis, et interpres supremus haberi debet. Synodum a Spiritu S. esse coactam dicit Gregorius Nazianz. Or. XX. Locum

itaque

itaque ab hoc tempore habuit in Ecclesia Catholica certa, respectu Trinitatis, fidei norma, et conformitas in die paschatis? sed motus non tantum non sopiti, verum longe vehementiores sunt facti, et Ecclesiae in horribilem conjectae sunt confusionem: quae diu duravit, et mutuam peperit persecutionem: ut ex historia Arianorum, et Semiarianorum, postea patebit.

§. CCXIII. Altera Synodus, pro Universali habita, est *Constantinopolitana* prima, a solo Theodosio M., Damaso Papa ne quidem consulto, convocata; secundum constantem Veterum narrationem. Vid. Launoius p. VI. Ep. 2. ad Mommorium: et Richerius in hist. conciliorum etc. Sedit a. 381., et renovata a. 382. Priori interfuerunt 150 membra, et primas in ea partes egit, primum Meletius Antiochenus, dein, eo, stante Synodo, mortuo, Gregorius Nazianzenus, Episcopus CP. confirmatus, denique, eo sese sponte abdicante, Nectarius, ejus successor in sede CP. Licet enim Episcopatus CP. Maximo Cynico fuerit a Synodo abjudicatus, et Gregorius Nazianz. confirmatus, ipse tamen, cum Episcopos AEgyptios, qui, adventum suum non fuisse exspectatum, et Maximum exclusum, aegre ferebant, videret motus ciere ingentes, se sponte abdicavit, et in ejus locum electus est Nectarius: ut supra suo loco retuli. Ceterum confirmata est in ea Synodus Nicaena, ejusque fides, et nominatim anathemate percussae sunt haereses Eunomianorum, Semi-arianorum, seu divinitatis Spiritus S. adversariorum, Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, et Apollinaristarum: de quibus postea. Quibus peractis, eadem Synodus denuo est coacta, ann. 382. ex iisdem, maximam partem, Episcopis, eodem in loco, a Theodosio: eique praesedit Flavianus Ep. Antiochenus, Meletii successor. Lectis in ea litteris Occidentalium, quibus de electione Nectarii CP., et Flaviani Antioch., conquesti sunt, simul Synodum Romae habendam postularunt, responsum est a Synodo, res suas, ut Romam ten-

tendant, non permittere, praeterea se fidem Nicaena confirmasse, etc. Quae Synodalis Epistola, haud uno ne notabilis, exstat apud Theodoret. H. V: 9. D sive in hac, sive superiore Synodo CP., Theodoret. 8., septem sunt sanciti canones Ecclesiastici, de quib locis egimus. Adfuit quidem ex Occidentalibus Asc Thessalonic., Socrat. H. V: 8., sed ex Italiae Episco mo, quippe quibus aegre fuit, Maximum fuisse sed privatum; et primum Gregor. Nazianz., dein Nec electum, ut et Flavianum Antiochen., uti ex Epist Episcoporum Italiae, quam edidit Sirmondus, quae in adpendice Cod. Theodos., patescit. Nec tamen absentia obstitit, quominus pro Oecumenica fuerit h ab Inperatore quoque confirmata, Socrat. l. c. et S H. VII: 9. Vid. etiam Epistola Synodica ad Theod qua acta recensent, et confirmationem petunt: in tom. ciliorum. Adpellatur quoque ab ipsis illis Patribus dus *Oecumenica*, in epist: Synod. ad Episcopos Italiae Theodor. H. V: 9. Nec tamen eam, qua talem, ag runt hoc tempore Episcopi Italiae, et Nectarii ac Fl inprobarunt ordinationem: teste Epist. eorum, modo ta.

§. CCXIV. Sequente anno eadem Synodus fuit re ta, vel nova convocata CPol. a. 383. a Theodosio Catholicos inter et Haereticos instituatur collatio, sed, haeretici eo non potuerint adduci, ut ex antiquis Pa quoque institueretur disputatio, et controversia decide ut tradit Sozom. H. VII., qui addit, hoc consilium a Si tunc Novatianorum Lectore, post Episcopo, fuisse s tum, in fumum abiit, jussique sunt ab Inperatore, u guli fidei suae formulam exhiberent, quando celebr Eunomii confessio etiam est oblata, Gr. et Lat. ec Valesio ad Socrat. H. V: 10. Confirmata vero a S est fides Nicaena, et Synodum excepit duplex The M. constitutio contra Haereticos, in Cod. Theodos.

haereticis leg. 11. 12. Ceterum hoc ipso tempore, vel potius paulo ante, nonnulli Episcopi videntur lege Theodosii constituti extra ordinem *centra communionis*, quibuscum qui communicabant, pro Orthodoxis habebantur. Cod. Theodos. l. XVI. tit. I. Socrat. H. V. 8. et Sozom. VII. 12.

§. CCXV. Praeter has synodos Oecumenicas innumerae aliae sunt habitae, partim ad disciplinam et mores formandos, partim fidei et disciplinae caussa, occasione vel Donatistarum, vel Arianorum, vel virorum singulorum. Quarum classium celebriores, cum omnes non liceat, recensebo. Synodi, quae canones disciplinae et morum condiderunt, sunt, secundum ordinem temporis, sequentes. 1. Prima omnium hoc seculo habetur *Eliberitana*, Eliberi, Hispaniae Baeticae urbe, celebrata, et non ad radices montis Pyrenaei, uti recte probavit Mariana hist. Hispan. l. IV., in qua 81 canones severioris disciplinae conditi sunt, a variis illustrati, ut Binio, Albaspinaeo, Mendoza, D'Aguirre, aliis. Censetur quidem vulgo a. 305. habita, sed annus vix definiri pro certo potest; tantum in genere constat, tempore persecutionis Diocletian., quia Hosius Cordubensis ibi adhuc degebat, adeoque ante ann. 313., a quo tempore in comitatu Const. M. fuit, Vid. Pagi ad Baron., licet Baluzius Coll. nov. concil. contendat, post Ancyranam et Neo-caesar., et paulo ante Nicaen., habitam fuisse. 2. *Arelatensis* I. a. 314. jussu Const. M., in caussa Donatistarum, conctum concilium canones 22 condidit; qui in tomis Conciliorum exstant, et variorum, ut Binii, Ducaei, Albaspinaei, Sirmondi, et aliorum, notis illustrati sunt. Est autem celeberrimum, non solum Episcoporum ex provinciis Occidentis, quos 200 numerat Augustin. contra Parmenion. l. I. multitudine, sed et quod Constantini M., si non praesentia cohonestatum, quod incertum, vel et inprobabile, est, vid. Vales. de *schismate Donatist.*, autoritate tamen ejus sancitum sit; potest quoque patriarchale Occidentis censeri con-

concilium. Augustinus *plenarium* quoque, et universale, adpellavit, vid. Launoius de *notione concilii plenarii*. 3. *Ancyranum* I., Ancyrae in Galatia a. 315. ab octodecim Episcopis celebratum, in gratiam eorum, qui in persecutione Maximini lapsi erant, et recipi cupiebant, 24 condidit canones; in cod. *canonum Ecclesiae universae*, et Pandectis Beveregii. 4. Quo eodem anno, et eadem de caussa, habitum est *Neo-caesareense*, apud Neo-caesaream in Cappadocia: cujus *quindecim* canones ibidem reperiuntur. 5. *Gangrense*, Gangris in Paphlagonia, propter Eustathium, qui Arianus erat, et abstinentiam a conjugio, cibis, aliisque rebus, docebat, coactum, *viginti* condidit canones, ibid., quo anno incertum est. Socrat. H. II: 43. post Caesareense a. 358. collocat, et ante CPol. a. 360. celebratum, Sozom. H. IV: 24. sed, sitne Eustathius iste celebris ille Sebastenus, quod Socrates et Sozomenus indicant, an ab eo diversus, non convenit inter Doctos. Quod tanti non est.

§. CCXVI. 6. Antiochenum, Antiochiae in Syria a. 341, celebratum, occasione *encaeniorum*, seu dedicationis Templi ejus, a Const. M. inchoati, et a Constantio illo anno absoluti, teste Athanasio de *Synodis*, qui eam propterea adpellat *in encaeniis*, Socrat. H. II: 8. et Sozomen. H. V. Condidit, praeter quatuor fidei formulas, quae, excepta voce homoousii, quae omissa est, pro orthodoxis habentur, et apud Athanas. ac Hilarium de *Synodis* exstant, canones 25, in *codicem canonum* Universae Ecclesiae receptos, adeoque autoritatis universalis; in Pandectis Beveregii. Solet haec Synodus pro Arianorum conciliabulo, in quo Eusebiani sunt dominati, haberi, cui vitio vertitur, quod Athanasium deposuerit, fidem perverterit, et canonem aliquem cuderit canonibus Ecclesiae contrarium. Sed, praeter vel 36, ut ex male intellecto loco Julii Papae apud Athanas. Apol. II. p. 748. multi opinantur, de quo vid. Tillemont. l. cit. vel 40., ut est apud Palladium in vita Chrysost., Eusebianos, ei adfuerunt longe majore numero Orthodoxi; in universum,

sum, membra fuerunt 90, teste Hilario de Synodis: praeterea formula fidei ejus, contra Sabellianos, in specie Marcellum Ancyranum, Sabellianismi suspectum, formata, adsumta est, praeter canones, ab Ecclesia. Athanasius vero in peculiari conciliabulo fuit ab Eusebianis depositus, et in eo conditus canon contra Athanasium, qui habet, Episcopum, *sive juste, sive injuste, depositum, absque Synodo in Ecclesiam redire non posse.* Plura vid. apud Schelstratium in peculiari libro de hac Synodo, sed quocum conferendus est Tillemont. memor. Eccles. tom. VI. p. III. in not. ad Arian., qui Schelstratium erroris hac parte arguit, putatque, sed levi conjectura ductus, canones esse duarum Synodorum, Antiochiae habitarum, quae secum sunt confusae, unius sub Eustathio ante a. 335., cujus sunt nonnulli canones pii, alterius a. 341. quae alios condidit.

CCXVII. 7. Quinque ann. post, cum factiones et lites, causa Athanasii, etc. magis magisque ingravescerent, indicta est Synodus *Sardicensis*, Sardicae in Illyrico, vel Thracia a. 346., non a Papa Julio, sed Inperatoribus Constantio et Constante, uti ex Athanas. apol. II*da*, et ad Solitarios, nec non ex Epistola ipsa Synodica, aliisque Historicis, evicit Launoius p. VI. Epist. I., eo etiam scopo, ut esset Oecumenica, et omnes lites sopirentur: quod longe aliter cecidit. Orientis enim Episcopi, cum reliquis in unum convenire recusantes, nisi Athanasii causam missam faciant, sese ab illis separarunt, et *Philippopoli* in Thracia, teste Socrate l. II. seorsum congregati sunt. Occidentis itaque Episcopi, in proposito perseverantes, Synodum Sardicensem, numero circiter centum, habuerunt, teste Athanasio ad *Solitarios*, praeside Hosio. (Errat ergo socrates H. E. l. II. cum 300 convenisse, ex Athanasio refert, cum illis, qui Synodo interfuerunt, confundens eos, qui causae Athanasii, et ante et post Synodum, patrocinati sunt, vid. Athanas. in apologia) in qua prolixiorem fidei Nicaenae expositionem, eandem quidem sententiam tenentem, sed verbis discrepantem, composue-

runt, si Sozomeno H. III: 12. fides sit habenda, contra Athanasium, qui ad *Antiochenos* testatur, Sardicenses, fide Nicaena contentos, nihil voluisse de fide ulterius scribi. Fidei itaque confessio, apud Theodoret. H. II: 7., oportet quoque spuria sit. Athanasium, Marcellum Ancyranum, aliosque, ab Orientalibus depositos, absolverunt, sed Orientalium antesignanos, ut Basilium Ancyranum, aliosque, deposuerunt; denique 20 canones condiderunt, quorum aliqui adpellationes ad Papam Romanum confirmare censentur: de quo supra egi. Verum nec hi canones pro regulis universae Ecclesiae sunt habiti, nec Synodus, absentibus Orientalibus, Oecumenicae conspectum ferre potest. De quo legendus E. Richerius, Sorbon-Paris., in historia *conciliorum generalium*. De ipsa vero Synodo ex Veteribus Athanas. l. c. Socrat. H. II: 16. Sozom. III: 10. Theodoret. II: 5. Hilarius in fragment. II. Ceterum omnia illa acta resciderunt Orientales, supra 70 numero in Synodo Philippop.; cujus epistola Synod. exstat apud Hilarium fragm. III., in qua Julius Papa *princeps et dux* malorum, inter alia, adpellatur, et varii Episcopi, praeter Athanasium, violentiae, et scelerum, accusantur. Ceterum dicunt, se, *in Sardicam congregatos, celebrasse concilium*, sive eo regressi sint Philippoli, sive suam Synodum pro genuina Sardicensi haberi voluerint. Notabilis valde est haec epistola, quae, si aliquid modo veri habeat, inter Catholicos fuisse pessimos zelotas, et miserabilem Ecclesiae statum, negari non poterit.

§. CCXVIII. 8. Haud diu post, a. 363., secundum Gothofr. ad Philost. H. VIII: 3., vel a. 367. ex opinione Beveregii ad *Pandect. canon.*, celebrata est Synodus *Laodicena*, Laodiceae in Phrygia Pacatiana, non tamen post Illyricianam, ut putat Bevereg., qui inde rationem hujus Synodi repetit, pertinet enim ad a. 372. Coacta est a Theodosio, Lydiae Episcopo, cum, ut Aetii et sociorum ordinationes rescinderentur, tum, severioris disciplinae canones cuderentur; qui numero 60, hic conditi, et ab Ecclesia Universali

versali recepti, in *codicem canonum* Ecclesiae universae relati sunt: ac in Pandectis Bevereg. prostant. 9. De reliquis uno verbo absolvam. *Caesaraugustana* in Provincia Tarraconensi a. 380. condidit octo canones contra Priscillianistas in tom. concil., etiam Hispaniae tom. II.. Dein a. 390. *Carthaginens. II.*, alias V., canones fecit 13, ad mores instaurandos, ibid., inter quos est, qui voce *missae* utitur pro eucharistia. Denique a. 397. *Carthagin.* III., praeside Aurelio Episcopo Carthag., et praesente Augustino, celebris admodum ob 50 canones, ad disciplinam et mores pertinentes, et omni animadversione dignos: inter quos notabilis est *de canone* Script. S., cui libri, postea, et a Protestantibus, dicti Apocryphi, adduntur. Illustravit vero hos canones Schelstratius de *Ecclesia Africana*. Memoratur quoque sub Aurelio *Carthag. IV.*, a. 398., cui 104 canones adscribuntur, sed quorum nulla exstat mentio in *codice canonum Ecclesiae Africanae*, quare a multis pro fictitia habetur, sed vindicavit Schelstrat., et canones explicuit.

§. CCXIX. Synodi in causa Donatistarum, sive pro Donatistis, sive contra eos, fuerunt celebriores, 1. *Cirtensis* in Numidia, a. 305., uti probavit Valesius ad Euseb. H. VIII: 2. qua in traditores, ut adpellantur, inquisitum est, omnesque, hujus criminis rei acti, absoluti sunt communibus suffragiis, et Sylvanus creatus Episcopus Cirtensis. 2. *Carthagin. prima*, a septuaginta Episcopis a. 311. vel 312. in qua Caecilianus, Carthagin. antistes constitutus, damnatus est tanquam traditor, et schisma Donatisticum est firmatum, Majorino in Caeciliani locum suffecto. 3. *Romana* prima, a. 313. a Melchiade Papa, et Marco ejus Presbytero, cui Constantinus M. judicium de Caeciliano commiserat: in qua damnati sunt Donatistae, et Caecilianus est absolutus. 4. *Arelatensis* prima, cujus supra quoque memini, a. 314., a qua Caeciliani innocentia iterum est agnita. 5. *Carthagin. secunda*, a 270 Episcopis partis Donatisticae, tempore Donati, adeoque non ante an. 330., cum Donatus Majorino

 suc-

successerit a. 329., in qua decretum est, traditores, lice
novo nollent baptizari, ad communionem esse admitten
Augustin. ad Vincentium ep. 48. Vid. Vales. de schis
te Donatist. cap. 3. Denique 6. *Carthagin. quarta*, ha
a. 348. a Grato Carthagin., aliisque Catholicis, causa
cumcellionum: de quibus postea. Conditi sunt quatuo
cim canones, in tomis concil., et apud Schelstrat. Ec
African. diss. III., oppositi Donatistis, et ad mores re
mandos.

§. CCXX. Praecipuae Synodi in causa Arianorum,
mi-arianorum, et aliorum, quae innumerae fuerunt, qu
hic locum dabo, sunt sequentes. 1. *Alexandrina* secunda,
Alexandro Episcopo, et reliquis ejus dioecesios, celebra
a. 321. Arium prima vice damnavit. Exstat Epistola
nod. apud Theodoret. H. I: 4. Quo eodem anno, ut
detur, altera ab eodem Alexandro habita est, cui cen
episcopi interfuerunt, et a qua altera scripta est Ep
Synodalis ad omnes ubique terrarum Collegas eandem
rem; apud Socrat. H. I: 10. Quas duas Synodos et E
tolas recte esse distinguendas, demonstrat Valesius ad Th
doret. l. c. Depositionis vero Arii formam, sub Alexan
factam, exhibet ex Bibliotheca Regia, Cotelerius ad Co
Apost. VIII: 28. Habuit dein a. 324. ibidem Synod
Hosius Cordubensis, a Constantino M., et non a Julio
pa Romano, missus cum litteris Alexandriam, ad lites in
Alexandrum et Arium componendas, sed irrito effe
Euseb. vit. Const. II: 62. Socrat. I: 4. Sozomen. I.
2. Post Synodum Nicaenam Oecumenicam, nec non An
ochenam in encaeniis, de quibus supra egi, memoranda
Antiochena III., ab Eusebianis habita a. 345., cujus me
nit Athanas. de *Synod. Arimin.*, et Socrat. H. II: 19.
qua celebris illa confessio, μακρόστιχος dicta, quod *multis v
bis* esset scripta, fuit composita: in qua, excepta voce hom
ousii, nihil fuit desideratum. Missa est ad Occidentales, M
diolani coactos, ut de fide Orientalium rectius instruerent

sed ab illis non est admissa, quia in fide Nicaena acquieverunt, Socrat. H. II: 20. Sozom. H. III: 11. Ceterum habitum est illud concilium Mediolanense a. 346., ante Sardicense a. 347., ut ex Sozomen. l. c. et aliunde liquet, adeoque probe distinguendum ab altero Mediolan., post Sardicense celebrato, de quo mox. Exstant ea de re dissertationes Valesii, et Petri de Marca, qui Synodos eas Mediolan. recte distinxerunt, nec non Petavii, qui eas confudit.

§. CCXXI. 3. Missa Synodo Sardicensi Occidentalium, et Philippopol. Orientalium, a. 347., de qua supra dixi, *Mediolanensis* secunda, quam Sirmondus pro commentitia habet, Petavius cum superiore confundit, sed P. Marca recte definivit et explicuit, habita est a. 347. In qua Photinus est damnatus, Ursatius vero et Valens Episcopi, porrecta fidei formula, absoluti sunt: Socrat. H. II: 20. Hilarius in *fragmento* de Synodis; et Epistola Synodica Ariminensis 4. Biennio post celebrata est *Romana*, sub Julio Papa, quam pro Sirmiense male habuit Petavius: in qua Photinus Episcopatu pulsus est, Valens vero et Ursatius, Pannoniae et Moesiae Episcopi, jam ante sub conditione communicandi cum Athanasio recepti, nunc plene, praestita conditione, et Athanasio per eos a criminibus absoluto, Ecclesiae sunt reconciliati. Athanas. apolog. II. et epist. ad *Solitarios*, Theodoret. H. II: 16. et Hilarius l. c. Vid. P. de Marca diatrib. de tempore Synodi Sirmiensis. 5. Photinus, ab Occidentalibus in Synodo Mediolanens. a. 347. damnatus, cum a Constantio petiisset, et inpetrasset, ut coram Judicibus disputaret de fide, congregata est Synodus *Sirmiensis prima* a. 351., ut habet Socrat. H. II: 20. et recte observavit Petavius diss. de Photino, frustra reclamante Sirmondo. Photinus, disputatione Basilii Ancyrani cum ipso habita, victus, et condemnatus est ab Orientalibus quoque; adeo ut haeresis illa fuerit ab utriusque orbis Episcopis jam confecta. Cum vero ad Inperatorem provo-

cassset, et plebs, tumultu concitato, intercederet, qu nus deponeretur, Constantius, datis judicibus, confi depositionem. Socrat. H. I: 24. et Hilarius l. c. Edi praeterea est fidei formula contra Photinum, qua a mate damnantur, qui dicunt, *Filium de non exstan aut ex alia substantia, esse*, vel, *fuisse tempus, quan erat.* Quam formulam Hilarius de *Synodis* adprobat, sed nasius lib. de *Synodis* condemnat; qui duo circa for Antiochenam quoque diverse senserunt, et haec est formula Sirmiensis: quam etiam exhibet Socrat. II: Sozomen. IV: 6. Habitum dein a. 355. est b. con aliquod Mediolanense sub Constantio, cujus acta, e Eusebii Vercellensis, prostant apud Ugellum in *Italia* et Baluzium nov. collect. conciliorum: Catholici v eo pessime tractati sunt, in primis Eusebius Ver sis.

§. CCXXII. 7. Secuta est haud diu post *Secunda* dus *Sirmiensis* a. 357. in qua ab Arianis, praesertim cidentalibus, formula fuit condita, rejectis vocibus et *ousii*, et *homoiousii*, tanquam non scripturariis, cui sub sit ipse Hosius Cordubensis, sed jam senex centenari jor, et nimium *sepulchri sui amans*, veritus quippe ex ut habet Hilarius in *fragmentis*; qui etiam formulan exhibet in libro de Synodis, sicut Gr. apud Athan *Synodis*, Socrat. II: 30. et Sozomen. IV: 15. Quae formula, iisdem vocibus *consubstantialis* et *similis* subst repudiatis, adprobata 8. est ab Orientalibus, in Syno *tiochiae*, sub Eudoxio, qui, Leontio mortuo, sibi ra episcopatum Antiochiae a. 358. Socrat. II: 37. Soz IV: 12. Paulo post 9. eodem anno 358. Basilius ranus concilium *Ancyrae* in Galatia habuit, occasione cationis Ecclesiae, in qua damnata est formula Sirmie et Antiochen. V. Synodi, ac stabilitum, Filium esse similem substantia. Sozomen. IV: 13. Epistola Syn superest apud Epiphan. haer. 73. et Hilarium de S

Missis quoque legatis ad Inperatorem, contra Anomoeos impetrarunt litteras Constantii, quae exstant apud Sozom. l. cit. Celebrata etiam est 10. eodem anno Synodus *Sirmiensis* III., in qua formula fuit condita, partim ex *prima* Sirmiens., partim ex Antiochen. ann. 341., cui subscripsit Liberius Papa exul. Hilarius in fragment. Sozom. IV: 15. et Philostorg. IV: 13. Sequente anno Sirmiense rursus concilium est habitum 11. et formula, a Marco Arethuso dictata, cusa est, in qua vox *οὐσίας essentiae* deficit, sed Filius Patri per omnia similis adfirmatur, Athanas. de Synodis, et Socrat. II: 37.

§. CCXXIII. 12. Quarum conflictationum pertaesus Constantius, ut Ecclesiae tandem redderet pacem, indixit Synodum Oecumenicam, quae ab Occidentalibus habita est *Arimini*, et mox apud *Nicen*, Thraciae urbem, ut nomine, Nicaenae Synodo conformi, fucum facerent; sed ab Orientalibus *Seleuciae*, uno eodemque anno 359. Ariminensi in Synodo cum fidem Nicaenam firmassent, et Ursacium, Valentem, aliosque, deposuissent, postea ipsorum eorum dolis circumventi, moram etiam in urbe, ubi detinebantur, ferre non valentes, accedentibus quoque Tauri, praefecti urbis, minis et promissis, in formulam, *omisso substantiae*, vel essentiae, vocabulo, consenserunt: quam ipsam Valentinianus Junior a. 386. lege confirmavit quidem in cod. Theodos. l. IV. de *fide*, sed postea revocavit a. 388., l. XV. de *haereticis*, si Gothofredi interpretatio vera sit. Exstat epist. Synodalis apud Athanas. l. c. et Hilarium. in fragment. Vid. etiam Socrat. II: 37. Sozom. IV: 17. et Sulpit. Sever. l. II. Fragmenta quaedam actorum Synodi profert Hieronym. adversus *Luciferianos*. Hac cum formula legati Synodi ad Constantium profecti substiterunt apud *Nicen* Thraciae, et, habito conciliabulo, Ariminensem formulam, Graece versam, sub nomine formulae Nicaenae, ut fucum facerent, publicarunt: exstat apud Theodoret. H. II: 21. Sed, fraude detecta, omnium ludibrio sunt expositi. Sed haec

historia diversimode narratur, Sozom. l. c. Ceterum hu
historiae respectu, dixit l. cit. Hieronymus, *mundum*
miratum, se subito factum Arianum: quod non ita est ca
endum, acsi Patres firmassent in Synodo Ariminensi Ar
nismum, sed quod, vocem *οὐσίας substantiae* in gratiam Ar
norum omittendo, illud de se opinandi occasionem dec
sent, ut ex eodem dialogo haud obscure elucescit. *Sel*
ciae quoque, cui 160 fere Episcopi interfuerunt, li
factio esset Arianorum, duce Acacio Caesareense, qui fid
Nicaenam vellent abolitam, vicit Semi-arianorum numer
duce Georgio Laodiceno, et formula Antiochena, a. 34
cusa, ubi deest vox *homoousios*, confirmata est, Socrat. II:
Sozom. IV: 23. Hilarius, qui interfuit, in lib. contra Co
stantium. Formula vero Ariminensis, sed nova cum adpe
dice, rejectis vocibus substantiae et hypostasios, confirm
est in Synodo CPol. a. 359 et 360. Quae multorum Ep
coporum abdicatione et expulsione famosam se praestitit.

§. CCXXIV. 13. Interea fides Nicaena caput den
erexit in Gallia. Hilario enim reduce Synodus habita
Parisiensis, a. 360. In qua formula Ariminensis, ab ip
quoque qui ei subscripserant, damnata, et Nicaena con
mata est, Saturninus quoque Arelatensis depositus: Hilar
in *fragmentis*. Sed 14. in Synodo Antiochena, a. 361.
Arianis coacta, verus Arianismus est recoctus, decretumqu
Filium esse Patri *παντελῶς ἀνόμοιον καὶ ἐκ τῶν οὐκ ὄντων pl*
dissimilem et ex non existentibus: unde *Anomoei et Exucon*
dicti sunt. Praeterea Meletius, qui proxime praeceden
Synodo Antiochena de sede Sebastena ad Antiochenam e
translatus, ea est dejectus, surrogato Euzoio, Theod
II: 31. et Socrat. IV: 29. Longe aliter 15. res Alexa
driae cecidit, Synodo enim ibi ab Athanasio coacta a. 36
sancitum est, Filium et Spiritum S. esse Patri consubsta
tiales, simul damnatus est Apollinarismus, voces quoq
οὐσίας et *ὑποστάσεως essentiae et substantiae* accuratius, ad li
de iis tollendas, de quo postea, expositae sunt. Vid. pr

ter Athanafium, Socrat. III: 7. Sozom. V: 12. et autor vitae Eufebii Vercellenfis apud Ughellum Ital. S. t. IV. Quod ipfum poftea a. 363. corroboratum eft, cum Jovinianus Inperator expofitionem fidei expeteret, Theodoret. IV: 2. Quo eodem anno Antiochiae ab Arianis eft fancitum, Filium ex *fubftantia* Patris effe genitum, et quoad fubftantiam Patri fimilem, Socrat. III: 25. Sozom. VI: 4., adeo ut fub Joviniano orbis fuerit vifus Orthodoxus.

§. CCXXV. 16. Sed fequente anno 364. in Synodo Lampfacena Semi-arianorum ftatutum eft τὸ ὁμοιούσιον, five, ut Sozom. H. VI: 7., τὸ ὅμοιον καθ' ὀυσίαν *fimile fecundum effentiam*: quod hujus Synodi occafione a multis aliis per Afiam conciliis eo tempore factum eft, miffis quoque ad Occidentales litteris Synodicis, Socrat. IV: 4. et Sozom. l. c. Verum Occidentales in fide Nicaena ftabilienda laborarunt. Quo fini 17. habita eft Synodus Romana a. 372., fub Damafo: a qua *homoouſion* ftabilitum eft, et epift. Synodica miffa ad Illyricianos, quae apud Sozom. VI: 23. exftat, et Theodoret. II: 22. Secuta mox 18. eft Synodus *Illyriciana* eodem anno, quae fidem Nicaenam, feu vocem *confubftantialis*, quam totus Occidens tunc profitebatur, ut Theophan. in Chron. loquitur, confirmavit, Sozom. VI: 22., fcripta etiam ad Orientales epiftola, quam recenfet Theodoret. IV: 8. 9. Deinde 19. celebrata eft a. 374. Synodus Romana tertia fub Damafo, praefente Petro Alexandrino, qua Apollinaris, cum difcipulo Timotheo, damnatus eft, Sozom. VI: 25.; et haud diu poft alia fub eodem Papa a. 378., vel, ut putat Maria Merenda de *geftis Damafi*, in nova operum ejus editione, a. 380. adverfus varios haereticos, et eos factionis Urficini, fcripta quoque epift. ad Antiochenam Synodum de *tribus in una Deitate*, 20. Synodus Antiochena a. 380. celebrata eft poft mortem Bafilii M., qua, praeterquam quod fchifma Antiochenum fit fublatum, libellus fidei confectus eft, quo *homoouſion* confirmatur, et haerefis Apollinar. anathemate percuffa, variis denique legationibus ad

 Orientis

Orientis Ecclesias, ut in fide Catholica firmiter maneant, decretis, Gregor. Nyssen. in vita Macrinae, et de *euntibus Hierosolymam.* Acta vero Synodi ex libello Synodico CP a. 382. apud Theodoret. V: 9. repetenda sunt. Exstat quoque Epist. Synodica ad Italiae et Galliae Episcopos apud Baluzium in collect. nov. conciliorum.

§. CCXXVI. 21. Ann. 381., praeter Synodum CP. oecumenicam, de qua supra egi, habita est *Aquilejensis*, in qua primas tenuit Ambrosius, et Arianorum duces, Palladius, Secundianus, et Attalus proscripti sunt, licet se Arii sectatores non fuerint professi: tantum Arium, quippe sibi ignotum, damnare, et ad quaesita directe respondere, noluerunt, Synodum, quippe ex Occidentalibus tantum compositam, recusantes. Cujus acta, quae Chiffletius ad Vigilium Tapsensem spuria putavit, vindicavit Hermantius in vita Ambrosii l. III. Exstant etiam acta inter Epistolas Ambrosionas ep. VIII. Missis aliis Synodis, uti Caesaraugustana a. 380. in provincia Tarraconensi contra Priscillianistas, Sidense in Pamphylia a. 383. contra Messalianos, seu Euchitas, praeside Amphilochio, Iconii Episcopo, Burdegalensi et Trevirensi contra Priscillianistas, de quibus postea, memoranda 22. est *Mediolanensis tertia*, ab Ambrosio aliisque habita a. 390., partim causa motuum inter Episcopos, qui ab haereticis expulsi, iis rejectis, alios nolebant quam se substitui, Prosper in Chron., et Sulpic. Sever., partim propter Jovinianum, cujus errores censentur damnati. Vid. Epist Synodalis ad Siricium Papam, in tomis conciliorum. Sed num illud hic factum sit, non adeo certum est.

§. CCXXVII. De Synodis, virorum singularium causa habitis, inter quas eminent, quae ad Athanasium et Eustathium spectant, cum supra in vita Athanasii egerim, et postea in historia haereticorum dicturus sim, pergo ad quartam Ecclesiae partem essentialem, seu

VITAM

VITAM ET MORES.

ubi de singularibus Christianorum ordinibus, dein de Christianis in genere, differendum est. Inter eos, qui peculiare, et solitarium, vitae genus sectati sunt, cum praecipuum teneant locum *Monachi*, hoc sec. orti, eorum adcuratior danda est notitia, postquam *originem* eorum, sed re altius repetita, enarravero. Abstinentiam, jejunia, coelibatum, et vitae austeritatem, repetierunt Christiani ab AEgyptiis, unde ad Pythagoraeos, Indos, et Essenos fluxerunt. Vid. Holsten. ad Porphyrium in *vita* Pythagorae, et La Croze in hist. Christian. Indiae l. VI. Principia vero et instituta Philosophica Gentilium, ansam Christianis, qui similes tenuerunt opiniones, praebuerunt, quibus animae felicitas separatione a corpore, rebusque carnalibus, nec non unione cum Deo, per vitam contemplativam, censebatur acquirenda. Cujus generis fuerunt Ascetae, et dein Anachoretae, a quibus proxima est Monachorum origo derivanda.

§. CCXXVIII. *Ascetae*, ἀσκηταὶ, voce aeque ac re a Philosophis, qui virtutis et abstinentiae *exercitationem* adpellarunt ἄσκησιν, ut notum est, sicut Christiani vitam monasticam *philosophiam*, Chrysost. adversus *oppugnatores vitae Monasticae*, lib. I. et alibi, ac alii frequenter, ducta, nuncupati sunt cujuscunque ordinis homines inter Christianos, qui durioribus, ac reliqui, jejuniorum, abstinentiae, aliorumque officiorum, sese adstringebant exercitiis. Quales fuerunt 1. qui a carne, animatis, ac vino abstinebant, non tanquam ab illicitis et pravis, sed propter ἄσκησιν; uti habet can. Apost. 51. et Origen. lib. V. contra Celsum p. 264. 2. In jejuniis diutius et severius versabantur, Irenaeus apud Eus. H. V: 24. Dionys. Alexandr. epist. canon. in Pandectis Beveregii, Epiphan. exp. fid. §. 22. 3. Qui voluntariam sectabantur paupertatem, bonis Ecclesiae, aut pauperibus, distributis; ut exemplum est in Serapione, Antiocheno Episc., et Pierio apud Hieronym. in scriptor. Eccles., et in aliis.

4. Qui conjugio renunciabant, Origen. contra Celf. lib. VII. p. 365. Unde poftea *afcetriae* dictae funt viduae et virgines Ecclefiafticae, uti in novell. 123. Juftiniani. 5. Denique quotquot in religiofo cultu erant adfiduiores, aut erga fe, fuumque corpus, rigidiores: quo fenfu Lucianum Martyrem Pfeudo-Athanafius in *Synopfi Script.* adpellavit, μέγαν ἀσκητὴν *magnum afcetam.* Tales afcetae, qui femper in Ecclefia obtinuerunt, licet Monachis aliquatenus praeluferint, ut facile videre eft, ab iis tamen multum fuerunt diverfi, nec pro Monachis habendi, ut Valefius ad Euf. H. II: 17. et Cotelerius ad Conft. Apoft. VIII: 13. quoque obfervarunt, cum quod afcetae in hominum focietatibus degerint, Monachi vero in cellulis aut monafteriis, a reliquorum focietate fejuncti, tum afcetae nullis regulis ac canonibus fuerint adftricti, fecus ac Monachi, tum aeque Clerici effent ac Laici, fed Monachi omnes Laici, ne dicam, afcetas per omnia fuiffe tempora, fed Monachos hoc demum feculo ortos: de quo mox.

§. CCXXIX. *Anachoretae*, quibus proximam fuam originem debent Monachi, orti primum funt tempore perfecutionis Decianae, quo ad vicinas folitudines, et montes, fefe, tanquam ad tuta perfugia, receperunt multi: quorum aliqui, fedata perfecutione, ibi manferunt, fefe pietati illis in locis majore libertate, et otio, dare operam poffe opinati, Sozom. H. I: 12. Quorum primi fuerunt celebriores Paulus et Antonius, ille *fundator*, hic *illuftrator*, vitae eremiticae habitus ab Hieronymo ep. 22. ad Euftochium, et in vita Pauli. *Paulus*, eximie *Eremita* dictus, diem obiit fupremum a. 342., annos 113. natus: tefte Hieronymo in ejus vita. Ab hoc viro denominata eft *congregatio*, quae ejus inftitutum imitatur, feculo XIII. orta, autore, vel propagatore, Eufebio Strigonienfe. Vid. Bolland. tom. I. fanct. Menf. Jan. in vita Pauli. Quo tempore Paulus in eremum confugit, natus eft *Antonius*, a. 251., Eufeb. in Chron., vixitque annos 105., mortuus a. 356, Hieronym. in Chron.

Cujus

Cujus vitam, satis singularem, conscripsit Athanasius, licet sint, qui eum negant autorem. Vid. Hermant. in vita Athanasii.

§. CCXXX. Licet a Pauli tempore non defuerint, qui, exemplum ejus secuti, vitam in solitudinibus AEgypti degerunt solitariam, nulla tamen hominum societas, nullum monasterium, nullae certae fuerunt regulae, quibus societates sunt adstrictae, ante hoc seculum. Primus vitae Monasticae autor habetur Pachomius, qui, sub finem persecutionis Diocletian., traditur curasse in AEgypto exstrui Monasterium, et vitae Monasticae, ad certas regulas degendae, jecit fundamenta: ut refert autor aequalis *actorum* Pachomii in actis sanctorum Bollandianis Mens. Maji. Contigit illud a. 318., vid. quoque de Pachomio Sozomen. H. III: 14. Secutae dein sunt aliae regiones. In Mesopotamia et Perside monachatus ortus est circa ann. 320., autore Aone, qui Syris dicitur Eugenius, et per excellentiam *Abun*, seu *Pater noster*, cujus discipulus fuit Jacobus Nisibenus. Vid. Asseman. Bibl. Or. vol. IV. In Palaestina primus memoratur Monachus Hilarion, Antonii discipulus, mortuus a. 372. Cujus vitam descripsit Hieronymus. Haud diu post inter Armenios, Paphlagon., et Ponti accolas monachatum introduxit Eustathius, Sebastiae Episcopus, Sozom. I: 14. et propagavit, ac ornavit, Basilius M., regulis praescriptis, quae in Oper. ejus exstant tom. II., eumque habent autorem, ut Benedictini in Praef. probarunt. Eum in Ponto instituisse Monasteria, tradit quoque Socrat. H. IV: 26., et Ruffin. H. II: 9. *Monasterii continentiam, et disciplinam Ecclesiae*, seu *jejunii sobrietatem*, primus in Occidentis Ecclesiis conjunxit *Eusebius* Vercellensis, teste Ambrosio epist. 63. ad Vercellenses. In Italia non nisi post Athanasii adventum a. 340. Monastica coepit vita. Hieronym. ep. 16., epitaphio Marcellae, et alibi, tradit, Romae et in Italia primam ex seniore sexu fuisse Marcellam, et ex viris primum Monachum Pammachium; ad quam vitam promovendam ipse Hieronymus

ronymus quoque multum contulit; ut ex loc. cit. patet. In Galliam invexit Martinus, Turonensis Episc. factus a. 375., Sulp. Sever. in ejus vita. De Monachatus initio in Hispania, vid. Mabillon. Annal. Benedict. l. I.

§. CCXXXI. Monachatu introducto, cum antiquiores Ascetae et Anachoretae adhuc continuarint, tres Monachorum, late dictorum, ordines, vel classes, locum habuerunt. 1. Ascetae, postea Monachi seculares adpellati, licet uxorati fuerint, et propria possederint, in quo ab aliis erant distincti, propter vitam et disciplinam severiorem relati quoque fuerunt ad Monachorum classem. Vid. Athanas. ad Dracontium, et Augustin. in haeres. Apostolicorum. 2. *Anachoretae*, ἀναχωρηταὶ, erant eremitae et solitarii, a reliquorum consortio remoti, sive in σπηλαίοις *cavernis* viverent, ut Monachi montis Casii prope Antiochiam, referente Chrysost. hom. 17. ad Antiochenos, sive in cellulis et parvis tentoriis, οἰκίσκοις adpellat Evagr. H. I: 21. σκηναῖς Chrysost. Quod si plures cellulae essent haud procul dissitae, aut in propinquo, nomine *laurae* insignitae sunt, Evagr. l. c. originem praebente forte vico Alexandriae ejus nominis, Epiphan. haer. 69. ad quem vid. Petavius. Sed vitam solitariam multis refutavit Basil. M. in regulis moral. fusioribus Oper. t. II. 3. Tertium genus erat *Coenobitarum*, qui in commune vivebant, uno inclusi domicilio, et sub uno ductore. Qui alio nomine dicti sunt *Synoditae*, quod ἐν συνόδοις in conventibus communiter viverent, Cod. Theodos. l. XI. tit. de *Appellationibus*, sed AEgyptiis dicti sunt *Seuches*, Hieron. ep. 22. ad Eustochium. Ceterum tria haec genera etiam memoravit Gregor. Nazianz. carm. I. de vita sua, et Orat. XX. in Basilium M. ubi *ascetae* vocantur μιγάδες, quod secularibus negotiis sese inmiscerent, *anachoretae* ἄζυγοι omni jugo soluti et solitarii, *coenobitae* vero inter eos medii, qui nec soli sibi nec nimium aliis, sed et sibi et aliis prospiciebant. Quale vivendi genus maxime urserunt ac promoverunt Basilius M., et Gregor. Nazianz. in Ponto et Cappadocia.

§. CCXXXII.

§. CCXXXII. Quartum quidem adhuc memorat genus Hieronym. l. c. et fuſius deſcribit Caſſianus collat. XVIII, ſed propudioſum, et eo tempore demum ortum, quo, teſte Caſſiano, Monachatus jam in deterius vergere coepit. Inter alia, quibus veniunt, nomina adtentionem illud *Sarabaytarum* meretur, forte a סרב *rebellis*, *contumax*, derivandum, de quo vid. Huetius Origenian. l. II. et Bochart. Hieroz. p. II. l. IV. c. 14. Bini, vel terni, una habitabant, ſed ſuo vivebant arbitratu, erantque apud eos omnia adfectata, *laxae manicae*, *caligae follicantes*, *veſtis craſſior*, *crebra ſuſpiria*, *viſitatio virginum*, *detrectatio Clericorum*, etc., *ſi quando dies feſtus venerit*, *ſaturantur ad vomitum*: erant praeterea inter eos perpetua jurgia.

§. CCXXXIII. *Coenobitae*, ut eorum paulo adcuratiorem dem notitiam, erant, qui, conjugio et poſſeſſionibus renunciantes, propterea *continentes*, et *ἀποταξάμενοι renunciantes* dicti, in commune vivebant, in unum locum concluſi, quare *συνοδῖται Synodytae* adpellati ſunt, ut modo notavi, de quo etiam Muratorius vid. in Anecdot. Gr. Quae loca, praeter nota *μοναστηρίων* et *μονῶν Monaſteriorum et Manſionum* nomina, dicta quoque ſunt *σεμνεῖα*, *ἡγουμενεῖα* et *μάνδραι*, et inde Abbates *Hegumeni et Archimandritae*. Subjecti enim erant Rectoribus, et ſupremis ductoribus, qui Patres, vel Abbates, a Gr. *ἀββᾶς*, ſunt adpellati, quorum erat, penſum Monachorum, ſibi ſubjectorum, dirigere, officia ſpiritualia praeſcribere, ſumma cum poteſtate, praeterea inmorigeros punire, ſive excommunicando ab euchariſtia et ſacris in Eccleſia, ſive flagellando, aut expellendo: Caſſian. collat. II. et Pallad. in hiſtoria Lauſiaca c. 6. Ceterum, etſi in magno hi Patres fuerint honore, ita ut Synodorum aliquando membra fuerint, uti exemplum eſt in CP. a. 448. ſub Flaviano: ſubjecti tamen erant Epiſcopo dioeceſios, una cum reliquis Monachis et toto Monaſterio, nec ulli negotio, ſive Eccleſiaſtico, ſive civili, ſeſe inmiſcere poterant, ut habet canon 4*tus* Chalcedon., et lex 40*ma* Cod. Juſti-

 nian,

nian. l. c. tit. de *Episcopis*. Progressu tamen temporis nonnulla Monasteria, singulari privilegio, exemta sunt Episcopi jurisdictione. Quo jam donatus fuit, seculo sequente, Faustus, Lirinensis Abbas, a concilio Arelatens. a. 455.

§. CCXXXIV. De Monasticae vitae exercitiis, et officiis, antequam distinctius agam, observasse non fuerit a re alienum, vitam eam in Oriente fuisse austeriorem et severiorem, quam in Occidente: cujus ratio etiam poterit repeti a coeli natura, et temperamento corporis, cum in Oriente sint duriora et ficciora corpora, propter majorem calorem. Vid. Sulpic. Sever. in vita Martini dial. I. De austeriore eorum, qui solitarie degunt, vita, vid. Chrysost. homil. in illud, *habentes eundem spiritum*, nec non hom. XIII. in ep. ad Ephes. Pertinet quoque ad austeritatem in Oriente, inter alia, quod ferri libras 50, 80, 100, quin 200 etc., habuerint corpori inpositas. Vid. Theodoretus, vel verus, vel spurius, in Philotheo: ubi et alia multa prostant indicia. Ceterum Monachorum vitam et felicitatem vivis depingit coloribus Chrysost. homil. 68. in Matth., et 14. in 1. ad Timoth., strictim recenset Gregor. Nazianz. Orat. XII. in principio, fusius Ephraem Syr. in *paraenes.* etc. Oper. Gr. t. II. et tom. III. ubi de scopo et institutis vitae Christianae, et in specie Monasticae, luculenter disserit. Cassianus collat. I. c. 8. vitae monasticae, et anachoreticae, finem esse tradit, perfectionem charitatis, et ἀπαθείας, quae nos unit Deo, et *theoria* dicitur, exercitia vero vitae, ejus esse instrumenta et media, non finem, praecipue tria consilia Euangelica, continentiam, paupertatem et obedientiam, quae totidem virtutes secundariae sunt, mercedem adferentes. Monachi, ut quaedam distinctius proferam, 1. non fuerunt hoc tempore otiosi et mendicantes, sed honesto aliquo opere et labore occupati, cum ut se et alios sustentarent, tum libidini et tentationibus locum obstruerent, Socrat. H. IV: 23. Sozom. VI: 28. Hieronym. ep. 4. ad Rusticum, et 77. ad Marcum Celedensem, Theodoret. in Philotheo,

Philotheo, Cassian. l. X. instit. 22. et collat. XXIV. c. 12. Ipse etiam Benedictus sec. VI. in regula sua cap. 48. de eo agit, dicitque, *tunc vere monachos fore, si labore manuum suarum vivant, sicut et Patres nostri et Apostoli*, Vid. etiam Justinian. in novell. 133. 2. Spirituales exercitationes erant jejunia diurna, exceptis diebus Saturni, Dominica, quinquagesima, et aliis festis, usque ad tertiam, *preces* matutinae, vespertinae, et diurnae quoque canonicae horae, *lectiones* et meditationes sacrae. Vid. Cassianus in *collationibus et Institutionibus*, Hieronymus saepe in Epist., Palladius hist. Lausiaca. Preces post coenam exhibet et exponit, qui legi meretur, Chrysost. hom. 55. ad Matth. 3. Coelibatui studebant omnes tacite, sine expresso voto in eum consentientes, Basil. M. ep. canonica: uti et sine voto paupertatem voluntariam exercebant, bonis in pauperes, aut usus sacros, erogatis, adeo ut sine bonis, sine possessionibus, opera manuum victus quaesiverint. Hieronym. ep. 22. ad Eustochium, et in *vita Hilarionis*. Retinebant quidem nonnunquam bona, sed proventus in pios usus inpendebant, Sozom. H. VI. 9. et Pallad. in hist. Lausiaca. Occidentales tamen Monachi minus fuerunt hujus moris observantes: uti ex querelis Hieronymi ep. 4. ad Rusticum, et 2. ad Nepot., Cassiano, ipsis legibus Inperialibus, ad avaritiam eorum compescendam latis, cod. Theodos. l. XVI. tit. *de Episcopis*, satis elucescit. Denique 4. quod ad eorum habitum externum pertinet, tondebatur, sed non radebatur, caput, coma prolixa vetita, et viliore utebantur pallio. Cetera nihil singulare habebant, ab altera parte luxum et fastum, ab altera sorditiem vitantes et superstitionem, Hieronym. ep. 22. ad Eustochium, 23. ad Marcellam, et ad Ezech. cap. 44. Epiphan. haeres. 80. et Salvianus de *gubernatione* l. VIII. Vilem vero et sordidiorem quendam habitum monachalem depingit Paulin. Nolan. ep. 7. ad Severum. De nigra veste vid. Bevereg. ad canon. Trullanos. Habuerunt quoque Monachi Tabennesi in Thebaide, sub regula Pachomii, peculia-

rem habitum, quem deſcripſit Caſſian. l. I. de *habitu M*
nachorum.

§. CCXXXV. Reſtant nonnulla circa vitam Monaſtic
obſervata. 1. Omnes Monachi fuerunt pro *Laicis* habi
quorum ad officia Clericorum nullum erat jus, quaeque, pr
vita Monaſtica et ſolitaria, qualis hoc tempore obtinu
obire non poterant. Nec ante Clementem V*tum* a. 131
mos invaluit, quo omnes Monachi fuerunt Clerici. Vi
Clementin. l. III. tit. 10. Concilium Chalcedon. ſemel
iterum Clericos et Monachos inter ſe diſtinguit. Hieron
mus, presbyter invitus creatus, eo munere ob vitam M
naſticam nunquam defungi voluit: uti ipſe Ep. I. ad *Hel*
dorum, et 50. ad Riparium, diſerte teſtatur. *Clerici*, int
alia inquit, *paſcunt oves*, *ego* (monachus) *paſcor: monach*
non docentis, *ſed plangentis*, *habet officium.* Contingebat t
men, ſi monaſteria longius eſſent a civitate remota, ut al
qui ex monachis ad obeunda Clericorum munera in mona
terio fuerint conſecrati, Sozom. H. II: 23. et Caſſian. co
lat. III. Quod privilegium aliqua quoque habuerunt m
naſteria urbana, Concil. Chalced. can. 6. et Juſtinian. n
vell. 133. Ipſi praeterea Clerici ſubinde vitam aſceticam
et Monaſticae ſimilem, degerunt, adeo ut Epiſcopus et r
liqui Clerici, bonis in commune collatis, in una domo ſim
habitantes, auſterioris devotionis exercitiis fuerint adſtrict
Quam vivendi rationem Euſebius Vercellenſis in Occide
tem induxit, Ambroſ. ep. 63. ad Vercellenſ., Auguſtin
vero inter Clericos Hipponenſes inſtituit, ut ipſe trad
ſerm. 49. *de diverſis*, et Poſſidius in ejus vita c. 25. Un
poſtea *Clerici Regulares* orti ſunt, tempore Gelaſii Papa
inſtituti. Denique ſolebant haud raro ex Monachis aliq
ad Eccleſiae officia transferri; cum Monaſteria fuerint pr
ſeminariis Eccleſiae habita. Vid. Gothofred. ad Cod. Th
odoſ. l. XVI. *tit. de Epiſcopis.* Ceterum Abbates facti Epi
copi rigidius vitae inſtitutum ſaepe retinuerunt, nihil *m*
tati ab Abbate per ſacerdotem, ut de Fauſto Regienſi loqu

tur Sidon. Apollin. l. IX. ep. 3. ubi alia profert exempla Savaro.

§. CCXXXVI. 2. Vota Monastica, quibus ad hoc vitae genus firmiter adligabantur, antea ignota, Clericis suis jam praescripsit Augustinus, sed postea praecipue invaluerunt per Benedictum; nec tunc simpliciter, ut antea, fuerunt stabilitatis vota, sed, inter Benedictinos, paupertatis, continentiae, ac obedientiae, tanquam vitae monasticae insignia, licet non tam ex praecepto regulae Benedicti, quam ejus interpretatione recepta. De quo postea. 3. Opiniones de paupertate et coelibatu, tanquam consiliis euangelicis, non praeceptis, quae observata majus adferunt praemium, quibus postea fuit Monachatus superstructus, invalescere jam hoc sec. coeperunt. De virginitate simile quid jam habet Cyprianus de *habitu virginum.* Virginitas, inquit Hieronym., in Epist. ad Philem., *propterea majore praemio coronatur, quia praeceptum Domini non habet, et ultra inperata se tendit:* qui etiam alibi, ut ep. ad Eustochium, et contra Jovinian., memorat consilia euangelica: vid. etiam de paupertate voluntaria, tanquam consilio, et non praecepto, ad *Heditiam. Hoc continentiae genus,* inquit Lactantius Instit. VI: 23. *quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum* etc. ubi etiam modo dixerat, *quod quidem Deus non ita fieri praecepit, tanquam adstringat (quia generari homines oportet) sed tantum sinat, — — si quis hoc, inquit, facere potuerit, habebit eximiam incomparabilemque mercedem.* Sic et Gregor. Nazianz. Orat. I. in Julianum, et Paulinus Nolanus ep. 2. ad Severum. Ambros. lib. *de viduis* cap. 12. dicit, *eos, qui praeceptum inpleverunt, dicere posse, servi inutiles sumus* etc., addit, *hoc virgo non dicit, non dicit ille, qui bona sua vendidit;* et postea, *adeo praeceptum non datur, consilium datur.* Vid. et Chrysost. hom. VI. de *Poenitentia,* et de *Virginitate* §. 9. etc. Augustinus quoque de *gestis Pelagii* cap. 13. *plus est virginitas,* dicit, *quae non est praecepta, quam conjugalis castitas, quae praecepta est.* Sed Theodoret. haeret. fab. l. V. c. 24.

c. 24. virginitatem quidem nuptiis praeferendam, nec imp
ratam, adserit, nihil tamen habet de merito, tantum m
lestiis et inpedimentis esse liberam pronunciat, et eo sen
consilium, non praeceptum. Confer. etiam quae hab
Gregor. Nazianz. carm. II et III. et Ambrosius in *exhort
tione virginitatis*, ubi majus tamen praemium virginitati a
signat, ut et epist. LXIII. ad Vercellenses. De absolu
obedientia Praepositis praestanda, modo illicita et vetita n
praecipiantur, tanquam parte vitae monasticae, agit Basi
us, vel potius Eustathius Sebastenus *Constitut. Monast.* ca
22. Ceterum, quantopere continentiam et paupertatem v
luntariam extulerint Veteres, cum magnifica elogia, ubiq
apud eos obvia, demonstrant, tum ex eo elucescit, quo
Jovinianum et Vigilantium, quorum ille nuptias non es
virginitati postponendas, respectu meriti, hic idem de b
nis statuit, communiter damnaverint Veteres: de quo pos
ea.

§. CCXXXVII. 4. Excreverunt Monachi jam hoc secul
in magnam multitudinem, ut ex Gregor. Nazianz. Orat.
in Julian. et aliunde constat, adeo etiam, ut, seculo ad f
nem vergente, *quanti populi haberentur in urbibus, tant
pene haberentur in desertis multitudines Monachorum*, secu
dum autorem vitae Apollonii, de AEgypto loquentem. M
nachorum examina per AEgyptum, Mesopotamiam, Pontum
Cappadociam, et Armeniam, memorat Hieronym. ep. XII
ad Paulinum. Nitriae in eodem loco ex. gr. *circiter quinq
millia divisis cellulis habitabant* aliquando, teste eodem i
epist. XXII. ad *Eustochium*. Quo facit, quod Valens Im
perator, ut Prosper in Chron. refert, ex iis ingentem con
scripserit exercitum: qui eos *ignaviae sectatores* nuncupat
qui desertis civitatum muneribus captarent solitudines: contr
quos legem quoque tulit a. 373., quae exstat in cod. d
Decurionibus: ubi vid. Gothofredus. Qua occasione Chry
sost. libros tres scripsit *contra oppugnatores* vitae Monasti
cae; qui supersunt; unde etiam patet, Monachos tunc mu

tum fuisse vexatos. Derivat autem Chrysost. vitae Monasticae necessitatem a corruptione seculi, eamque ad vitae emendationem, ac virtutem exercendam, unice tendere disputat: addit, Monasteria praestitisse scholas eruditionis, et loca piae educationis, iis, qui se eo ad tempus conferebant. Licet eum in finem non fuerint instituta Monasteria, praestabant tamen eum usum, et bonae artes antiquitus in Monasteriis edocebantur, vid. Savaro ad Sidon. Apollin. l. IV. ep. 11. Ceterum, ut id obiter observem, de studiis a Monachis excolendis, nec ne? acriter seculo superiore disputatum est inter Trappe, qui id negavit, et Mabillonium, qui adfirmavit, in Oper. posthumis Mabillon. tom. I. ubi etiam ejus diatriba exstat de *Monasticorum studiorum ratione* etc., lectu digna.

§. CCXXXVIII. 5. Monachi statum suum maximam seculi partem recte tuiti sunt, fueruntque magno in honore, miraculis quoque et donis extraordinariis, ut credebatur, praediti: quare casibus in extraordinariis, uti si vel fides periclitaretur, vel pro reis, ad mortem damnatis, deprecatio esset instituenda, in urbes venerunt, seque iis rebus cum effectu inmiscuerunt. Exstat *prioris* exemplum in Antonio apud Hieronymum ep. 33. ad Castruc., nec non in Aphraate ac Juliano sub Valente apud Theodoret. H. IV: 26., solebat utique in causa fidei plebs passim sequi Monachos, eorum pietatem verita, Sozomen. H. VI: 27. *posterioris* apud eundem l. I: 13. et Chrysost. hom. XVII. ad Antiochenos. Verum circa fin. seculi inceperunt turbulentius agere, in civitates catervatim quoque irrumpendo, et judicia, aliaque negotia, turbando. Quare Theodos. M. eos lege prohibuit extra deserta egredi: quam tamen haud diu post revocavit: Vid. Cod. Theodos. l. VI. tit. 3. et ibi Gothofredus. Praeterea haud levis corruptio invasit virginitatis professionem; quam vivis coloribus depinxit Chrysost. adversus *Canonicas, quae viris cohabitant*, ut et de Sacerdotio lib. III. In specie quoque vestitum nimis splen-

didum et libidinosum in iis reprehendit, ep. II. ad Olympiad. Vitia Monachorum quoque recenset, et deplorat, Ephraem. Syr. *adversus vitiose viventes* Oper. t. I., ut et in Sermon. in Patres defunctos ibid. relaxationem quoque vitae Monasticae in *Serm. ascetico*, Oper. Gr. Lat. tom. I.

§. CCXXXIX. Erant, quemadmodum viri, sic et *Virgines* in Ecclesia, virginitati professione adstrictae, quae partim erant *Ecclesiasticae*, Sozomen. H. VIII: 23., dictae etiam *canonicae*, quod catalogo Ecclesiasticarum essent inscriptae, Socrat. H. I: 17. partim *Moniales*, certis Monasteriis addictae, a superioribus probe distinguendae, cum priores jam Tertulliani et Cypriani aevo fuerunt, quando nulla erant Monasteria, ut ex scriptis eorum patet, nec non Const. Apost. VIII: 13. ubi vid. Cotelerius, sicut et Valesius ad Sozom. l. c. Priores domi versabantur, et vel a parentibus, vel ab Ecclesia alebantur, sed posteriores in Monasteriis, et proprio labore victitabant, ut can. 33. Carthag. III. habet, et Augustinus de *Moribus Ecclesiae* c. 31. Adpellatae sunt hae virgines *Moniales et ascetriae*, etiam *Nonnae*: quod nomen semel usurpavit Hieronymus ep. 22. ad Eustochium, et ad *viduas* extendit, ac cum *castis* confundit. Exstat quidem in hist. Lausiaca Palladii nomen νοννὶς ex editione Meursii, sed ex Frontonis Ducaei γρᾶυς *anus*. Postea seniores et priores inter Monachos etiam *Nonni* adpellati sunt. Benedictus in *regula sua* cap. 63. dicit, *priores juniores suos fratres nominent, juniores vero priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Ceterum hae virgines professione magis, quam voto, proprie dicto, erant perpetuae virginitati adstrictae, ita ut, tempore Cypriani, ei sine censura renunciare postea potuerint, Cyprian. ep. 4. ad Pompon., quod quidem ad majus malum vitandum concessit Cyprianus, sed non videtur probasse. Postea sine censura ipsis non licuit; ut ex canon. Ancyranis, et Basilii epist. canon. nec non c. 104. concilii Carthag. IV. patet. Qui sacras virgines sibi matri-

matrimonio copulabant, excommunicationis sententia feriebantur, secundum Turonens. I. et II. conciliorum canones, sec. seq. Sicut, viduas et virgines promisso esse ligatas, nec licite resilire posse, docet Chrysost. hom. ad Jerem. X. Matrimonium tamen ab ipsis initum, nec hoc, nec sequentibus seculis, fuit pro irrito habitum, Augustin. de *bono viduitatis* c. 10. Virgo etiam, ante annum aetatis *quadragesimum* consecrata, potestate nubendi gavisa est per novellam Leonis, et Majorani, ad calcem Cod. Theodos. Fuerunt autem jam publice consecratae, sed sine manuum inpositione, Const. Apost. VIII: 24., a solo Episcopo, vel et, ejus permissu, a Presbytero, ut habet can. 6. Cod. African. Ante annos viginti quinque aetatis *virgines* non esse consecrandas, statuit canon concilii Carthagin. III. a. 397. sed non ante 40 annos concilium Caesar-augustan. in Hispania a. 380. Quae consecratio in Ecclesia fiebat, et per publicam professionem, ac habitus mutationem, cum *sacer* habitus ei fuit inpositus, cujus pars erat sacrum *velamen*; unde phrasis *velare virginem* pro *consecrare*, Innocentius ep. 2. ad Victric., quod etiam aliqua nota, a communi virginum velo, cujus mentio est apud Tertullian. de *velandis virginibus*, videtur fuisse distinctum. *Flammeum virginale*, etiam *Christi*, adpellat Hieronym. ep. 8. et in Paulae epitaphio. Tonsura vero, quam Eustathius Sebastenus introductam voluit, vetita est a concilio Grangrensi, et lege Theodosii in Cod. Theodos. l. XVI. tit. II. ubi viduis, et in genere foeminis, obtentu professionis, vetatur sub gravi censura. Habita quoque fuit tonsura contumeliosa, Sozom. H. V: 10. Obtinuit tamen in nonnullis Ecclesiis, ut in AEgypti et Syriae monasteriis, teste Hieronymo ep. 48. ad Sabinianum, et Palladio hist. Lausiaca: munditiei, non sanctitatis, tamen causa, et postea, in signum habitus poenitentialis, invaluit. Vid. Benedictini ad Ambrosium, vel verum, vel potius spurium, de *lapsu virginis consecratae*, Oper. t. II. Ceterum virgines illae sacratae maximo fuerunt

in honore: peculiarem habuerunt in Ecclesia locum, Ambros. ad *virginem lapsam;* earum violatio fuit severe prohibita per Leges, Cod. Theodos. l. IX. tit. de *raptu sanctimonialium*, poena quoque capitali a Joviniano statuta, si quis *non rapere* tantum, sed vel *attentare matrimonii jungendi causa sacratas virgines, vel invitas, ausus fuerit.* Caussam legis Sozomenus l. VI. tradit fuisse, quod flagitiosi quidam, principatu Juliani, cum hujusmodi virginibus nuptias contraxerant, et, seu vi, seu persuasione, eas corruperant. Sed poenam Honorius a. 420. mutavit cum *deportatione, publicatis bonis.* Exstat lex ibid. Inmunes quoque erant a plebeja *capitatione*, ibid. l. XIII. tit. de *censu.* Publice quoque a Constantino M. sunt sustentatae, cujus mater eas ad convivium subinde vocavit, iisque ministravit Socrat. H. I: 17. Matronae in ipsis Ecclesiis eas adire et osculari, solebant, Ambros. l. c.

§. CCXL. Status *interni et moralis* respectu, de quo disserendum nunc est, variavit Ecclesiae, si res in genere consideretur, facies hoc seculo. Ante persecutionem Diocletianeam status iste haud parum erat depravatus; vitiis ambitionis, invidiae, odii, aliisque, grassantibus, et Christianis intestinis litibus, tanquam bello, secum decertantibus, se mutuo oppugnantibus, et obtrectantibus, ac dominium in alios adfectantibus. Quae omnia ex diserto Euseb. H. VIII: 1. testimonio constant, simul ex eo firmantur, quod persecutio Diocletianea non tantum, tanquam probatoria, sed et castigatoria, fuerit considerata, teste eodem l. X: 4. Tempore persecutionis licet multi in initio defecerint, alii libellatici ac traditores fuerint, quorum notitiam sec. superiore dedi, ut ex concilio Cirtensi in Numidia, de quo supra, patet: attamen praeclara deinceps fidei et constantiae specimina passim dederunt; ut ex Martyrum historia Eusebii, et actis apud Ruinartum in act. Sincer. Martyr., manifestum est. Vid. et Eus. H. VIII: 9, 14. ac Sulpic. Sever. Ecclesia liberata, et pace non tantum gavisa, sed et de gentilismo

per

per Inperatores Chriſtianos triumphare incipiens, luculenta dedit pietatis, et virtutis, in initio ſpecimina, Euſ. H. X: 3. nec non demonſtr. Euang. l. III. Praepar. Euang. l. I. Athanaſ. de *Incarnat. Verbi.* Per totum quoque ſeculum ardens ſpiravit ſtudium in externis religionis officiis obeundis, in fide contra diſſentientes et haereticos defendenda, uſque ad exilia etiam et mortem, praeterea in bonis condendis legibus Eccleſiaſticis, in diſciplina Eccleſiae ſevere exercenda, Templis, et ſacris reliquiis, ſplendide exornandis, in bonis ſuis ad uſus ſacros dandis; et quae ſunt alia devotionis ſigna. Quae omnia ex ſuperiore tractatione de cultu et regimine ſatis conſtant, et ex hiſtoria haereticorum poſtea confirmabuntur.

§. CCXLI. Interea inficias iri non poteſt, hoc religionis ſtudium cum multiplice ſuperſtitione fuiſſe conjunctum, adeo ut ſeculo hoc omnigenae ſuperſtitionis fundamenta fere jacta fuerint: de quo ex ſupra dictis, de ſanctorum, reliquiarum, crucis, aliarumque rerum, nimio honore et reverentia, de ſacramentorum nimia efficacia credita, ſanctitate quoque aliqua interna Templis adſcripta, de continentiae et paupertatis ſtudio, in Monachatu ac virginitate conſpicuo, dubitari vix poterit. Sed non poſſum, quin alia nonnulla ſuperſtitionis ſigna hic proferam. Multi ſeſe, animo pagano, et principiis gentiliſmi inbuti, Chriſtianiſmo adſociarunt. Unde origo, inter alia, repetenda eſt ſuperſtitionis, quae in Eccleſiam irrepſit. De ipſo Conſtantino M. teſtatur Euſeb. in *ejus vita*, eum, ut religio Chriſtiana commendatior redderetur Gentilibus, exteriora gentiliſmi ornamenta ad eam tranſtuliſſe. De ritibus Satanicis, et paganicis, in auguriis, incantationibus, aliiſque rebus, inter multos Chriſtianos, vid. Anonymus in Jobum lib. III. ad calcem operum Origenis tom. II. qui hujus ſeculi autor eſt, licet Arianus, ut ex lib. I. patet, ubi Trinitatis confeſſionem vocat ſectam et haereſin, nec non Chryſoſt. hom. II. *ad illuminandos*, ubi inter alia memorat, ſi domo egreſſ-

si videant *virginem*, eos dicere, *diem* fore *sterilem*, si *meretricem*, diem fore felicem et quaestuosum: praeterea eos aureos Alexandri M. nummos sibi adligare, tanquam amuleta. Vid. etiam hom. IV. in 1. ad Cor. Multi cum Judaeis festa et jejunia celebrabant, teste Chrysost. Orat. I. contra Judaeos. Vid. etiam comment. ad Ep. ad Galat., ubi etiam de Christianis paganizantibus agit. Memorat quoque et reprehendit Augustin. ep. 55. ad Januar. nonnullos, qui de *paginis euangelicis* sortes legunt, et fraudes in causa religionis committunt, licet bono animo: quod refutat in lib. *contra mendacium*, Oper. tom. VI. Usi autem sunt Christiani multiplice fraude in cultu sanctorum et reliquiarum, ipsius Cacodaemonis testimonio, per obsessos expresso, in veritate firmanda: ut in ipso Ambrosio exemplum est. Vid. Paulinus in vita Ambrosii. Inceperunt quoque fabulae Ecclesiasticae hoc in primis seculo, variis ex fontibus haustae etiam ex prophetiis V. T. male explicitis et adplicitis quae nonnulla fingendi ansam praebuerunt. Sic, quod per Christum, in AEgyptum delatum, narratur, idola AEgypti fuisse in terram delapsa, haustum est ex Jes. XIX: 1. e ex Dagonis historia; de Magis, regibus Arabiae, ex Ps. LXXXII. Alia exempla habet Casaub. ad Baron. exercit. II. Signorum operatio nulla est, nisi apud homoousianos, et alios haereticos, *ficta*, inquit autor *operis inperfecti*, in Matth. hom. XLIX. ad calcem Oper. Chrysostomi tom. VI. De fictis, vel temere creditis, miraculis, ac donis extraordinariis, illud etiam testatur, quod, ea hoc tempore cessasse, ipsi Veteres fateantur. Loca citasse suffecerit, cum moras trahere non liceat. Vid. Chrysostom. de *sacerdotio* l. IV., de *incomprehensibili Dei natura*, de *Resurrectione*, de *Pentecoste*, ubi etiam rationem reddit, quare dona extraordinaria nunc deficiant, quia propter infideles, ut credant, fuerunt data; vid. et hom. l. II. de *inscriptione* Actorum Apost. *Quare nunc non ita fit, ut homines habeant gratiam Dei?* verba sunt autoris commentar. ad Epistolas Pauli, ad calcem

cem Oper. Ambrosii, sive sit, ut putatur, Hilarius Diaconus Romanus, sive alius, utique antiquus, ad 1. ad Cor. XII: 31. *Inter initia fieri oportuit, ut fundamenta fidei acciperent firmitatem, nunc autem nōn opus est, quia populus populum adducit ad fidem, cum videntur eorum bona opera, et praedicatio simplex.* Nulla miracula nunc edi testatur quoque Chrysost. hom. XXIV. in Johann. et VI. in 1. ad Corinth. Alibi quidem miracula Christi dicit et nunc fieri, ad Ps. CIX. sed qualia, exponit ad Ps. CX. *Nulla miracula*, inquit Augustinus de *vera religione* §. 47. *sunt in nostra tempora durare permissa:* sed illud in libris *Retractationum* restringit, et ipse recenset aliqua, de *Civit. Dei* l. XXII. c. 8.

§. CCXLII. Inter superstitiosae devotionis signa hoc seculo jam quoque locum habuit *sacra peregrinatio*, ad loca sancta Hierosol. visitanda: de qua vid. Cl. Wesseling in Differt. praefixa *Itinerario Hierosol.* Alii enim, *baptismi* causa, quem in Jordane putabant sanctiorem et efficaciorem, eo tendebant, Euseb. in Onomast. in voce *Bethabara*, et vit. Const. IV: 62. Alii preces ibi Deo censuerunt esse gratiores, cum quod eas Ps. CXXXII: 7. commendari putaverint, Euseb. vit. Const. III: 42. et Hieronymus ad Marcellam, tum ob reliquias Domini, qui ibi versatus est, et crucifixus, ut crucis inventae, secundum eorum opinionem. Alii, itineris molestias aliquid ad peccata expianda conferre, sibi persuaserunt. Vid. Chrysost. ad Ps. CIX., Theodoret. ad Jos. I. Zach. III. et contra Graecos Serm. X. Paulin. Nolan. ep. 36. ad Macarium. Fuit autem tempore Hieronymi magnus Hierosolymam confluxus, ut ex Paulae et Eustochii ep. ad Marcellam, inter Hieronym. XVII. patet. Ipse Hieronymus ep. XXVII. ad *Eustochium* dicit: *cujus enim gentis homines ad sancta loca non veniunt?* a multis quoque sacrorum praefectis iste mos laudatus est, meritis etiam peregrinantium in coelum sublatis. Fuerunt etiam custodes locorum sanctorum in Palaestina constituti:

cod. Theod. l. XVI. tit. II. ubi vid. Gothofredus. Nec tamen inter Praesules defuerunt, qui eam peregrinationem dissuaserunt, superstitioni utique obviam iverunt; inter quos eminet Gregor. Nyssenus, cujus hac de re superest oratio de *abeuntibus Hierosolymam*; eo notabilior, quod omnia similis superstitionis fundamenta destruat. Praeterea frequentes deinceps factae sunt peregrinationes ad montem Sinai, Gregor. M. l. XI. ep. 1. ubi vid. notae; imo multi in Arabiam tetenderunt, ut viderent fimum Jobi, et terram illam oscularentur. Chrysost. hom. V. ad Antiochen.

§. CCXLIII. Hac sub speciosa devotionis facie, licet non defuerint, qui pietatem et virtutem cum ea conjunxerunt et Clerici et Laici, bene multi, maxime hi, cum in plebe Christiana saepe meliores fuerint ductoribus, teste Chrysost. hom. IV. ad 2. ad Thessal., plures animos, graviorum vitiorum reos, recondiderunt: nec statui potest, Ecclesiam, in genere consideratam, virtutum moralium, justitiae, aequitatis, charitatis, submissionis, et pacis studii respectu floruisse. Utique ambitio, aemulatio, superbia, discordia mutua vexatio, avaritia, luxus, aliaque vitia similia, inundarunt Ecclesiam, et faciem ejus valde deturparunt. De quo legi meretur Wolfius Memorabil. in praefat., et Centur. IV ac V. Rittershusius Lect. S. l. VI. c. 17. Montfalcon. in vita Chrysost. Boehmer. Jur. Canon. in dissertat. praeliminari de *suprema lege Ecclesiae:* ubi observat, veram salutem Ecclesiae, tanquam legem supremam, fuisse hoc seculo cum salute Cleri, seu hierarchiae, commutatam, et duo inprimis vitia grassata, *avaritiae et ambitionis.* Addi potest, duo vitia quasi publice fuisse recepta, fraudes et mendacia pro caussa religionis licere, et errantes supplicio esse coercendos: uti ex supra dictis de censura haereticorum, et superstitione, facile elucescit. Qua de re paulo fusius, et distinctius disseram, postquam generalia Veterum ipsorum testimonia praemisero. *Postquam ad Christianos Princi-*

pes

pes venit Ecclesia, inquit Hieronymus in vita *Malchi*, *potentia quidem et divitiis major*, *sed virtutibus minor*, *facta est.* Theodoret. H. V: 39. *pacem restitutam*, adserit, *Ecclesiae plus nocuisse quam persecutionem.* Isidorus Pelusiota l. II. ep. 246. de suo tempore ait, *Templa quidem omnis generis Marmoribus esse ornata*, *sed Ecclesiam spiritualibus gratiis nudam et vacuam.* Autor operis *Inperfecti* in Matth., sub Chrysostomi nomine, hom. XLIX. corruptissimum fuisse tempus tradit a Constantino M. usque ad Theodosium, ita ut ex sanctitate nosci nequeat Ecclesia, imo, *nunc*, ait, *aut tales*, *aut pejores facti sunt Christiani*, *quales sunt haeretici*, *aut Gentiles.* Quod ipsum agnoscit, et deplorat, loco notabili, Chrysost. hom. X. in 1. ad Timoth., qui addit, Christianismum propterea non fecisse majorem progressum: *nullus esset gentilis*, inter alia inquit, *si nos essemus vere Christiani* etc. *Porro qui docentur*, *doctorum virtutem intuentur*, *et cum videant*, *nos eadem concupiscere*, *eadem quaerere*, *principatum nempe et honorem*, *quo modo Christianismum mirari poterunt? vitam multorum videntes prehensibilem*, *animas terrenas. Pecunias aeque ac illi admiramur*, *imo multo magis* etc. Praeterea hom. VIII. in Ep. ad Roman. fatetur, *multos inveniri gentilibus magis fidentes*, *quam Christianis*, et hom. XXX. in Act. Apost. *multorum in Ecclesia malorum causam esse*, *quod sacerdotes aliter doceant*, *quam vivant:* qui tamen de *sacerdotio* l. III. agnoscit, *plures bonos*, *quam malos esse sacerdotes*, postquam vitia eorum recensuisset. Vid. etiam de corrupto Ecclesiae statu Chrysost. hom. XXXVI. in 1. ad Corinth. XXVI., ad 2. ad Cor., VI. ad ep. ad Ephes., ubi etiam dicit, venales esse principatus Ecclesiae, ut et hom. XXIII. ad Ep. ad Hebr., denique de corruptione hominum in urbibus *contra oppugnatores vitae Monasticae* l. I. Addatur Ephraem. Syr. *paraenesi* VIII., et de Monachorum corruptione Oper. Gr. t. I. in *sermone ad vitiose viventes*, et *in defunctos.* Denique, ne plura congeram, deplorabilem Ecclesiae conditionem a. 383. graphice depinxit,

Epist. Synod. Antiochen. apud Baluz. in nov. collect. concil.

§. CCXLIV. In specie notarunt, et deflerunt, multiplices lites et simultates, partim ex ambitione, partim opinionum et fidei causa ortas, et cum mutuis calumniis, accusationibus, damnationibus, vexationibus variis conjunctas. Qua in re copiosus est Gregor. Nazianz., uti in carmin. de vita sua, Oper. tom. II. p. 25., ubi tanto furore dicit Christianos se invicem petere, tumultuando, factiones faciendo, carpendo lingua effera, praedando, rabida inperandi site eos agitante, ut orbem universum divulserint, non causa pietatis, sed litis ob thronos. Qualia similia ubique recurrunt. In primis id agit in carmine *de se, et adversus Episcopos*, a Tollio inter carmina ejus inedita vulgato, et Oper. ejus carmin. IX et X., ubi sacerdotum inperitiam, pravas artes et mores, perstringit; adpellat quoque eos adulatores, tempori servientes, et hinc inde fluctuantes: dein exclamat, *quam indignos antistites habemus!* Sic in Synodis dicit regnare contentiones, factiones, et dominandi studium, adeoque successu carere: carm. II. Tollii edit. et ep. 55. ad Procopium, Oper. ejus tom. I. *Ego*, sic incipit *hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius concilii finem bonum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam incrementum, habuerit. Pertinaces enim contentiones, et dominandi cupiditates, verbis exprimi nequeunt.* Alibi carm. X. adversus falsos Episcopos, Synodos adpellat *conventus gruum et anserum, ubi rixa, et fera pugna, et prius abscondita probra, quae ferale odium parte ab utraque parit.* Vid. etiam Orat. XIV. ubi, ipsos Orthodoxos secum acerbe et hostiliter dissidere, conqueritur, et ex discordiis ac contentionibus suspicatur, instare Antichristum: addatur Orat. XX., ubi Clerum misere et multipliciter per totum orbem esse divisum docet, Vid. etiam Orat. I. p. 33. et seq., sic et Orat. VII. ad fin., pastores hoc tempore sese stulte gerere, et oves dispergere, tradit. Causas dissidiorum Orat.

Orat. XIV. p. 216. quaerit in *dominandi ardore*, *vel opum cupiditate*, *vel livore*, *vel odio*, *vel ſuperbia*, *vel alio aliquo pravo adfectu*: addit, contentioſos ſeſe fidei velo tegere. Quod etiam omnium temporum experientia confirmat. De miſerabili Eccleſiae ſtatu per lites et diſcordias quoque expoſuit Ephraem. Syr. in Sermon. *contra ſcrutatores*, Oper. Syr. t. III. Privatas Clericorum inimicitias Eccleſiam varie diviſiſſe et turbaſſe, refert quoque Sozom. H. VI: 25. De invidia graſſante teſtatur Chryſoſt. hom. XXVII. in 2. ad Cor., ubi etiam ſimultates memorat, et Eccleſiam cum *cadavere projecto* comparat.

§. CCXLV. Miſerabilem Eccleſiae ſtatum ſimiliter, variis locis, deploravit Baſilius M. reſpectu ambitionis et litium: uti de *Spiritu S.* cap. XXX., ep. 30. ab Euſebium Samoſaten. et 90. ad *Occidentales*: ubi eorum concordiam adhuc laudat, relate ad Orientales, quos cum navigio in medio mari fluctibus agitato confert, reſpicit autem ad Arianos, eorumque dominium in Eccleſia. De quo etiam pluribus agit ep. 92., ubi inter alia dicit, haereſios malum a finibus Illyrici, uſque ad Thebaidem, Eccleſias depaſci. Vitia ſacerdotum etiam ibi fuſe depingit, nec tantum Arianorum, ſed et aliorum, quos privata odia, praetextu zeli veritatis, occultare, et populis diſcordiam inſpirare, tradit. Nihil gravius de miſeranda Eccleſiae conditione dici poteſt, quam ibi profert. Addit, propterea multos ſe in deſerta conferre, et Monachatum amplecti; et omnia per illas diſcordias dilabi. Denique adjungit, illud adhuc miſerabilius eſſe, quod et ea pars, quae ſana videtur, diviſa ſit in ſemet ipſam. Scripta eſt epiſt. a. 372. eſtque hanc in rem lectu digniſſima. Concinunt quae habet in *prooemio Moralium de Judicio Dei*. Vid. quoque Hilarius contra Auxentium, et Chryſoſt. Orat. V. contra Judaeos, Theodoret. etiam H. l. III: 4. ipſas Eccleſias Orthodoxas inter ſe diſſidere refert: et Euſeb. vit. Conſt. M. II: 61. dicit, Epiſcopos tumultum et altercationem inter ſe excitaſſe *divinorum dogma-*

tum obtentu, et levi ex scintilla gravissimum ortum esse
cendium, ipsa plebe discissa: addit, eo factum esse, u
mediis infidelium theatris doctrina Christiana risu ac l
brio fuerit traducta. Vid. etiam Gregor. Nazianz. Ora
p. 34 et 35. et Orat. XIV. p. 118. Constantinus quo
in Orat. ad Synodum ib. l. III: 12. intestinum illud in
clesia bellum declarat omni alio bello esse funestius. Qu
quod Ammian. Marcell. l. XXII: 5. adserat, *nullas infe
hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christi
rum*.

§. CCXLVI. Pompa et magnificentia, sicut in Tem
et sacrorum administrationem, ita in Episcopos, una c
avaritia, irrepsit. Notabilia hanc in rem sunt ejusdem
torici Ammiani verba l. XXVII: 3. quae, narrata Dam
et Ursicini contentione, de Sede Romana, subjungit: *ne
ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hu
rei cupidos, ob inpetrandum quod adpetunt, omni contenti
laterum jurgari debere; cum, id adepti, futuri sint ita seci
ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis
sidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo
eorum convivia regales superent mensas*, etc. Quibus A
tistitum quorundam provincialium frugalitatem oppon
quosque egregio hac parte ornat elogio. Concinunt q
habet Hieronym. ep. 22. ad Eustochium, ubi insatiabile
bendi studium quoque taxat in Episcopis: vid. etiam
2. ad Heliodorum et 2. ad Nepotianum, nec non Gr
Nyssen. ep. ad Letoium, et Epiphan. haer. LXX.,
Audianorum schisma tradit ortum fuisse ex luxu et ava
tia Clericorum. De eorum et continentium avaritia, c
feminarum bona adpetebant, testatur quoque lex Valen
niani, supra citata, in Cod. Theodos. l. XVI. tit. II.

§. CCXLVII. Tumultuosa saepe, et temeraria, ut di
nonnullis exemplis illustrem, et confirmem, fuit Episcopor
electio, sine ulla quoque meritorum ratione, ex sola fact
ne et ambitione, plebe etiam muneribus, aut alio mo

con

concitata, adeo ut ſubinde ad arma fuerit deventum, et multi necati ſint. Multi ſacerdotium nummis rapuerunt, dicit Chryſoſt. de *Virginitate* §. 24. qui de inconſulta eorum electione, tanquam malorum in Eccleſia cauſa, etiam agit in libr. VI. de *Sacerdotio*, et homil. V. in 1. ad Timoth., ut et Gregor. Nazianz. Orat. XX. ubi inter alia dicit p. 335. *non enim virtute magis, quam ſcelere, ſacerdotium paratur, nec digniorum, ſed potentiorum, ſunt throni*: ac Ambroſius de *dignitate ſacerdotii* c. 5. *Foeminae dominabantur in Eccleſiis, et de ſacerdotali gradu favor judicabat foeminarum*, ſecundum Porphyrium, qui id objicit Chriſtianis apud Hieronym. ad Jeſ. III. Seditioſa vero Epiſcopi Caeſareenſis electio, acerrima cum contentione conjuncta, deſcribitur a Gregor. Nazianz., Orat. XIX. CPolitani, dum alii Paulum, alii Macedonium, vellent, ubi ipſe Magiſter militum Hermogenes, a Conſtantio ad tumultum ſedandum miſſus, interiit a. 342. Socrat. H. II: 13. et Sozomen. III: 7. cujus etiam mentionem fecit Libanius in oratione, quae Βασιλικὸς inſcribitur, et Ammian. Marcell. l. XIV. Romae denique, cauſa electi Damaſi. De quo in vita Damaſi. Accedit, Epiſcopos multos fuiſſe ignorantes, vel pigros, et officii negligentes, in fide docenda et vindicanda: in quos directa fuit lex Gratiani in Cod. Theodoſ. l. XVI. tit. II. ubi vid. Gothofredus.

§. CCXLVIII. Factioſa quoque Epiſcoporum et temeraria expulſio, vel fidei, vel ambitionis, cauſa, fuit haud infrequens, unde graves, et diuturni, ſaepe motus orti ſunt. Chryſoſt. l. c. et Socrat. H. I: 24. *Terret exiliis et carceribus Eccleſia*, inquit Hilarius adverſus Auxentium, *credique ſibi cogit* etc., *fugat ſacerdotes* etc. Exempla ſunt oppido multa, imo expulſio ſacerdotum adeo frequens fuit, ut ne numerus iniri queat, teſte Sozomen. H. IV: 27. Singularia ſunt in Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, et Liberio: de quibus ſupra egi. Euſtathius Sebaſtenus depoſitus narratur apud Socrat. H. II: 43. quod veſtem, ſacerdoti

minus convenientem, gestasset. In primis notabile est schisma Antiochenum, causa Eustathii Episcopatu moti, quod per integrum seculum duravit: quod, una cum multiplicibus litibus, graphice depinxit Chrysost. hom. X. in Ep. ad Ephes. Theodoret. H. III: 5. narrat, discidium annos 85 durasse, a depositione Eustathii a. 330. usque ad an. 414., quo Alexander electus est. Eustathius in Synodo Antiochena 250 membrorum, regnante Constantino M. habita, circa ann. 328. vel 330., sede est depulsus, sed quas rationes, varie narratur: ob Helenam, matrem Constantini, minus reverenter ab ipso habitam, dicit Athanas. epist. ad *Solitarios*; ob virginem stupratam, quae in Synodum adducta ipsum accusasset, Theodoret. H. I: 21. Quae accusatio videtur ficta, cum nemo ejus meminerit, et simile quid de Athanasio falso narretur; de quo in vita ejus. Sed Sozomen. H. II: 18. refert, simultates fuisse inter Eusebium Caesareensem, et Eustathium, se mutuo accusantes, dum ille huic Sabellianismum inputaverit, et hic illi innovationem fidei Nicaenae, imo Gentilismum, seu Polytheismum: quod mihi maxime videtur probabile, cum de Sabellianismo, Eustathio inpacto, quoque testetur Georgius Laodicenus, qui tunc vixit, apud Socrat. H. I: 24. et nihil fuerit vulgatius hac accusatione Sabellianismi, Orthodoxis inputati ab Arianis. Eustathio expulso, et post nonnullorum Episcoporum Arianorum successionem, ut Paulini, Eulalii, Euphronii, Placilii, vel Flacilli, et Stephani, sub quo Catholici, se separantes, privatos habuerunt conventus, dicti quoque Eustathiani sunt; Meletius quidem communi Catholicorum et Arianorum consensu electus est a. 360., sed divisionem longe graviorem fecit. Cum enim sese mox Catholicum profiteretur, et Ariani, spe sua delusi, eum expellerent, tres exortae sunt factiones, Arianorum, qui Euzoium fecerunt Episcopum, Meletianorum, qui Meletio adhaeserunt, et Eustathianorum, Paulino adsociatorum: quorum illi, seu Meletiani, in antiqua urbe, et vetere Ecclesia, hi cum

Paulino

Paulino in nova, habebant conventus, Athanas. de *Synodis*, Theodoret. H. II: 31. Sozom. IV: 29. qui Meletium repudiarunt, quod ab Arianis esset ordinatus; sed quem alii ob fidem catholicam adsumserunt. Paulinus autem ibi, opera Luciferi Caralitani, qui ibi exul erat, creatus fuit Episcopus: quod inprobavit Eusebius Vercellensis, qui Alexandriam ad Athanasium, de schismate illo tollendo deliberaturus, se contulerat: quo tempore habita est Synodus Alexandrina, praesente Athanasio a. 362., de qua supra est actum. Pace aliquatenus inter Meletium et Paulinum facta, recruduit schisma post Meletii obitum, electo a factiosis Flaviano a. 381., sed post 17 annos sopitum, opera Acacii et Isidori, Romam missorum, ann. 398. Theodoret. V: 23. tandem exstinctum, distractis Ecclesiae membris corpori Ecclesiae adunatis, tempore Alexandri Episcopi, a. 413. Theodoret. III: 5.

§. CCXLIX. Ambitiosae praeterea contentiones de principatu, et Episcopatuum limitibus, grassatae sunt per Ecclesias quaquaversum; adeo ut seculum hoc possit *ambitionis* adpellari; quod recte advertit Clarckson, et multis exemplis demonstravit, de *primaevo Episcopatu* c. 7. Ruffinus H. XI: 21., prolatis nonnullis exemplis, subjungit, *sed et in multis aliis urbibus Orientis hujusmodi confusiones contentio genuit sacerdotum.* Vid. etiam Chrysostomus ad Matth. XXIII: 6. et hom. 72. ad Matth. Addantur lites inter ipsos Orthodoxos, ut inter Epiphanium et Chrysostomum, et inter illum ac Johannem Hierosolym., nec non inter Caesareensem et Cyrillum Hierosolym., de quibus supra egi. *Ipsas Ecclesias inter se dissidere*, diserte tradit Theodoret. III: 4. Accesserunt faciles et temerariae accusationes haeresium, quibus se mutuo inpugnarunt, Socrat. I: 23. Sic Petrus Alexandrinus Meletium et Eusebium diffamavit, de quo conqueritur Basilius M. ep. 266., ubi turbas illas adeo dicit esse frequentes inter ipsos Orthodoxos, ut nihil ejusmodi inexspectatum accidat. Schisma Meletianum Antio-

 chiae

chiae praecipuam suam debet originem levi controversiae de vocibus ὑπόστασις et *substantia*, per quas alii *subsistentiam*, alii *essentiam*, intellexerunt. Graeci itaque tres in Trinitate dicebant esse ὑποστάσεις *hypostases*, Latini vero unam *substantiam*: quare Graeci a Latinis traducti sunt tanquam Ariani, Latini a Graecis tanquam Sabelliani. Meletius cum Graecis, et Paulinus cum Latinis faciebat, unde schisma ortum est Antiochenum inter Meletianos et Paulinianos. Basilius M. ep. 214. ad *Terentium* comitem, de eo agens, momentum quaestionis in eo ponit, quod, qui unam dicunt hypostasin, ansam Arianis praebeant calumniandi, acsi Catholici Filium statuant ὁμοούσιον *consubstantialem*, quoad subsistentiam personalem, quod Sabellianum erat. Habita deinde Synodo Alexandrina a. 362., cujus supra memini, quaestio tanquam de nomine, fide utriusque partis sana, in lucem protracta est, et lis composita, cum hypostasis *subsistentiam* apud Graecos, et substantia *essentiam* denotet apud Latinos. Vid. Athanas. epist. ad Antioch. Ruffinus H. I. 29. et Gregor. Nazianz. Orat. XXI. in Athanasium. Sed ne sic quidem omnis est sublata discordia Antiochiae, deinceps quoque renovata sub Damaso Papa, vid. Maria Merenda de *gestis Damasi*. Praeterea quantas non concitavit turbas vox ὁμοούσιος *homoousios* inter eos ipsos, qui Orthodoxiam profitebantur, quorum multi hanc vocem, ut incommodam, et non Scripturariam, fugiebant. De quo postea. Possent plura proferri similia: sed postea in historia haereticorum sese sponte sua offerent.

§. CCL. Hisce addantur vexationes mutuae, fidei et opinionum vel causa, vel praetextu, per bonorum proscriptiones, a munere depositiones, exilia, carceres, tormenta, ipsam mortem: de quibus supra egi: denique mira levitas et inconstantia, quae inter Ecclesiasticos regnavit, mox hoc, mox illud, definientes aut damnantes, et Synodos Synodis opponentes; ut ex superioribus constat; ita ut purae fuerint factiones, quae Synodos direxerint. Vid. etiam Basilius

Baſilius M. ep. 244. ad *Patrophilum*. Ex quibus, et quorum ſimilibus, clare eluceſcit, ſeculum hoc, verae devotionis, vitae, et morum reſpectu, fuiſſe minus ſplendidum et felix, imo vero omnis ſuperſtitionis, hierarchiae dominantis, et fraudulentae ac violentae methodi in cauſa fidei et religionis, jacta eſſe fundamenta, adeoque viam ad periodum Antichriſtianam, progreſſu temporis introductam, ſtratam eſſe: quod ex dictis et dicendis clare ſatis eluceſcit. Ipſe Baſilius M., hiſce ad animum revocatis, faſſus eſt epiſt. 139. ad *Alexandrinos*, ſe dubitare, num non *noviſſima hora ſit, et defectio per haec ingrediatur, ut reveletur tandem iniquus ille filius perditionis, qui adverſatur, et effertur adverſus omnem, qui dicitur Deus aut Numen*. Sic et ep. 264. ad *Bardam*, *quae nunc fiunt*, inquit, *exordia ſunt ingreſſus Antichriſti*. Vid. etiam Cyrillus Hieroſol. cat. XV. §. 7 et 9.

PARTES ACCIDENTALES.

HAERESES ET SCHISMATA.

§. CCLI. De quibus antequam diſſeram, verbo non abs re fuerit notaſſe, Orthodoxos hoc ſeculo adpellatos fuiſſe, ſpeciali titulo, *Catholicos*; de quo vid. Gothofred. ad Cod. Theodoſ. l. XVI. tit. VI. Dicta forte Eccleſia eſt *Catholica*, inquit Auguſtin. ep. 93. ad Vincentium, *quod totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullae particulae etiam in diverſis inveniuntur haereſibus:* acutius quam verius. Rectius Cyrill. Hieroſol. catech. Myſtag. XVIII. quia eſt κατά πάσης τῆς οἰκυμένης *per omnem*, vel totum, *orbem habitabilem*; oppoſite ad Donatiſtas, qui verae Eccleſiae characterem, non in *Catholiciſmo*, ut Orthodoxi, ſed in *Sanctitate*, quaerebant, et apud ſe in angulo terrae tantum eſſe jactitabant. Haereſes vero antiquae, ante tempora Conſtantini, res ſuas ſeparatim facile tuitae ſunt, ſed, eo legem dante contra haereticorum conventus, qua privatos, qua publicos, brevi

evanuerunt, exceptis Donatistis, in fide Catholicis; secun dum Sozomen. H. II: 32. Haereses omnes ante hoc seci lum jam fuisse domitas et obsoletas, adserit Gregor. Na: anz. Orat. XXIII., nescio quam vere. Utique haereses a huc viguisse, vel ex legibus Inperatorum, in Cod. The dos. obviis, colligi posse videtur, cum nominatim in . occurrant. Marcionitas tenuisse Salaminem Cypri, temp re adhuc Chrysostomi, ipse refert ep. 221. Haereses h seculo ortae sunt variae, versatae in primis circa vera Filii Dei et Spiritus S. divinitatem, aut personalem su sistentiam, aut veram et perfectam Christi humanitater sed praeter eas et aliae. Quas omnes ordine enarrabo, ii tio ab *Arianismo et Semiarianismo*, quibus Ecclesiae maxir turbatae sunt, facto.

ARIANISMUS.

§. CCLII. Arianismus, cujus dogmata, autores, et fata (dine exhibebo, quoad *dogmata*, unde incipiam, partim Arianorum, partim adversariorum scriptis est petendu sed ex illis rectius et tutius, modo plura eorum scripta manus nostras pervenissent, ex his circumspectius, cum a versariorum dicta subinde perverse interpretati sint, co sequentia cum doctrinis confuderint, nonnulla etiam ex more, aut ex alio principio, iis adfinxerint. Scriptorum Ai norum, quae consulenda sunt, fragmenta praecipue sup sunt. Epistola tantum Arii ad Eusebium Nicomedien exstat apud Epiphanium, haer. LXIX. et Theodoret. I: 5. ad Alexandrum, Episcopum Alexandriae, ibid. a Epiphanium, et Athanasium de Synodis Arimin. et Sel ciensi; *libellus satisfactionis* Constantino oblatus, apud crat. H. I: 26. et Sozomen. II: 27. quem Arium haer archam, et non, quod putat Valesius, juniorem Ari habere autorem, recte advertit Pagi ad Baron. a. 340. cerpta quaedam *Thaliae*, ejus, ut adpellatur, operis, j

cio Athanasii, ad morem Sotadis, turpissimi Cretensis jambographi, (vox θαλεία *convivium* denotat: quo Athanas. Orat. II. in Arian. adludit, ut opus illud prostituat, tanquam inter pocula ad risum captandum decantari solitum) reperiuntur in libro Athanasii, de Synodis *Arimin. et Seleuciensi*, et Orat. I. contra Arianos. Asterii quoque Sophistae quaedam excerpta supersunt apud eundem, in libro *de Synodis*. Ex Eunomii scriptis conservata est ejus ἔκθεσις πίστεως *fidei expositio*, oblata Theodosio a. 383., vulgata, post alios, a Valesio ad Socrat. H. V: 10. et Fabricio Bibl. Gr. vol. VIII., nec non *Apologeticus*, a Basilio M. quinque contra ipsum libris refutatus, vulgatus etiam a Fabricio l. c. Responsio Eunomii, sub titulo ἀπολογία ἀπολογίας *apologia apologiae*, non superest, sed ejus refutatio a Gregorio Nysseno exstat in hujus operibus tom. II. et inde recusa a Benedictinis, in Oper. Basilii tom. I. Eunomii quoque quaedam disputatio cum Orthodoxo reperitur in *Antiquis Lection.* Canisii tom. I. Aetii opusculum 47. capitulorum apud Epiphan. haer. LXXVI. ubi illud refutatur. Acacii Caesareensis *antilogiae* adversus Marcellum insigne fragmentum Idem exhibet haeres. LXXII. Quae vero sub Eusebii nomine contra Sabellium edidit Sirmondus Oper. t. I. non sunt Acacii, ut putat Tillemont. in *Memoriis* Eccles., sed sapiunt Semi-arianismum, et autorem forte, ut Cave in ejus vita jam conjecit, habent Eusebium Emisenum. Superest etiam Fastidiosi Ariani sec. VI. sermo, a Victore missus ad Fulgentium Ruspensem, qui eum refutavit, inter opera Fulgentii in Bibl. M. P. tom. IX. Ceterum Arianorum opiniones summatim repraesentat Athanasius in Epist. ad Episcopos AEgypti et Libyae, Eunomianorum vero recte exposuit Synodus Ancyrana II. a. 358. apud Epiphan. haer. LXXIII.

§. CCLIII. Opiniones Arii et Arianorum, ex his fontibus haustae, fuerunt, ex mea opinione, sequentes. 1. Unum esse verum et summum Deum, solum ingenitum, absolute

 aeternum,

aeternum, et principium omnium: etc. 2. Filium e
κτίσμα, ποίημα, *creatum* a supremo Deo, nec ex natura g
tum, nec ab omni aeternitate, absolute sic dicta, sed vol
tate sola factum, ex nulla re existente, ἐξ οὐκ ὄντων, ur
exucontiani dicti, *ex non existentibus*, ante mundum quid
et tempus, proprie dictum, nec tamen absolute et I
coaeternum: unde illud dictum, ἦν ὅτε οὐκ ἦν *erat, cum*
erat Filius, nec non Pater ante *Filium*, etc. Adeo
3. Filium non esse ipsius essentiae Dei participem, nec
quoad essentiam, similem, sed hoc respectu ἀνόμοιον *dissi*
lem, unde Anomoeorum epitheton ipsis adhaesit, Patre q
que inferiorem, et ei subjectum, nec vere et proprie I
um, sed, qua unigenitum, et respectu rerum creataru
tanquam Creatorem et Dominum, ut Eunomius diserte
apologia, et propter summa dona ac potentiam. Esse i
que 4. distinctas non tantum, sed et diversas οὐσίας esse
as, Patris et Filii. Denique 5. hunc λογον *sermonem* el
et adpellari, a Patris interno λογῳ seu *ratione* diversum,
ab eo creatum. Quem duplicem λόγον sermonem, ext
num et internum, prorsus distinguebant et separabant. V
Epist. Alexandri Episcopi apud Socrat. H. I: 6. et ve
Asterii apud Athanas. contra Arianos. Denique 6. mund
per illum Filium esse conditum, et renovatum etc. U
ὑπουργὸς τελειοτατος *ministrator perfectus*, et Pater δημιουργὸς
premus fabricator, adpellatur ab Eunomio, quod Chrys
ad Ps. VIII. etiam refert, et refutat. 7. Spiritum S.
creaturam Filii, Athanas. Orat. IV. contra Arianos, et Ps
do-Athanas. in disputatione cum Ario in Synodo Nicae
ut et Sirmondi *Praedestinatus* haer. XLIX. Vid. etiam
nomius in *Expositione fidei*. Tandem 8. praecipua Aria
mi fundamenta fuerunt *a.* quod essentia Dei sit ἀγέννη
generationis expers, et incapax, *b.* generatio itaque
θέλησιν, et ἐνέργειαν *voluntatem et operationem* fiat, cum p
prie dicta generatio involvat μερισμὸν *divisionem* et co
municationem, adeoque mutationem, a Dei natura alier

c. om

c. omne effectum sit causa posterius et inferius. *d.* Filius quoque Prov. VIII. tanquam *factus* sistatur, cum ibi Gr. versio habeat ἔκτισέ με *creavit me*, et Act. IV. dicatur, *fecit eum* Christum. *e.* Christus ipse Joh. XIV. dicat, *Pater me major est*, et Paulus 1 Cor. XV. eum esse Patri *subjectum*. *f.* Omnia sint ex Patre, et per Filium 1 Cor. VIII. 9. Denique, si sit inseparabilis et individua Trinitas, statuendum esse, totam Trinitatem esse incarnatam, ac passam. Quod absurdum consequens Fastidiosus in specie ursit. Respondit Fulgentius, unam quidem esse Trinitatis operationem, propter naturae unitatem, sed in personis esse divinitatem secretam, adeo ut caro a Trinitate fuerit facta, sed a Filio solo adsumta. Quae, et quorum similia, ex Eunomio in apologetico, aliisque adversariorum scriptis, satis constant. Vid. etiam Hilarius l. VI. de *Trinitate*.

§. CCLIV. Subjungam quaedam specimina eorum, quae Arianis male sunt inputata. 1. Eos Filio eandem tribuere essentiam, quam reliquae habent creaturae, vulgo, sed male, putatur: quantum enim ipse a Patris essentia, tantum ab ea reliquarum creaturarum, secundum ipsos, distat: imo quantum Creator a creaturis: ut diserte Eunomius in apologia, et Arius in epist. ad Alexandrum. Vid. etiam Hilarius de Trinit. IV: 3, 11. Nec 2. verum est, eos Filium nullo modo Patri similem, et omni parte dissimilem, statuere: dissimile enim ad ὀσίαν *essentiam* restringunt, et potentia ac voluntatis respectu agnoscunt similem esse Patri Filium, tanquam ejus imaginem. Ita Eunomius diserte in *expositione fidei*, et in apolog. §. 24. quod ipsum patet ex iis, quae ex Basilio Ancyrano profert Epiphan. haer. 75. Sic et Acacius apud Epiphan. l. c., a quo Filius saepe adpellatur εἰκὼν ἀπαράλλακτος *imago non dissimilis* Patri. Rejecerunt vero ὁμοούσιον, quia γέννησιν καὶ μερισμὸν ὀσίας *generationem, et divisionem essentiae*, adfert, et ὁμοιούσιον quia ἰσότητα seu *aequalitatem essentiae* involvit. 3. Nec veritati consentaneum est, Arianos Filium adpellari *Deum* statuisse propter ob-

sequium Patri libere praestitum, et ex gratia: titulum
eum Filio competere censuerunt, quia primum et divi
opus est Patris, et potentiam *creatricem* divinam possi
uti diserte Eunomius in *exposit. fidei.* Non *natura*, sed
fitione, esse Filium Dei, secundum Arium, Veteres te
tur. Vid. Touttee ad Cyrill. Hierosf. cat. VII. Tan
aliquos memorat Philostorg. l. X: 3. qui Filium dixe
Deum vocari κατὰ τὴν προγνώσιν *secundum praescientiam*,
te Patris, qua, eum virtute fore praestantem et inmut
lem, praevidit. Sed sensus est dubius. A vero quc
4. abhorret, Filium ab ipsis statui *mutabilem*, qui pec
et deficere potuit. Praeterquam quod diversam a creat
omnibus essentiam ipsi dederint, contrarium diserte do
runt. Arius Filium declaravit ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον *in*
tabilem, in epist. ad Eusebium, et Alexandrum: quod
sum indicat capitulum 17*mum* Aetii, habens, Filium
ἄτρεπτον *propter generantem.* Vid. etiam Gregor. Nazi
Orat. 49. Adtribuit tantum illud Theodosio, Lydiae E
copo, Ariano, Philostorg. H. VIII: 3. 4. Nec illud 5.
miserunt, Filium *in tempore* esse natum; dixerunt *enim*
tempus, adeoque ἀχρόνως *sine tempore*; nec dici passi
ἦν χρόνος, ὅτε οὐκ ἦν ὁ λόγος *erat tempus*, *quum non erat ser*
sed ἦν ὅτε οὐκ ἦν *erat*, *quum non erat*; ut ipse indicat A
nasius Orat. II. in Arianos. Tantum negarunt, Filium
Patri *coaeternum*, nisi quatenus ἐν προγνώσει *in praescie*
Patris fuit, ut adserit Eunomius in Apolog. §. 24. A
quoque in epist. ad Alexandrum Filium dicit ἀχρόνως
tempore esse genitum.

§. CCLV. 6. Nec certum, forte nec verum, est, ipsc
nimam negasse in Christo homine, et divinam ejus natu
statuisse locum animae supplevisse, adeoque eam passibi
fuisse, et passam esse; licet Athanasius, et alii Vete
illud ipsis inputent, ut Gregor. Nazianz. Orat. LI. et T
odoret. ad Ps. XVI. fin. et epist. 145. ac haeret. fab.
xc Marius Mercat. Oper. tom. II. p. 115. qui tamen

lud non ab Ario, sed Arianis, esse profectum dicit. Augustin. vero haer. 49. fatetur, se praeter Epiphanium nosse neminem, qui illud adtribuit Arianis. Nusquam utique tale quid ab ipsis esse dictum adparet; et Eunomius in *exposit. fidei* diserte agnoscit, Filium Dei adsumsisse hominem *ex anima et carne* constantem. Ceterum Ario eam opinionem minus recte tribui, adserit quoque et demonstrat Saligius in *Eutychianismo ante Eutychen* cap. 10. Praeterea, humanam fuisse a Filio Dei adsumtam naturam, ut tegumentum esset divinae naturae, et non, ut corruptam nostram naturam reformaret, inputat Arianis Theodoret. haeret. fab. V: 11. sed quo fundamento, non liquet; cum tale quid nusquam occurrat apud Veteres. 7. De baptismo, Arianis in usu, narrant Veteres, eos in nomen *Creatoris et creaturae* baptizare, ut Athanas. Orat. III. in Arianos, et Epiphan. haer. LXXVI. Quod si de formula, et non tantum de re ipsa intelligatur, falsum quoque est, cum Ariani hac parte nihil mutarint, teste Theodoret. haeret. fab. IV: 2. et Sozomen. H. VI: 26. nec non Augustino contra Donat. III: 85. Ruffinus quoque de *fide* apud Sirmond. Oper. tom. I. diserte dicit, Arianos baptizare *in nomine Patris, Filii et Spiritus S.* Sic et autor *breviarii fidei contra Arianos*, ibid. Tantum narrat Theodor. Lector H. II: 25. Arianum sec. VI. baptizasse *in nomen Patris per Filium in Spiritu S.*: cui Deus miraculo, scilicet! intercessisset: cui concinit Victor Tununens. in init. Plura suppeditat Jablonskius in disput. Academ. de *baptismo Arianorum*. Interea traduntur rebaptizasse Catholicos, et alios, et ab ipsis etiam rebaptizari. Sozomen. H. VI. 26. et Philostorg. X: 4.

§. CCLVI. Arianismo exposito, autor et praecipui propagatores propius sunt cognoscendi. *Arius*, Ἄρειος, ejus autor, unde Ariani adpellati sunt, e Libya oriundus, secundum Epiphan. haer. LXX., primum diaconus sub Petro Praesule, dein presbyter Alexandrinus fuit sub Alexandro, eique in honore. Partibus scilicet Meletii, quibus favebat,

 relictis,

relictis, Diaconus fuit a Petro factus, sed postea; cum Petri acta contra Meletianos inprobaret, ab eo excommunicatus, receptus dein ab Achilla, et Presbyteri gradu ornatus ab Alexandro, Sozomen. H. I: 15. Deinde in haereticam opinionem, occasione postea narranda, delapsus, ipse cum adseclis *bis* ab Alexandro in Synodis Alexandrinis a. 321., dein a. 324. ab Hosio Cordubensi, eo a Constantino M. ad lites componendas misso, tandem a Synodo Nicaena Oecumenica a. 325., de quibus Synodis supra exposui, condemnatus est, simul depositus, et in Illyricum in exilium missus ab Inperatore, Socrat. I: 9. Eum enim vere in exilium fuisse ablegatum contra Baronium demonstravit Valesius, ad Sozom. II: 16. Tribus annis post revocatus est, oblato satisfactionis libello, Socrat. I: 10. Sozomen. l. c. adeoque a. 327. Sed a. 335., libello, cum Euzoio, Inperatori dato, ejus jussu narratur Arius a Synodo Hierosolymitana in communionem receptus, Socrat. I: 26. Sozomen. II: 27. Athanas. de Synodis, et in Apolog. II. adversus Arianos, ubi epistola istius Synodi reperitur. Fueritne iste Arius haeresiarcha, an alius ejus nominis, magnus quoque haeresios promotor, (duos enim fuisse Arios ex Epiphan. haer. LXIX. Socrat. I: 6. Sozom. I: 15. Theodoret. I: 4. ac Sulpic. Sever., de exilio Athanasii loquente, est manifestum) dubium quidem est; sed rationes videntur potiores, quae alium ac haeresiarcham fuisse, qui a Synodo receptus est, demonstrant, 1. enim haeresiarcha jam ante fuit admissus, et revocatus; teste libello Eusebii ac Theognii, quo et illi recipi petunt a. 328. apud Socrat. et Sozom. locis cit., ubi Arii jam admissi fit mentio, Vales. ad Socrat. I: 33. 2. Obiit jam haeresiarcha, superstite adhuc Alexandro CP. Episcopo; de quo mox: qui ante Synodum Hierosolym. jam erat defunctus; ut Valesius observ. Eccles. lib. II. ad calcem Sozomeni demonstravit. Vid. quoque Vales. ad Sozom. II: 29., ubi et alia profert argumenta: ad quae quidem respondet Pagi ad Baron. a. 340., sed minus solide. Loquuntur

tur quidem Athanaſ. et alii de Ario, acſi eſſet haereſiarcha, ſed videntur illi duo inter ſe confuſi.

§. CCLVII. De morte Arii referunt hiſtorici, Socrat., Sozomen., et Theodoret. locis cit., eum, cum ab Euſebianis ad Eccleſiam, ut communionis fieret particeps, triumphabundus duceretur, invito Alexandro, Epiſcopo CP., neceſſitate urgente ſecretum adiiſſe locum, ibique medium crepuiſſe, inſtar Judae proditoris, effuſis inteſtinis, atque ita exſpiraſſe. Quae hiſtoriola originem ſuam debet Athanaſ. epiſt. ad Serapionem, et ad Epiſcopos AEgypti et Libyae Oper. ejus tom. I. Si vera ſit, nihil hinc in Arii praejudicium, cum ſolida ratione, trahi poteſt, quia ſimilia non deſunt ſubitaneae mortis exempla: ſic ex. gr. Anaſtaſius II. Papa ſec. V. fin. traditur apud Platinam in latrinam effudiſſe inteſtina, dum neceſſitati naturae obtemperaret. Longe prudentius eſt Anaſtaſii Sin. ſec. VI., vel quiſquis autor ſit, in *Quaeſtionibus* effatum ad quaeſt. 17. *utrum omnes, qui praecipitantur, aut terra obruuntur, aut ſubmerguntur, ex divina comminatione ac juſſione hoc patiuntur, an ex Maligni operatione?* quo reſpondet, inter alia, *ne dicas ergo, nec curioſe ſcruteris, cum videris aliquem praecipitatum, aut ſuffocatum, cur ſic ſit mortuus?* Quod variis Veterum teſtimoniis et exemplis confirmat, ut et, piis et impiis eadem ſaepe accidere. Sed dubium eſt, ſintne epiſtolae illae Athanaſii genuinae, ut et num duo Arii non fuerint confuſi, denique hiſtoriola non ſit ex rumore nata, aut ex ſubitanea forte morte ficta: utique fabuloſum aliquid ſapit, nec, quae in Ep. ad Serapionem occurrunt, reliquis conſentanea ſunt hiſtoricis. Vid. Valeſ. ad Sozom. II: 29. et Theodoret. in Philotheo c. 1. Fuerunt quoque varia hominum de ſubitanea Arii morte, teſte Sozom. l. c., judicia.

§. CCLVIII. Celeberrimi cum inter Arianiſmi propagatores fuerint Aetius, et Eunomius, peculiarem merentur adtentionem. Confer. Gregor. Nyſſen. contra Eunomium,

l. I. et Philostorg. H. III: 15. et ibi Gothofred. *Aëtius*, Antiochenus Coele-Syriae primum aurifaber fuit, dein, animo ad Philosophica adplicito studia, Antiochiae audivit Paulinum, eoque mortuo inde ejectus ab Eulalio frequentavit Anazarbi Athanasium, et dein Tarsi Antonium, utrumque Lucianistam, quando Antiochiam redux diaconus quidem a Leontio est electus, sed, illud munus suscipere veritus, docendo se occupatum tenuit, postea tamen Alexandriae a Georgio Alexandrino factus est diaconus. Celebris autem esse coepit circa a. 359., quando, apud Constantium accusatus, tanquam Galli, cui gratus erat, conspirationis particeps, in exilium est missus: sed a Juliano Inperatore revocatus Episcopatum nactus est. Tandem, Procopio sub Valente tyrannum agente, in vitae discrimen adductus, Constantinopolin aufugit, et paulo post vita est functus a. 366.

§. CCLIX.. *Eunomius*, ejus discipulus, cujus vitam optime conscripsit Philostorgius, et ipse Eunomianus, qui ipsum oculis usurpavit, patriam habuit Oltiserin, Corniaspae subjectam, et Galatiae proximam, in ejus et Cappadociae finibus, unde Galata dicitur Basilio, ipse Cappadox adpellari maluit. Vid. Cl. Wesseling ad Antonin. Itinerarium. Dacoram vero, Cappadociae urbem, ejus patriam adpellat Philostorgius. Incepit ejus historia ab a. 350. quo sese adplicuit Aetio, seseque ad Arcadii tempora, per annos 45., extendit, ex Philostorgio H. E. praecipue petenda. Aetio junctus ejus discipulus fuit et amanuensis, ταχυγράφος, ab Eudoxio Episcopo creatus diaconus, illud munus suscepit a. 359., sed mox, cum Aetium, Eudoxium, et alios, esse in exilium relegatos, audivisset, et ad Constantium, ut eos revocari curaret, tenderet, in itinere captus a Basilii Ancyrani adseclis, et ipse exul deportatus est in Phrygiam. Sed brevi post restitutus Episcopus creatus est Cyzicenus, ope Eudoxii et Maris, jussu Constantii: quod munus ea suscepit conditione, ut Aetius intra tres menses liberaretur ab

ab exilio: quod tamen non est inpletum, Eudoxio promissis non stante, Theodoret. H. II: 29. Munere cum fungeretur, a Cyzicenis accusatus, quod Filium dixerit ἀνόμοιον *dissimilem*, veteres mutaret ritus, et in dissentientes justo esset severior, sese tam bene apud Eudoxium Episcopum defendit, ut cum honore fuerit dimissus a. 361. Cum vero Eudoxius ab ipso exigeret, ut Aetii condemnationi, et symbolo Ariminensi subscriberet, indignatus, Episcopatu abdicato, secessit in Patriam eodem anno. Rediit dein sub Juliano CPolin, ubi et tunc erat Aetius, ab exilio revocatus, et a Synodo aliqua restitutus ope Eunomii, sed cum ipse et Aetius sibi haberent adversantes Eudoxium CPolitanum, et Euzoium Antiochenum, discesserunt CPoli, Aetius Mitylenem, sed ipse Chalcedonem, in initiis Valentis: ubi agrum, muris proximum, inhabitavit, ac docuit; habitus, licet ad sacrum ministerium non amplius admotus, pro patre et rectore summo ab homodoxis. Deinde apud Valentem accusatus, quod Procopium tyrannum in agro suo occultasset, in Mauritaniam missus est in exilium, sed mox, ope Valentis, Mursae Episcopi, Inperatorem rectius instruentis, restitutus. Cum vero Modestus, praefectus praetorio, male in ipsum esset adfectus, tanquam turbo Ecclesiarum et urbium, relegatus est in Axiam insulam, vel Naxiam, unam Cycladum. Reversus denuo mulctatus est exilio a Theodosio M., sive quod CPoli doceret, libros ederet, et multos faceret discipulos, Socrat. H. V: 20. et Sozomen. VII: 17., sive Theodosius quosdam Eunomianos e cubiculo reperisset, Philost. tradente. Relegatus itaque est Chalcedone, ubi tunc versabatur, Halmyrida Mysiae, ad Istrum a. 384., et inde, urbe a barbaris capta, fugatus est Caesaream, Cappadociae urbem, sed cum, prae civium in ipsum odio, nec ibi degere posset, in proprium agrum Dacorae est translatus, ubi brevi est defunctus, a. 388. Ceterum a peritia, virtute, et eloquentia celebratur a Philostorg. H. X: 6., qui tamen, eum balbum et leprosum fu-

isse, non diffitetur. Sed apud Gregor. Nyssen. contra Eunomium lib. II. statuisse fertur, voluptati corporis non esse resistendum, et sola fide perveniri ad perfectionem, forte quod jejunia et vitam Ascetarum asperiorem inprobaverit, ut ex loco citato haud obscure liquet. De scriptis ejus supra egi.

§. CCLX. De *Origine* et *fatis* Arianismi restat dicendum. Missa disquisitione, fueritne Arius Platonicus, et inde sit ejus opinio derivanda, quod statuit Petavius, negat Cudworthus in System. Intell. c. IV., tanquam minoris momenti, nec hujus loci, verbo notasse contentus, Arium quidem recentiorum Platonicorum inbibisse hypotheses, sed nimium inter ejus et Platonicorum, ne de ipso Platone dicam, de tribus principiis hypotheses esse discrimen, quam ut inde repeti possit origo, quod Ario quoque nusquam fuit objectum: in originem inquiramus litium. Contentionis Arium inter et Alexandrum, Episcopum Alexandrinum, unde motuum primordia peti ab omnibus solent, causam Catholici ab Arii derivant ambitione, qua ejus electionem, et sui repulsam, aegre tulit, Theodoret. H. I: 2. et III: 7. ac haeret. fab. l. VII: c. 1. Sed Ariani testantur, Arium, cum posset Episcopus fieri, ultro cessisse, et Alexandro eam procurasse dignitatem, Alexandrum vero Ario, nimio cum adplausu docenti, invidisse. Philostorg. H. I: 3. Forte uterque in culpa fuit, uti Constantinus in Epistola ad utrumque significat, apud Euseb. vit. Const. II: 66. 67. Socrat. I: 4. et Sozomen. I: 15. et ansam motuum adripuit Arius ex inconditis nonnullis dictionibus de Trinitate, quae ad Sabellianismum videbantur ducere, ut ex Epist. Arii apud Theodoret. H. I: 5. patet. Constantinus in epist. ad Alexandrum et Arium apud Eus. l. c. refert, Alexandrum primum de quodam legis, vel quaestionis, loco interrogasse, Arium vero respondisse, et hinc natam controversiam esse. Sed secundum Sozomen. H. I: 15. contentio primum fuisset orta inter Arium et alios nonnullos de Clero, qui

lites

lites movebant Ario, quod, Filium non ex substantia Patris, sed e nihilo esse creatum, adeoque Patri nec coaeternum, nec aequalem, dixisset, cum ipsi urgerent, Filium esse Patri ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον *consubstantialem et coaeternum;* praeterea, litibus illis ad Alexandrum delatis, et ipse in principio sententiam declinasset dicere, cuique relicta libertate, sed dein, Clero instante, et Synodo coacta, dubius haesisset, cui parti accederet, vicisse tandem Arii adversarios: unde motus exorti sunt.

§. CCLXI. Quicquid de origine litium sit, illud constat, *primam* quaestionem non de aequalitate naturae in Patre et Filio fuisse inter Arium et Alexandrum, sed de generationis modo, sitne Filius ex natura Patris, an ex non existentibus, aut nihilo, productus? unde mox altera est nata de natura Filii, sitne Patris, an creaturae, in ipso? et sic tandem, fueritne Filius semper in, et cum, Patre, an hic illo prior? Socrat. H. I: 5, 6. Theodoret. H. I: 4, 5. Imo Alexander in epist. apud Theodoret. l. c. statuit, Filii naturam esse *medioxumam*, inter Patrem et reliquas creaturas, adeoque de perfecta aequalitate, quae Patri nullam relinquit praerogativam, quaestio inter eos non fuit, sed, num Filius ex Patris essentia, an non entibus, habeat naturam, numque Pater unquam fuerit sine λόγῳ *verbo?* Alexander tenuit, *logon* semper fuisse in Patre, et ex ipsa ejus essentia genitum, et non libera voluntate ex nihilo creatum. Conveniebat inter eos 1. eandem *numero*, ut dicitur, essentiam non esse in Patre et Filio genito. 2. Nec perfectam esse Patris ac Filii aequalitatem, esse enim Patre in eo tantum inferiorem, quod *ingenitus* non est. 3. Filium ante generationem non habuisse personalem et distinctam ὕπαρξιν *subsistentiam.* Censuit vero Alexander λόγον *verbum* coexstitisse Patri modo ingenito, Theodoret. I: 5., quia sermo ejus erat *essentialis*, Socrat. I: 6. denique 4. eam generationem non esse Patri coaeternam absolute. Fuit tantum de *modo* generationis controversia. Alexander dixit, eam esse

rationis Patris emanationem in perfonalem fubfiftentiam. Arius vero, effe liberam productionem novae effentiae et fubftantiae, quae antea non fuerat. Tandem 5. conveniebat quoque inter eos, Filium effe omnibus creaturis, quoad *effentiam*, excellentiorem: tantum noluit Arius Patris in Ipfo agnofcere *effentiam*, ne eam generari, mutari, et dividi neceffe habeat ftatuere.

§. CCLXII. *Alexander, dum haerefi Arianae in angulis latitanti*, inquit O. Bowles in *paftore Euangel.* l. II. c. 2. *publicis ad Ecclefias litteris praemonitoriis praepropere occurrere voluit, quam exftinctam voluit, eam latius diffeminavit.* Opinio utique Arii, licet multis ante Synodum Alexandrinam fefe adprobaverit, poft eam longius fuit diffeminata, et multos concitavit motus, Socrat. I: 6. Sozomen. I: 15. Eufeb. vit. Conft. II: 61. Utraque enim pars, in primis poft alteram Synodum, omnes intendit nervos ad fidem fuam firmandam, et Ecclefiae praefules in partes trahendos. Alexander Epiftolam Synodicam quaquaverfum ad Epifcopos fcripfit, quam Socrat. l. c. recenfet, fed emendatius, una cum Clericorum fubfcriptionibus, Benedictini Oper. Athanaf. t. I. p. 397: quae ad hiftoriam Arianifmi ante Synodum Nicaen. utiliffima eft. Exftat quoque ejus ad Alexandrum CP. apud Theodoret. I: 4. Arius quoque, cum fuis non quiefcens, peragravit primum Palaeftinam, dein Nicomediam petiit, fibique, ope Eufebii, Epifc. Nicomed., conciliavit Conftantiam, fororem Conftantini M., miffis etiam quaquaverfum Epiftolis. Scripferunt in ejus favorem multi ad Alexandrum, petentes et urgentes, ut in communionem reciperetur: inter quos eminuerunt duo Eufebii, Nicomedienfis et Caefareenfis: Synodi quoque, cum Alexander effet obftinatus, coactae funt ad pacem reconciliandam, una Nicomediae, per Eufebium, altera Palaeftinae, per Eufebium Caefareenfem, Paulinum Tyrium, et Patrophilum Scythopolitanum: quarum nomine litterae miffae funt, quibus Arius eft abfolutus et commendatus. Sozomen. I: 15. Ipfe

Conftan-

Constantinus, de his litibus certior factus, ad eas sopiendas Hosium Cordubensem cum litteris ad Alexandrum et Arium misit Alexandriam ann. 324. Quibus litteris, quae apud Euseb. vit. Const. II: 64. et Socrat. I: 17. supersunt, eos ad concordiam valde hortatur, inter alia, quod quaestio sit levis, scholastica, et inutilis, circa quam, cum mutua tolerantia et pace, dissentire liceat, quodque lites admodum noxiae sint Ecclesiae. etc. Quod Constantini judicium de momento quaestionis eo magis adtentionem meretur, quod non temere, sed omnibus adcurate examinatis, ut ipse ait, fuerit formatum.

§. CCLXIII. Quae omnia pacis media cum frustra cecidissent, rixosae lites indies fierent graviores, et totum Orientem occupassent, ita ut omnia tumultu essent repleta, teste Socrate H. I: 6., dum Antistites verbis inter se digladiarentur, populus in duas factiones esset divisus, imo eo res processisset, *ut publice in ipsis theatris derideretur Christiana religio*, vid. etiam Theodoret. H. I: 6. fin. Synodum Nicaenam coactus Inperator fuit convocare; sicut fecit a. 325. Cujus notitiam cum supra dederim, hic paulo adcuratius referam, quid, et qua ratione, respectu hujus controversiae, fuerit actum. Eustathius Sebastenus postquam nomine Synodi adlocutus esset Constantinum, ejusque studium brevi laudasset oratione, Constantinus quoque ipse prolixiorem habuisset de pace, quae exstat apud Euseb. vit. Const. III: 12., qua intestinarum dissensionum noxia recenset effecta, easque omni bello esse graviores dixit, mox ingens orta est inter Synodi membra controversia, cum mutuis accusationibus et defensionibus conjuncta. Eus. ib. c. 13. Primas autem ex Orthodoxis partes egit Athanasius, Sozom. H. I: 17. et Gregor. Nazianz. Orat. XXI., cujus tamen disputatio cum Ario, in operibus ejus prostans, non est genuina, ut supra in vita Athanasii observavi. Post Athanasium sese celebrem quoque praestitit Marcellus Ancyranus, vid. Athanas. in apologia ad Constantium. Interea libellum fidei

obtulerunt Ariani; fed quem, tanquam blafphemiae
difcerpferunt, pio fcilicet zelo jam flagrantes, Or
Theodoret. I: 7. Quare Eufebius Caefareenfis ali
tulit, qui apud Socrat. I: 8. exftat, in quo a Con
et reliquis membris, praeter vocem ὁμοούσιος, nihil :
deratum, tefte Eufebio in Epift. ad Caefareenfes.
libelli non funt confundendi, cum alter fit cont
repudiatus, alter tantum defectuofus declaratus, c
nihil, quod carpi poteft, continet.

§. CCLXIV. Venerunt autem ad vocem ὁμοούσι
tim, et quafi coacte, ab Arianis compulfi. Cum e
fidem fuam charactere diftinguente infignirent, var
et phrafes in medium adtuliffent, ex. g. Filium eff
tre, ejus effe effulgefcentiam, et characterem hyp
imaginem, et in eas haud gravate concederent Ari:
dem, phrafibus Scripturae non contenti, aufi fuei
Scripturariam ὁμοούσιον *confubftantialem* producere,
urgere. Theodoret. I: 8. ex Athanafio. Quae vox
fufcitavit in principio turbas, et paffa eft contrac
gravem, nec ab Arianis tantum, fed et multis ali
quod Scripturaria non effet, et extra Scripturam
incomprehenfibili myfterio loqui periculofum fit,
tum, tum vox illa fit incommoda, quae vel Sabell
fapiat, vel perverfum generationis praebeat intellec
fi effet vel partitio, inftar trium fibularum ex ma
vel eruptio, inftar radiorum ex fole, aut liberoru
rentibus, adeo ut mutationem, divifionemque, effe
volvat. Regefferunt alii, fe effentiae communio
communicationem, tantum hac voce exprimere v
ejus diffimilitudinem effentiae Patris et Filii, ac g
nem ex non exiftentibus, folum removere; neuti
divifionem, aut abfciffionem, aut mutationem effe
tris introducere. Vid. Eufebius apud Theodore
Ceterum Arianos, et alios, vocem cenfuiffe vitand
ter Sabellianos, teftatur quoque Ambrofius de *Fi*

c. 7. qui characterem Catholicismi et Arianismi declarat esse vocem ὀυσίαν, Latinis dictam *substantiam*, et ὁμοούσιον, creditam vel repudiatam, eamque multis defendit, addens, Arianos, excepta hac voce, dicere Catholicis similia, et ea ratione multis simplicioribus inponere. Admissae tandem sunt illae voces, et symbolo insertae, sed post multas altercationes. Refert vero Euseb. in epist. ad Caesareenses suos apud Socrat. I: 8. Constantinum, approbato symbolo suo, inseruisse vocem ὁμοούσιον. Ex quo colligendum foret, vocem autoritate Constantini fuisse confirmatam, et Episcopos per Ipsum permotos, ut in eandem consenserint confessionem. Quod ipsum totidem verbis adserit Euseb. vit. Const. III: 13.

§. CCLXV. Praeter fidei symbolum conditum, anathematismus quidem, non in Arium nominatim, sed in genere in eos est pronunciatus, qui dicunt: *fuit aliquando cum non erat, antequam gigneretur, aut de non existentibus factus est, aut qui ex altera substantia vel essentia dicunt esse Filium Dei, aut creatum, aut conversioni, et mutationi subjectum*, Socrat. I: 8. Theodoret. I: 12. Arium tamen, ejusque socios, hoc anathemate fuisse percussos, ipsa epistola Synodica ad Alexandrinos clare indicat, apud Socrat. I: 6. et Theodoret. I: 9. Subscripserunt, praeter Arium, omnes Episcopi, ipse Eusebius Caesareensis, teste Epistola ejus ad Caesareens. apud Socrat. I: 8. non tantum, sed et Nicomediensis, praeter alios Arii fautores, Sozom. I: 21. Hieronym. contra Luciferianos, exceptis tantum duobus, Secundo Ptolemaidis et Theona Marmaricae Episcopis, ut epistola tradit Synodica. Cum autem Eusebius Nicomediensis, et Theognius Nicaeae, Episcopi, anathematismo recusarent subscribere, quia Ario putabant nonnulla male esse adficta, teste libello supplicationis eorum apud Socrat. I: 14. et Sozomen. II: 16. in exilium sunt missi per aliquam Synodum, jussu Constantini indictam, tribus post Synodum Nicaenam mensibus, cum quod anathematismo subscribere nollent,

tum etiam contra fidem Nicaenam agerent, et Arianis faverent, Theodoret. I: 19. Addunt alii, Nicomediensem fuisse rebus Constantini insidiatum, Socrat. I: 9. Sozomen. I: 21. Sed tribus post annis restituti sunt, Philostorg. II: 7. oblato satisfactionis libello, quo se fidem non tantum Nicaenam, sed et anathematismum, recipere, testati sunt. Exstat libellus apud Socrat. et Sozomen. locis cit., quem nonnulli sine solida ratione pro spurio habent. Ipse quoque Arius, haud diu post, revocatus est; et ad communionem admissus: ut supra in ejus vita narravi.

§. CCLXVI. Tantum tamen abest, ut motus fuerint post Synodum illam, et mortem Arii, repressi, ut longe vehementiores sint facti, Ecclesia in horribilem conjecta confusionem: quae ejusmodi Synodorum, teste historia per omnia secula, fuerunt tristia effecta. Scissa enim mox est Ecclesia in tres capitales factiones, *Orthodoxorum*, qui vocem *homoousion* mordicus tuiti sunt, inde *Homoousiani* dicti, *Eusebianorum*, qui postea *Semiariani* adpellati sunt, et *Homoiousiani*, de voce ὁμοιουσιῳ *Homoiousio*, *et Arianorum* verorum, qui etiam Eunomiani postea dicti sunt ab Eunomio: de quibus ultimis hic tantum agimus: de Semi-arianis postea. Constantinus, qui inutilem et scholasticam esse quaestionem in principio judicaverat, longe aliam post hanc Synodum protulit sententiam, sive ex opinione propria, longe alii facta, sive verius aliorum zelo incitatus. Utique in epist. ad Ecclesiam Alexandr. apud Socrat. I: 9. *divinum*, et Spiritu S. profectum, adpellat Synodi decretum, Arii opinionem ut diabolicam traducit. Praeterea lege lata n[illegible] tantum confirmavit, apud Theodoret. II: 4., sed et A[illegible] libros conquiri ac comburi jussit, poena quoque capitis st[illegible] tuta, si quis eos occultaverit, aut non tradiderit: quod, non ad terrendum solum, sed executioni mandandum, fuer[illegible] additum, nimis fuit ineptum et crudele, haereticos ipse in vita conservare, et librorum occultatores morte punire, denique Arianos voluit in posterum infamiae ergo adpella[illegible]

Porphy-

yrianos, Socrat. l. c. Cujus ratio inde repetitur, quod
yrius Christianam religionem conviciis et scriptis in-
it: quod magis in rem foret, si, quod Veteres tra-
nt, Porphyrius fuisset Christianus apostata, ut Julia-
De quo vid. Siberus in misc. Lips. t. I. et ad cal-
orphyrii de *abstinentia*, edit. Cl. Rhoer. Aliorum
uras de hoc titulo, Arianis dato, mitto. Quanto-
ero Imperator ab hoc studio postea remiserit, vel ex
aret, quod Arium revocaverit; Athanasium damna-
et Eusebium, ac Eusebianos favore fuerit complexus.
quod Hieronymus in Chron. adserat, eum *extremo vi-*
t tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, in Ari-
gma declinasse. Quo multum traditur contulisse Con-
Sozom. H. II: 27. Athanasius tamen ad *Solitarios*,
itinum semper a fide Ariana mansisse alienum tra-
eterum dignitatem et autoritatem, membrorum Sy-
tulit Chrysost. Orat. III. in Judaeos, sed in eo sese
, quod in *persecutione* multum fuerant passi: Sabinus
Macedonianae sectae antesignanus, ut eum adpel-
rat. I: 9. Patres Nicaenos pro rudibus et inperi-
iit, nec aliud regerit Socrat. l. c., quam eos a Spi-
fuisse ductos, ideoque a veritate non potuisse aber-

CLXVII. Ario, sive haeresiarcha, sive alio, de quo
gi, et Euzoio, oblato fidei libello, qui apud Socrat.
et Sozomen. II: 27. exstat, cum Arianis omnibus in
nionem admissis in Synodo ab Eusebianis celebrata
olymae, ad quam urbem Synodus Tyria erat, ob lo-
sacrorum dedicationem, translata a. 335. vid. Epis-
nod. apud Athanas. de Synodis, et in apologia II.
Arianos, et Socrates II: 10. Arianorum, ab Euse-
distinctorum, vix aliqua occurrit mentio ante ann.
Orthodoxos et Arianos per 30 annos secum communi-
et dein fuisse separatos, tradit Theodoret. ep. 112.
nnum vero 357. primum per Aetium, dein Eunomi-

um., genuini Ariani sese rursus ostentare; et ab aliis haereticis, alio adoptato nomine, separare coeperunt, quare illa haeresis recens orta dicitur a Synodo Ancyrana II. a. 358. Sectam publicam peculiarem ad illud usque tempus non constituisse Arianos, tradit Sozomen. II: 32. Aetium vero primum fuisse refert l. IV; 29. post Arium, qui iisdem de Filio †Dei usus est vocibus, dixisse Aetianos Filium esse Patri *similem* secundum divinas scripturas, eas vero docere *omnia esse ex Deo*, cum alii dicant, esse similem κατ᾽ οὐσίαν *secundum essentiam*, alii κατα πάντα *per omnia*. Adpellati autem sunt *Anomoei*, ab opinione de Patris et Filii *dissimili natura*, quo nomine Ariani jam erant insigniti, a secretis conventibus, et cuniculis, quos coacti agebant, *Troglodytae* Theodoret. haeret. fab. IV: 3. Praeterea a ritu eos baptizandi, qui ab aliis sectis ad suam admittebantur, pedibus erectis, et capite demerso, nuncupati fuissent *Histapodes* q. d. *pederecti*, in Theodosii M. constitutione in Cod. Theodos. tit. de *haereticis*, si vera foret conjectura Gothofredi, qua pro *spadones* legit *histapodes* Vid. ad Philostorg. H. IX: 3. Sed Moyne in *variis sacris* p. 999. legit *Cappadoces*, quia Eunomius fuit Cappadox, et illis in regionibus maxime degerunt Eunomiani. Quod si vox *spadones* retinenda sit, cum conjecturae illae sint nimis audaces, vox quoque ἱσταποδες eum sensum non ferat, quem vult Gothofr., eos sic dictos statui potest a Leontio, Episcopo Antiocheno, magistro Aetii, qui sibi virilia exsecuisse narratur, Socrat. II: 26. Athanas. in apolog. de *fuga*; qui propterea ἀπόκοπος ab eodem in *historia Arian. ad Monachos* adpellatur. Memoratur quoque Eudoxius spado Eunomianus, Philostorg. X: 12. ubi etiam c. 6. indicatur, multos in aula eunuchos fuisse Eunomianos: vid. et Socrat. H. II: 2. et Athanas. l. c. ad Monachos, qui propterea Arianismum adpellat *spadonum* haeresin. Dicti quoque ab Euzoio sunt per contemtum in concilio CP. sub Constantio σύνοβοςαι; quod quid nominis sit, dissentiunt Docti: sed, ut aliorum conjecturas

mittam,

mittam, adsentior Valesio, qui legit ἱεραναβάται, ut tales designentur, qui quasi in coelos feruntur, et coelestium praeferunt scientiam: quare etiam μετεωρολέσχαι dicti sunt Philostorg. X: 1. Denique ab autoribus denominati sunt Eudoxiani, ab Eudoxio, primum Antiocheno, dein CP., Episcopo, Aetiani ab Aetio, et Eunomiani ab Eunomio: de quibus modo disserui.

§. CCLXVIII. Inceperunt praecipue publice innotescere Ariani, seu Anomoei, quo tempore Eudoxius factus est Episcopus Antiochenus a. 358., quando concilium Antiochenum Vtum, de quo supra, est habitum, in quo formula Sirmiensis II. adprobata est, rejectis vocibus *homoousii et homoiousii.* Dein Semi-ariani, variis celebratis Synodis, damnarunt Anomoeos, ut ex historia Synodorum, supra tradita, constat: sed ingens in primis fuit inter eos contentio in Synodo Seleuciensi a. 359., et CP., eodem anno, sub Constantio, sed inferiores discesserunt Anomoei, Philostorg. IV: 12. Antesignani eorum ibi erant Aetius, Eunomius, Eudoxius, Euzoius et Acacius Caesareens. In disputatione Aetii cum Basilio Ancyrano, Semi-arianorum principe, caussa quidem cecidisse Basilianos, refert Philostorg., sed cum Aetius et Basilius coram Constantio starent, et rogatus Basilius, quid praecipue in Aetio damnaret, respondisset, quod Filium dixerit Patri ἀνόμοιον *dissimilem*, regessisse fertur Aetius, se id absolute non adserere, imo fateri, Filium esse ἀπαραλλάκτως ὅμοιον. Qua voce offensus Constantius, explicatione nequidem exspectata, mox Aetium damnasse dicitur, et expulisse: lege quoque lata utrumque epitheton ὁμοούσιον et ἑτεροούσιον *ejusdem et alienae substantiae* proscripsit, Theodoret. IV: 3. Ceterum ἀπαράλλακτον dicitur, quod alteri prorsus, sine ulla dissimilitudine, simile est: quam vocem Synodus Antiochena a. 341. in symbolo, ibi cuso, adhibuit. Sed ea Aetii in opinionem non quadrat, quia non absolute, sed restricte tantum, Patri similem statuit Filium, quare Philostorg. quoque eam damnavit, vid. etiam l. VIII: 4.

VIII: 4. qui alibi, l. VI: 1., observat, Eunomium, ἀνόμοιον dicentem, non absolute, sed restricte, et relate ad οὐσίαν *essentiam* intellexisse. Quicquid vero de Aetii confessione sit, illud constat, eum hic esse damnatum, et formulam Ariminensem a. 359. hic esse sancitam; sepositis vocibus *hypostasis et substantiae*. Subscripserunt quoque, quod notatu est dignum, ejus a diaconatu depositioni socii ejus, et *homodoxi*, paucis exceptis, sive sententiam mutaverint, sive tempori cesserint, quales χρονῖται *temporarii* adpellantur Philostorgio.

§. CCLXIX. Post hanc Synodum, qua Aetius est in exilium missus, et Aetiani proscripti sunt, Ariani in partes coeperunt scindi. Aetio loco moto, ob vocem ἀπαράλλακτον, secundum Philostorg., ob libros prava doctrina refertos, ob disputationem blasphemiae plenam, et tumultus ab eo suscitatos, secundum Sozomen. IV: 23. de quo vid. Theodoret. II: 37. ubi Epist. Synodica CP. recensetur; Acacius, qui in iisdem militaverat castris, ab eo defecit, et ad Semiarianismum transiit, licet Basilianos odio haberet, sed ut placeret Constantio, in cujus fervente gratia fuit: cui se socium praebuit Eudoxius, etiam Aetianus, et propterea sedem CP. adeptus, et per quem Eunomius quoque fuit Episcopus Cyzicenus ordinatus, ut in ejus vita narravi. Brevi post confirmatum est schisma inter Eudoxium et Eunomium, ac verus Eunomianismus, ab omnibus reliquis separatus, est introductus. Fuerunt autem causae divisionis eorum: 1. quod promissum, Eunomio de Aetio revocando factum non inpleverit Eudoxius, imo ipsum ad Aetii depositioni ac formulae Ariminensi, subscribendum adigere voluerit. Utique reliqui quoque historici inde schisma repetunt, quod Eudoxius Aetium noluit in communionem recipere. Socrat. IV: 12. Sozomen. VI: 26. Theodoret. II: 29., qui causam a proditione Eudoxii derivat, qua, Constantii metu perculsus, Eunomium deseruit, cum is a Cyzicenis accusaretur. 2. Adcessit, Eudoxium, et Euzoium Antiochenum

viso

visos quidem fuisse favere Aetio et Eunomio, cum Aetius revocatus est, et acta CPolitana contra Aetium abolita sunt in Synodo Antiochena, Aetio quoque CPoli ordinato, et doctrina Eunomii ab Eudoxio palam adprobata, ut in vita Eunomii tradidi: attamen, secum bona fide non agi, perspexisse Aetium et Eunomium: quare se tandem ab iis sejunxerunt, Philostorg. VIII: 2. Quod primum sub Joviano factum est a. 363., quando separatos instituere coetus, novos per varias Ecclesias Episcopos ordinare, coeperunt. Quorum catalogum contexuit Philost. l. c. Ex quo constat, quas regiones jam tum pervaserit Eunomianismus, Lydiam scilicet, et Joniam, Palaestinam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Antiochiam, Libyam et AEgyptum. Praecipue invaluit CP. Philost. l. c. et Theodoret. II: 29. Contra has illegitimas ordinationes habita est Synodus Laodicena ad Lycum a. 363. quae eas rescidit: ut supra habuimus, ubi de Synodis actum est. Quo tempore Hilarius in Oriente fuit versatus, Arianismus late erat diffusus, ita ut decem provinciae Asianae Deum verum, ut ipse loquitur, ignorarint. Vid. Hilarius de Synodis.

§. CCLXX. Confirmatum dein magis magisque est illud schisma, cum Eudoxius et Euzoius non tantum Eunomianos plane missos fecerint, sed insuper maledictis insectati sint; dum eos adpellarunt ἀνόμοιους, de qua voce supra exposui, et λοιμοὺς pestes, Philostorg. IX: 3. Discesserunt dein CPoli Aetius et Eunomius, sub Valente, Ecclesia Eunomiana ibi commissa Florentio. Alia vid. ad eos pertinentia in historia vitae eorum. Sub Theodosio M. primipili eorum fuerunt Johannes Arianus, Euphronius Julianus, Theophilus Indus, et sedes habuerunt per Palaestinam, Lysiam, et Joniam Antiochiae, ac Ciliciam, Philost. IX: 18. CP. dein pulsi sunt a Theodosio, et ubique ipsis vetitum fuit coetus agere, a. 383. 388. Ecclesiis ubique redditis Orthodoxis. Habita etiam est Synodus CP. a. 381. quae omnes illos haereticos condemnavit: de quo supra, sub The-

odosio Juniore, cum CP. rursus conventus agerent, t
Philostorg. XII: 9. leges ab Inperatore contra eos pu
catae sunt, et sub poena deportationis, et domus prosc
tionis, inhibiti sunt conventus, Cod. Theodos. *de Haer
cis*. Denique Synesius, qui Episcopus Ptolemaidis fac
est a. 410., memorat in Epist. 5. ad Presbyteros, latil
Eunomianorum per Ptolemaidem in agris et domibus, q
inquiri et eliminari vult, sed ex pio zelo, et non ex lu
cupiditate, bonis eorum occupatis, quales lucripetas e
cratur. Theodoret. vero, haeret. fab. IV: 3. testatur,
omnibus fuisse suo tempore odio, et paucos numero,
nonnullis in urbibus adhuc superererant, et latere conabant
In Africa nullos fuisse tradit Augustin. serm. 46. ad Scri
S. Eunomianos et Arianos mutuis dissidiis, et variis sect
in quas divisi fuerunt, interiisse, observat Sozomen. V
17. et VIII: 1. Cum vero Ariani eandem ubique sort
subierint, de iis in specie dixisse nihil adtinet. Sub T
odosio M., aeque ac Eunominiani, urbe pulsi sunt, et i
memorantur Episcopi celebriores sedibus ejecti: Demop
lus CP., Hypatius Nicaenus, et Dorotheus Antiocher
Singulare est, quod Flavien, seu Blondellus, in tractatu C
lico, de *libertate conscientiae*, ad calcem libri, *acta auth
tica Ecclesiarum* Reformatarum, observat, Arianos ab a. 3
ad 526. in libertate religionis non fuisse turbatos per E
copos Romanos.

§. CCLXXI. Praecipua capita dissensionis Arianorum
Eunomianorum, quae verbo adtingam, haec memoran
1. Dei incomprehensibilitatem non hominum tantum,
ipsius Filii Dei, respectu, adseruit Arius, Philostorg. II:
X: 2. sed Aetianis ac Eunomianis inputatur, quod, De
omni parte cognosci posse statuerint, ita ut Aetius jact
dicatur, se Deum, aeque ac se ipsum, nosse, imo ac D
se ipsum novit. Vid. Aetii verba apud Epiphan. haer.
et Eunomii apud Socrat. IV: 7. Vid. et Basil. M. con
Eunom. l. I. Theodoret. haeret. fab. IV: 3. Chrysost. c

tra Anomoeos homil. II. ubi vanam hanc opinionem multis refutat. Sed sitne haec accusatio vera, et, si quid veri habeat, quo sensu id dixerint, non adeo liquidum est. Utique Anomoeus in dialog. I. Theodoreti contra eos, Deum perfecte cognoscere, et eum tanquam ἀγέννητον *ingenitum* cognoscere, confundit, et insanum eum errorem Eunomio addictum esse, adseruit Vasquez p. I. disput. 37. et agnoscit Saligius de Eutychianismo ante Eutychen. c. 11. 2. De Ario tradit Philostorg. X: 2., quodque ipse, tanquam Eunomianus, carpit, Deum ab ipso statui πολυμερῆ καὶ πολυσύνθετον *ex multis partibus compositum*, forte quod non totus possit comprehendi, sed secundum cujusque potentiam, ex opinione Arianorum, praeterea Deum neque ὑπόστασιν *hypostasin*, neque οὐσίαν *essentiam* esse, Quod in Synodo CP. a. 359. etiam est definitum, de quo supra, ubi de Synodis. 3. Ordinationes Arianorum rejecerunt Eunomiani, tanquam illegitimas, quod sacerdotia apud eos censita fuerint venalia: uti Philost. l. c. testatur, et ante ipsum Athanas. in historia Arianorum ad Monachos, init., ipsis inputavit. 4. Baptismum Arianorum repudiarunt, eosque aeque ac Catholicos rebaptizarunt Eunomiani, cum quod *trina*, Eunomiani *una*, uterentur mersione, tum in Trinitatem tingerent, sed in mortem Domini Eunomiani, Philost. l. c. et Sozomen. VI: 26. VII: 17. Theodoret. l. c. Addit Epiphanius, haeres. Anomoeorum, eos baptizare pedibus erectis, et capite demerso. 5. Singulare est, quod Ambros. de *Officiis* l. I. c. 25. Marcioni adjungat Eunomium, *tanquam qui malint Deum malum habere, quam bonum.* Quod Benedictini in *notis* ex Theodoret. haeret. fab. l. IV. illustrant, ubi Eunomiani traduntur baptizasse usque ad pectus, reliquis partibus, tanquam exsecrandis, aquam adhibere prohibentes; unde colligunt, eos inferiores corporis partes principio malo adscripsisse. Quae minus legitima est conclusio, nec certum est, eos reliquas corporis partes non baptizasse, tanquam exsecrandas, ut Theodoret. tradit. Videtur mihi Theodoret. in

in oculis habuisse modum baptizandi, quem Epiphan. iis tribuit, et inde illud collegisse. Voces vero apud Ambrosium *atque Eunomius* mihi videntur loco motae, et Ariano, paulo ante memorato, adjungendae, nisi quis eum memoriae vitio fuisse lapsum malit. In Eunomium profecto illud non quadrat, nec ullus alius ei inputavit. 6. Denique Anomoei invidiose admodum taxantur a Basilio M. ad Jes. X. tanquam scelerum patroni, et a Sozomen. VI: 26., acsi quis sese iis commendaverit, non tam vitae probitate, quam peritia in arte Syllogistica.

SEMI-ARIANISMUS.

§. CCLXXII. Semi-arianorum nomine primum insigniti fuerunt, qui, in fide de Filio sani, vel cum Arianis non facientes, Spiritum S. pro creatura habuerunt, et in eo tantum Arianis consenserunt, quemadmodum ex canone primo CP. concilii Oecumenici a. 381., ubi illud nomen primum innotuit, constat; cui Augustinus haeres. 52. consentit. Deinde, cum Macedonius CP., unde Macedoniani et pneumatomachi, de quibus postea, orti sunt, in fide de Filio esset homoiousiasta, eaque opinio censeretur medium tenere inter Orthodoxos et Arianos, nomen *Semi-arianorum* omnibus est datum, qui Filium Patri dixerunt ὅμοιον κατ' οὐσίαν *similem secundum essentiam*, et ὁμοούσιον aeque ac ἀνόμοιον repudiarunt: quo nomine eos forte primus notavit Epiphanius, haer. 73., uti Augustinus quoque haer. 51. indicat. Antea, qui symbolo Nicaeno per omnia non accedebant, communi, vel Eusebianorum, vel Arianorum, saepe nomine venerunt: imo et illi, qui moderationi studebant, aut vocem ὁμοούσιον vel minus aptam, vel paci offerendam esse, censebant, generali hoc nomine saepe insigniti sunt. Unde varia de multorum Praesulum fide orta sunt judicia. Sic, ne de Eusebio Caesareense, supra in ejus vita dicta, repetam, Dianius, Eusebii in illa sede successor, qui Syno-

do

do Antiochenae a. 341. fubfcripfit, et pro Semi-ariano habetur, ad communionem admiffus eft, tanquam Orthodoxus, a Bafilio M., ut ex ejus epift. 51. patet. Quod idem fecit Gregorius, pater Gregorii Nazianzeni, fub Juliano, pacis caufa: ut ex hujus Orat. XIX. liquet. Cum Meletio communicavit Bafilius M., fed non Athanafius, fic et cum Euftathio alii communionem exercuerunt, alii non. Ipfe Athanafius, eos, qui, voce *homoouſii* repudiata, Patris tamen effentiam in Filio agnofcebant, pro fratribus effe habendos ftatuit in libro de *Synodis*, *cum quibus*, inquit, *nobis eadem eſt ſententia*, *controverſia autem de verbis*, p. 915., quos deinceps dicit, non longe abeffe a recipienda voce ὁμοούσιος *conſubſtantialis*. Primam Meletii orationem Antiochiae, quae exftat apud Epiphan. haeref. 73., et purum putum Semi-arianifmum redolet, tanquam fanam et Orthodoxam laudat Theodoret. H. II: 31. Sic et de confeffionibus Semi-arianorum diverfe judicarunt Veteres, quorum alii eas pro Orthodoxis, alii pro Arianis habuerunt. Orientalium, feu Semi-arianorum, confeffiones recenfet Hilarius *de Synodis*, eafque rectae fidei effe confentaneas, vel faltem catholicam explicationem admittere, demonftrat: exponit quoque recte dici poffe ὁμοιούσιον, et ab abufu liberat τὸ ὁμοιούσιον. Cyrillus Hierofolym. vocem *homoouſion* quoque ftudiofe vitavit, una cum aliis vocibus fimilibus, imo homoouſiaftas habet Sabellianifmi fufpectos; quare Semi-arianis fuit a nonnullis accenfitus, fed poftea recepit Athanafii communionem, et vocem ὁμοούσιος adhibuit in Epiftola ad Conftantium, fi genuina fit lectio. Defendit quoque eum Toutteus, et ab omni haerefi liberat, ut in ejus vita tradidi. Toutteji vindicias contra autores *Memoriarum Trivultinarum* egit Prudentius Maranus in Differt. de Semi-arianis, recufa in Bibl. Haerefiol. Vogti tom. II. In qua, Semiarianos re ipfa non diffenfiffe a Catholicis, tantum a nomine ὁμοούσιου abftinuiffe, contendit. Quae opinio multum quidem veri habet, nec tamen omne. Vid. Montfaleon. in praef. tom.

tom. VIII. Chrysostomi. Orientales, post Synodum Sa
censem ab Occidentalibus palam divisos, et a fide Ni
na discrepantes, eandem tamen re vera tenuisse fidem,
serit Sozomen. III: 13. ubi etiam diversas, quibus ho
nes moventur, rationes non male exhibet. Alio quo
loco l. IV: 19. Orientales, paucis exceptis, omnes voc
οὐσίας *essentiae* retinuisse, tantum circa ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον
sensisse, tradit. Fuisse quoque maximam partem logo
chiam, colligi potest ex dialog. III. contra Macedonian
qui Theodoreto tribuitur, nec non ex dialogo V.: u
patet, eos ὁμοιούσιον maluisse, quia ὁμοούσιον putabant corpo
tantum competere naturis, et praesupponere essentiam,
te existentem, quam communem habent ὁμοούσιοι *consubst
tiales.*

§. CCLXXIII. Sed, orthodoxorum, seu homoousianon
et Semi-arianorum, seu homoiousianorum, discrepant
in clariore collocasse luce, operae pretium fuerit, ut
quaestionis momento rectius judicari queat. Quo fini p
mittam genuina monumenta Semi-arianorum, quae su
sunt, ex quibus eorum opiniones sunt eruendae. Ex
apud Epiphanium haeres. 73. duae Epistolae Synodi An
ranae a. 358., altera a Basilio Ancyrano, altera ab ipso,
Georgio Laodiceno, aliisque, profecta, §. 12. 22. quam
Epiphanii fide passim habent, sed recte distinxit Pet
us in not. ad. l. c. praeterea fidei confessio, unde omn
optime eorum opiniones petuntur. Consulendae praet
sunt Epistolae Eusebiorum, Nicomediensis apud Theodo
I: 6. Caesareensis ib. 12., nec non variae fidei formul
quae, diversis in Synodis cusae, tribuuntur Semi-aria
Antiochiae a. 341. quatuor sunt formatae, quae reperi
tur apud Athanas. de *Synodis*, Socrat. H. II: 10, 18. T
bus, vel quatuor, annis post confecta est ibidem a. 3
celebris illa μακρόστιχος dicta, a prolixitate, apud Atha
ibid. et Socrat. II: 19. Sexta edita est a. 351. in Syn
Sirmiens. I. contra Photinum, apud Athanas. ibid. et Soc

II:

II: 20. et Sozomen. IV: 6. Septima in Synodo Sirmienſ. a. 359. apud Athanaſ. ibid. et Socrat. II: 37. Conferenda quoque eſt confeſſio Auxentii Mediolanenſis apud Hilarium de Synodis.

§. CCLXXIV. Denique, quod hic obſervo, adnumerandus quoque Semi-arianis eſt, et conſulendus, autor *operis Inperfect. in Matthaeum*, quod Chryſoſtomi nomen praefert, et Oper. ejus tom. VI. ad calcem novae editionis reperitur. Autor fuit pietatis et virtutis ſtudioſus, et corruptionis ſui temporis cenſor acerrimus, ſimul haereticorum, quibus Homoouſiani accenſentur, adverſarius, ſed praecipue in Photinianos ab uno, et in eos, ab altera parte, invehitur, qui ſtatuunt, vel Perſonarum divinarum perfectam aequalitatem, per quam ne Patri quidem principii relinquitur praerogativa, et tria introducuntur principia, vel unam admittunt perſonam, vel nimis craſſam Filii ex Patre generationem, uti ex ipſa Patris ſubſtantia. Ipſe vero divinitatem Filii ubique praedicat, per omnia Patri ſimilem, natum ſemper, nunquam creatum, dicit Filium, ſalvo tamen principio nativitatis. Vixit autor paulo poſt tempora Theodoſii M. Vid. Montſalcon. in monito praemiſſo. Cenſet quidem Millius in Prolegom. N. T., eum ad medium ſec. X. eſſe detrudendum, ſed ſubleſto nixus fundamento, quia hom. 52. tantum dicit a Chriſto exaltato fluxiſſe temporis ſpatium, quantum fuit vitae hominis ante diluvium: locus enim in mendo cubat, et legi debet *poſt* diluvium; quando paſſim 400 annos vixerunt mortales.

§. CCLXXV. Hiſce ex fontibus ſi hypotheſes Semi-arianorum hauriantur, eas medium inter rigidos Homoouſiaſtas et Heterooouſiaſtas, ſeu Anomoeos, tenuiſſe, ac duo extrema vitaſſe, manifeſte adparebit. In Arianis culparunt, quod Filium abſolute dixerint κτίσμα καὶ ποίημα *creatum et actum*, quippe quo in claſſem reliquarum creaturarum relegi cenſeatur, creatum praeterea ἐξ οὐκ ὄντων *ex non exiſtentibus*, quia hoc nec Scripturarium eſt, nec Filium a crea-

turis reliquis satis distinguit, quodque dixerint, *fuisse cum non esset*, quia ante omnia secula ac tempora exstitit, denique Filium esse ἑτερούσιον, et ἀνόμοιον κατ' οὐσίαν *alterius essentiae*, *et dissimilem secundum essentiam*, similem tantum secundum *operationem:* quia est verus Deus, eique quoad essentiam, aeque ac operationem, potentiam, et consilium similis. In Orthodoxis, seu Homoousianis reprehenderunt, 1. quod Filium dicant ὁμοούσιον *consubstantialem*, ἐκ τῆς οὐσίας *ex essentia* Patris natum; quia nec Scripturarium est, nec Spirituali et inmutabili Dei naturae convenit, cum illae voces *divisionem*, *partitionem*, et mutationem essentiae requirant. 2. Quod eandem numero et perfecte tribuant essentiam Patri et Filio; quia illud ad ταυτότητα *identitatem* ducit, ac Sabellianismum, et verae Patris ac Filii distinctae adversatur substantiae. 3. Denique, quod Filium statuant a Patre, necessitate naturae genitum, cum de Patre habeatur Prov. VIII. ἔκτισε, ἐθεμελίωσεν αὐτὸν *condidit*, *fundavit ipsum*, et ipse βουλήσει καὶ θελήσει voluntate et consilio sit genitus, quod ideo tantum dixerunt, ut necessitatem removerent physicam, et involuntariam, ac coactivam esse generationem negarent; uti inter alia ex confessione Sirmiensi liquet apud Athanasium de *Synodis*.

§. CCLXXVI. Haec duo extrema, seu ταυτὸν *unum idemque*, et ἑτερούσιον καὶ ἀνόμοιον *alienam essentiam ac dissimilitudinem*, studiose vitantes, statuerunt, Filium 1. esse ex Deo natum, perfectum ex perfecto, 2. per voluntatem Dei Patris, 3. ante omnia secula, 4. distinctam ab eo accepisse substantiam et essentiam, 5. Patri similem quoad ipsam essentiam, ita ut verus Deus sit, omnibus creaturis superior, omniscius, omnipotens, et reliquis attributis communicabilibus divinis praeditus: adeoque οὐσίας τε καὶ βουλῆς καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης *essentiae et consilii*, *ac potentiae et gloriae Patris* ἀπαράλλακτον εἰκόνα *nulla parte dissimilem imaginem* esse, 6. nec tamen ita, ut *eandem* perfecte possideat essentiam, sed, quemadmodum Christus dicitur homini similis, et in

similitudine

ſimilitudine carnis peccati, quia veram habet naturam humanam, ſed ſine peccaminoſa hominis infirmitate, et nativitate ordinaria humana, quippe ex virgine: ita Filium volunt Deo eſſe ſimilem, quia adtributa, vere divina, adeoque eo ſenſu eſſentiam divinam participat; abſque tamen ut omnia, quae eſſentiae divinae ſupremae inſunt, poſſideat, uti *a ſe*, *ingenitum*, et independentem eſſe etc. Adeoque 7. Patri non eſſe *exaequandum* Filium, et *coordinandum*, ſed ſubordinandum. Non *συντάσσομεν*, inquiunt in Synodo Sirmienſ. I. *coordinamus* Filium Patri, ſed *ὑποτεταγμένον* *ſubordinatum* credimus, et per conſequens *ἓν* *unam* eſſe *Θεότητος ἀξίωμα* *divinitatis excellentiam*, et *μιαν σύμφωνιαν ἀκριβῆ* *unam harmoniam exactam*, ſive, ut alias, *τῇ μὲν ὑποσάσει τρια, τῇ δε συμφωνιᾳ ἓν* *hypoſtaſi tres*, *harmonia vero unum*; ſingulis competere ſuam *ὑποσάσιν, τάξιν και δόξαν* *hypoſtaſin*, *ordinem*, *et gloriam*. Ceterum cum haec omnia in *ὁμοιότητα* *ſimilitudinem* recidant, hinc *ὁμοιούσιον* potius, quam *ὁμοούσιον* dicendum eſſe cenſuerunt: unde *homoiouſiani*, vel *homoiouſiaſtae* adpellati ſunt, et Filium quoque dixerunt *κτισὸν, καὶ θεμελιωτὸν καὶ γεννετὸν τῇ ὀυσια* *conditum*, *fundatum*, *et natum*, *vel factum natura*, ut habent verba Euſebii Nicomedienſis. Quae, et quorum ſimilia, facile ad eorum mentem ex dictis adcommodantur. Singulare plane eſt, quod Philoſtorg. X: 3. tradit, de diverſis eorum opinionibus circa *τὴν ὁμοιοτητα* *ſimilitudinem*, quatenus alii eam in *praeſcientia*, alii in ex nihilo creandi *potentia*, alii in *natura*, collocarint. Quod quam verum ſit neſcio, forte inde ortum, quod modo hoc modo aliud Dei adtributum, Filio proprium, in medium adtulerint.

§. CCLXXVII. De praecipuis autoribus ex Eccleſiaſticis, duobus Euſebiis, Nicomedienſi et Caeſareenſi, Baſilio Ancyrano, Georgio Laodiceno, et Macedonio CP., Epiſcopis, cum ſuis locis egerim, vel mox dicturus ſim, ad fata et progreſſum Semi-arianiſmi mox pergo. Synodo Nicaena finita, et Ario, Euſebio, ac Theogni ab exilio revocatis, mox in factiones itum eſt, ſive ex ambitione, ſive ex mala

 ſuſpi-

ſuſpicione, cum alii de aliis ſiniſtre cogitarint. Utique Euſebiani Athanaſianis inputarunt Sabellianiſmum, et hi illis Arianiſmum, Sozomen. H. II: 18 ne nunc de Tritheiſmo dicam et gentiliſmo, Socrat. H. I: 23. ubi narrat, quam ob cauſam AEgyptii, mox poſt eam Synodum, graviſſimas inter ſe concitarunt, propter vocem ὁμοούσιον, pugnas. Quod de AEgyptiis nemini mirum accidat, cum ventoſi et rixoſi fuerint, jam ab antiquo ſecum certare ſoliti in cauſa religionis, vigente gentiliſmo, unde vel ipſae caedes aliquando ortae ſunt: uti Caſaubon. ad Spartianum in *Adriano* c. 12. obſervavit. Primus et praecipuus vero Euſebianorum inpetus fuit in Euſtathium et Athanaſium, acerrimos fidei zelotas, et eorum adverſarios, ut ſupra ſuis locis narravi. Primum fuit depoſitus et relegatus Euſtathius Antiochenus, unde terribiles Antiochiae ſuſcitati ſunt motus, Euſeb. vit. Conſt. III: 59. et grande illud ſchiſma Antiochenum ortum eſt, de quo ſupra. Eo ſede moto, Athanaſius, variis criminibus oneratus, et a Synodis Caeſareenſ. a. 334. ac Tyria a. 335. damnatus, ac relegatus eſt in exilium, vivo non tantum, ſed probante Conſtantino, cujus gratiam Euſebiani poſſidebant, multum eo contribuente Conſtantia, ſorore ejus. Imo Conſtantinum, ab Euſebio Nicomedienſe baptizatum, in *Arianorum dogma declinaſſe, a quo uſque in praeſens tempus Eccleſiarum rapinae, et totius orbis ſecuta eſt diſcordia*, dicit Hieronymus in Chronico a. 338.

§. CCLXXVIII. Longe graviora paſſi ſunt homoouſiaſtae et Athanaſiani in Oriente, mortuo Conſtantino, ſub Conſtantio. Arianiſmus enim in aula ejus radices egerat, et Conſtantius ei manus praebuit, ope Presbyteri alicujus, cui Conſtantinus teſtamentum ſuum commiſerat tradendum Conſtantio, quique ea ratione in magnum ejus venit favorem. Iſte enim Presbyter Inperatricem, et aulicos, in partes Arianorum et Euſebianorum fertur brevi pertraxiſſe; adeo ut quaeſtiones per aulam non tantum, et urbem regiam, ſed ubique, diſſeminatae, ingentes rixas ubique produxerint,

Socrat.

Socrat. II: 2. Adceſſit, quo Euſebianorum res creverunt, Euſebium Nicomedia fuiſſe, autoritate et juſſu Conſtantii, tranſlatum CPolin, licet Paulus, poſt magnas populi contentiones, jam eſſet in locum Alexandri ordinatus, a. 340. Socrat. II: 6, 7. Ex quo Arianiſmus, vel Semi-arianiſmus, haec enim nomina paſſim confuſa ſunt, et promiſcue uſurpantur, dominari coepit CPoli, ubi Eccleſias tenuit occupatas per annos 40., uſque ad ann. 380., quando redditae ſunt Orthodoxis a Theodoſio M., expulſis Arianis, Socrat. V: 7. Poſt annum 340. Semi-arianiſmus publice fuit confirmatus a Synodo Antiochena a. 341., quae canonem quoque illum, ſupra, ubi de Synodis, memoratum, condidit, cujus virtute denuo condemnatus eſt Athanaſius, et in ejus ſedem intruſus Gregorius, Socrat. II: 10. qua occaſione ingentes turbae, nec non vexationes plurimae, etiam caedes graſſatae ſunt Alexandriae, Athanaſ. in epiſt. *encyclica* ad Epiſcopos. Conſtitutus quoque hoc tempore eſt Euſebius Epiſcopus Emiſenus, vir doctus, et omni parte laudabilis, teſte Socrate H. II: 9. cujus aliquod exſtat fragmentum apud Theodoret. dialog. III*tio*, ex quo Semi-arianiſmus ejus dignoſcitur. Imo audit Hieronymo in Chron. *Arianae factionis ſignifer.* Forte et is autor eſt, ut jam conjecit Cave in Script. Eccleſ., homiliarum, quas ſub nomine Euſebii Pamphili edidit Sirmond. Oper. tom. I. Ceterum hic primus eſt methodo Scripturam S. litteraliter interpretandi uſus, quam poſtea ſec. V. urſit Theodorus Mopſueſtenus: vid. Hieronym. in Script. Eccleſ. Confirmatus praeterea ab hoc tempore eſt Semi-arianiſmus in Oriente per varias Synodos, ſupra recenſitas, inter quas celeberrima eſt Antiochena a. 345. in qua confeſſio illa μακρόστιχος prolixior condita eſt, homoouſiaſtae vero ubique depoſiti, expulſi, et varie vexati ſunt. Euſebio CP. mortuo, magnae ibi ortae ſunt turbae, occaſione novae electionis Epiſcopi in ejus locum, a. 342., cum homoouſiani Paulum rurſus intruderent, reliqui Macedonium, unde poſtea orti ſunt Macedoniani.

Quos motus cum sedare conaretur Hermogenes, Magister militum, Macedonium tuitus, ipse misere interiit. Quo audito Constantius, eo properans, Paulum deturbavit, et Macedonium confirmavit, Socrat. II: 13. Sed cum is stipata manu in Ecclesiam a Praefecto praetorio introduceretur, supra tria hominum millia triste invenerunt mortis fatum, partim a militibus, partim a multitudine premente, Socrat. II: 16. Cujus tumultus causam Catholici Macedonio, reliqui Paulo, tribuunt: teste Epistola Synodica Pseudo-Sardicense apud Hilarium in *fragmentis*.

§. CCLXXIX. Dum haec in Oriente agebantur, fides Nicaena primas tenuit in Occidente, et a Synodis Mediolanens. I. a. 346. Sardicens. 346., Mediolan. II. a. 347. et Romana a. 349. firmata est. Constante, ejus patrono, superstite, pauci vero, qui Arianismo ibi favebant, vel damnati sunt, vel, fide Orthodoxa adsumta, recepti; inter quos eminuerunt Valens Pannoniae, et Ursacius Moesiae, Episcopi: qui in Synodo Tyria primum in scenam prodierunt. Ambivit postea Valens Episcopatum Aquilejensem, unde multae turbae, nec sine caedibus, sunt ortae, Hilarius in fragmento I. Deinceps vero, fide Nicaena vel adoptata, vel simulata, in conciliis, Mediolano, et Romano, in communionem admissi sunt. Ceterum notatu dignum est, Occidentales et Orientales, narrante Socrat. II: 22., et Sozomeno III: 13. post concilium Sardicense, cum eo usque mutuam coluissent communionem, fuisse a se invicem separatos, limite communionis, et divisionis fixo in Sucorum augustiis, inter Daciam et Thraciam: absque tamen, ut omnis communio fuerit interrupta; ut ex Sirmiens. Synodo I. contra Photinum recte collegit Valesius, ad Socrat. l. c. Addit Socrates, ad illum montem usque inter se communicasse Episcopos, licet fide secum dissentientes.

§. CCLXXX. Constante mortuo, et utriusque orbis inperio ad Constantium devoluto, fides Nicaena, una cum patronis

tronis ſuis, minus feliciter ſe habuit in Occidente aeque ac Oriente. Conſtantius, inquit Ammian. Marcell. l. XXI. c. 16. *Chriſtianam religionem abſolutam, et ſimplicem, anili ſuperſtitione confundens, in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit diſcidia plurima, quae progreſſa fuſius aluit concertatione verborum.* Quod ſatis ſingulare eſt gentilis, vel Semi-chriſtiani, hiſtorici judicium. Conſtantius ab Athanaſio piiſſimus adpellatur Inperator, a perſecutione alienus ad mortem, cujus Ariani ab ipſo rei aguntur, in epiſt. ad Epiſcopos AEgypti et Libyae §. 5., ubi, cum perſecutores illos dixiſſet, ſe eo ipſo praeſtare Chriſtianorum inimicos, amicos vero diaboli, addit, eos *praeter mentem Conſtantii piiſſimi, clementiſſimique, Inperatoris, quae ipſis placent auſos eſſe promulgare.* Vid. et apolog. ad Conſtantium §. 33. ſed alibi, quaſi ſui oblitus, eum *inpiiſſimi ac haeretici*, et inpietatis patroni elogio ornat, in libro de Synodis §. 12, 25, et 31. Ipſe Gregorius Nazianzen. Conſtantium mire extulit, et coelo adſcripſit, ipſumque eo excuſat in Orthodoxis adfligendis, quod zelo indiſcreto fuerit actus, ſchiſmata tollere, omneſque unire intenderit, praeterea a pravis conſiliariis fuerit incitatus, Vid. Orat. III. contra Julianum p. 64. et IV. p. 119. et Orat. XXI. p. 385. Ubi etiam p. 389. ex fama refert, eum trium rerum poenituiſſe in agone mortis, ſcilicet, quod propinquis necem intuliſſet, Julianum apoſtatam nominaſſet Inperatorem, denique *novis dogmatibus* ſtuduiſſet. Denique Hilarius Conſtantium quoque laudat in libro ad eum, ſed, cum incorrigibilem deprehendit, contumelioſe, et injurioſe, tractat, in libro contra eum.

§. CCLXXXI. Poſt Synodum Sardicenſem ab Occidentalibus, ut in hiſtoria pergam, et Philippopol. ab Orientalibus, a. 347. habitam, Euſebiani, per Adrianopolin tranſeuntes, et ibi odio habiti, ac traducti, inpetrarunt a Conſtantio, ſecundum narrationem Athanaſii in epiſt. ad Solitarios, ut aliqui fuerint occiſi, alii etiam in aliis regionibus

 expulſi

expulsi et vexati. Deinde, Athanasio sedi reddito, cum omnia ad pacem viderentur spectare, et Homoousiastae ubique capita erigerent, ut idem ibid. refert, novi mox exorti sunt motus, ipse Athanasius duabus in ipso Occidente Synodis, Arelatens. a. 353. et Mediolanens. a. 355. damnatus, denuo in exilium abiit a. 356., et fidei socii vehementem subire debuerunt persecutionem. Vexati ubique sunt in dioecesi Alexandrina sub Georgio, in locum Athanasii intruso. Praeterea Semi-arianismus a Synodis, ut Ancyrana a. 358. Sirmiens. a. 358, 359, Ariminens., Seleuciens. et CPol. a. 359, 360. confirmatus est, adeo ut sola fides publica, seu dominans, fuerit in utroque orbe. Floruit itaque, et primas in Ecclesia tenuit, usque ad a. 361. quamdiu vixit Constantius. Orthodoxi vero primum in Oriente, dein et in Occidente, partim fuerunt circumventi, et in Semi-arianismum delapsi, partim sedibus moti, et varie vexati, cum, quod Arianos in communionem recipere recusarent, tum, Athanasii depositioni nollent subscribere, tum variorum criminum rei agerentur, et turbones haberentur. De qua sub Constantio vexatione vid. Athanas. in epist. ad Solitarios, Hilarius in Constantium, Lucifer Caralitanus, de quo postea, et Gregorius Nazianz. Orat. XXV. Praecipuae Ecclesiae, sub finem inperii ejus, erant penes Arianos, vel Semi-arianos, licet horum aliqui ob peculiares rationes quoque expulsi fuerint ab Eudoxianis, ut Basilius Ancyranus, ejusque socii. Episcopus Alexandriae erat Georgius, Antiochiae Euzoius, CPol. Eudoxius, Casareae Palaestin. Acacius, de quo, magnae eruditionis et existimationis viro, discipulo et successore Eusebii Caesareens. vid. Sozomen. IV: 23. Sirmii Germinius, Mediolan. Auxentius: principes Orthodoxiae patroni degebant in exilio, uti Athanasius, Eusebius Vercellensis, Lucifer Caralitanus, etiam praecipui Semi-ariani, ut Basilius Ancyranus, Macedonius CPol., Eleusius Cyzicenus, Silvanus Tarsensis, Eustatius Sebastenus: etsi reliqui Ariani Semi-arianismum etiam

etiam profiterentur, ut Eudoxiani et Acaciani, qui tunc dominabantur, proscriptis Aetianis. Cum Eudoxius, et socii, Ariminensi formulae unice studerent introducendae, magni motus exorti sunt, et persecutiones institutae, haud absimiles fere Gentilium Inperatorum, secundum Sozomen. IV: 26. Episcopi vero Ecclesiarum partim Semi-arianismum profitebantur, partim, se opponere non ausi torrenti, quietos se tenebant. Sed plebem ut plurimum fidei Nicaenae mansisse adfixam tradit Athanas. ad Solitarios: quod de Monachis in Oriente etiam adfirmat Sozomen. IV: 27.

§. CCLXXXII. Post Constantii mortem, Juliano clavum inperii tenente, facies rerum valde est inmutata. Paulo ante fides Nicaena per Galliam rursus stabilita est, ope Hilarii Pictaviensis, et Synodi Paris. a. 360., ut supra in Synodorum recensione habuimus. Julianus, ut se Constantio, et consiliariis ejus, qui omnibus odio erant, opponeret non tantum, sed in primis Christianismum per mutuas dissensiones, et rixosas lites, debilitaret, exulibus redeundi licentiam, et omnibus fidem libere profitendi potestatem dedit: in quo tamen votorum non est compos factus. Georgio ab ipsis paganis misere dilacerato, Athanasius sedem suam Alexandrinam recuperavit, Eusebius Vercellensis, et Lucifer Caralitanus, reditum ad Ecclesias suas parantes, in Oriente, cum Athanasio, Ecclesias ad fidem suam omni ope contenderunt revocare. Cui fini inserviit Synodus etiam Alexandrina a. 362., Episcopi quoque, qui aut metu, aut aliis de rationibus, se fidei adversariis non opposuerant, fidem Nicaenam palam profiteri coeperunt: ita ut Athanasius *ad Jovianum* adserere non veritus fuerit, fidem eam omnes fere Ecclesias, paucis exceptis, per Orientem et Occidentem, fuisse eo tempore professas. Vid. etiam epist. ad Africanos in initio. Abstinuerunt utique Christiani, durante inperio Juliani, a litibus et mutuis vexationibus, cum sese contra paganismum, lacertos de novo moventem, unitis viribus necesse haberent opponere, Sozomen. VI: 4.

§. CCLXXXIII. Tempore Joviani paucos in initio fuisse Christianos in fide sanos, et plures vacillasse, tradit quidem Gregor. Nazianz. Orat. XXI., sed fides Nicaena in Synodo Alexandrina a. 363. confirmata, simul a Joviano adprobata, est. Ipsi Semi-ariani sese ad eam propius censentur adjunxisse in Synodo Antiochena a. 363., in qua ab ipsis sancitum est, Filium ex substantia Patris esse genitum, et quoad eam Patri similem, Socrat. l. III. et Sozomen. VI. Reliqui, qui lites volebant renovatas, repressi sunt ab Inperatore, qui se eas aversari, amare pacificos, et cuique libertatem fidei relictam velle, publice declaravit, Socrat. H. III: 5. Sed nec diuturnum satis fuit inperium ejus, nec Ecclesiae pax, aut fidei Nicaenae triumphus. Inperio, post Jovianum, inter Valentinianum ac Valentem diviso, illi Occidentali, huic Orientali, subjecto, fides Nicaena primas perrexit in Occidente obtinere, cum ei faveret Valentinianus, licet toleraverit Arianos, uti cum Auxentio Episc. Mediolan. egit, frustra obnitente Hilario. Arianismus itaque passim ibi in obscurum ivit, paucis exceptis Ecclesiis, ut Mediolanensi, ubi erat Auxentius, et Illyricis, ubi Ursacius et Valens dominabantur, fides Nicaena per varias Synodos sub Damaso, ut, ubi de Synodis, narravi, est stabilita: adeo ut ubique, maxime postquam Ambrosius in locum Auxentii fuit evectus, praevaluerit, Arianismo eliminato; ut in vita Ambrosii vidimus.

§. CCLXXXIV. Sed in Oriente status Ecclesiae per Valentem Arianum fuit longe tristior. Praevalere in principio videbantur Semi-ariani, qui, Synodo, permissu Valentis, habita Lampsacena a. 364. confirmarunt τὸ ὁμοιούσιον *homoiousion*, et Acacium, ac Eudoxium, cum reliquis Arianis, condemnarunt, Socrat. IV: 4. addit Basilius M. ep. 82. Macedonianismum de Spiritu S. et ibi esse stabilitum. Sed, licet variae aliae per Asiam Synodi idem fecerint, res sese brevi in favorem Arianorum verterunt. Motibus enim Procopii, qui inperium adripuerat, sedatis, Valens sese totus ad

ad Eudoxianos adplicuit contra Catholicos et Semi-arianos. Lampsacena Synodus, quia fidem Ariminensem damnaverat, et Arianos deposuerat, iram ejus adeo concitavit, ut, coacta Synodo Nicomediensi, decreta Lampsacena fuerint abolita, et Semi-ariani Arianis coacti fuerint adsentiri; inter quos memoratur Eleusius Cyzicenus, qui, vi et metu compulsus, Arianismum recepit Nicomediae. Cum autem, in sedem redux, poenitentiam publice esset professus, depositus est, et ei suffectus Eunomius, ut in Eunomii vita narravi, Socrat. IV: 6, 7. Vertit sese mox Valens ad Novatianos, homoousianorum fautores, eorumque Ecclesias jussit claudi: quae tamen postea, Inperatoris ira per Marcianum, presbyterum eorum, magnae apud eum autoritatis, sedata, iis sunt redditae, Socrat. IV: 9. Furorem praecipue in Homoousiastas effudit, quos depositionibus, exiliis, tormentis, aliisque modis multis, vehementer est persecutus, Gregor. Nazianz. Orat. XXV, XXXII. Nyssenus contra Eunomium, Theodoret. H. IV: 13. etc., ac in Philotheo c. 8. Socrat. IV: 15. Epist. Synod. CPol. ad Occidentales, apud Theodoret. H. E. V: 9.

§. CCLXXXV. Circa Semi-arianos, ut ad eos redeam, accidit hoc tempore aliquid memorabile, ac singulare, quod cum homoousiastis fuerint propius conjuncti, uti narrat Socrat. IV: 12. Cum ab Arianis vehementer sibi metuerent, sese cum Catholicis reduniendi ceperunt consilium. Variis per Asiam habitis Synodis, in id conspirantibus, missi sunt legati Eustathius Sebastenus, Sylvanus Tarsensis, et Theophilus Castabalorum in Cilicia, in Occidentem, ad Valentinianum Inperatorem, et Liberium Papam. Oblata confessione, omnium nomine professi sunt, se, Filium κατ' οὐσίαν ὅμοιον *secundum essentiam similem* confessos, eo ipso τὸ ὁμοούσιον, quoad rem ipsam, adprobasse, adeoque fidem Nicaenam se adoptare, et in communionem cupere admitti. Liberius, coacto Occidentalium concilio, cum iis fidem haberet, et in eorum favorem litteras ad Orientales exarasset,

 illi,

illi, his muniti litteris, in Orientem revertentes, adpulerunt in Siciliam, ubi Synodo habita, et fide sua adprobata, litteras quoque inpetrarunt, et ad suos redierunt. Quando, habita Synodo Tyanis, Sozom. VI: 12. missis per singulas civitates ad Homoousiastas legatis, eos ad Synodum, Tarsi celebrandam, exhortati sunt, ut has tandem componant lites. Effectum forte res habuisset, licet triginta quatuor Asiani, Antiochiae Cariae coacti, τὸ ὁμοούσιον homoousion adhuc negarint recipere, teste eodem l. c., nisi Eudoxius, ea re cognita, restitisset. Unde major in eos est excitata Valentis exacerbatio, gravior adhuc facta per motus CPolitanos, causa electionis Episcopi in locum Eudoxii; dum Ariani Demophilum, Homoousiastae vellent Evagrium, Socrat. IV: 14. Crevit quoque Arianorum causa Alexandriae, mortuo Athanasio, quo vivo Ecclesias illas, metu seditionis popularis, turbare non fuerat ausus Valens. Eo autem defuncto a. 373. Lucius, autoritate et potentia Valentis, ei est surrogatus, Petro, ab homoousiastis electo, in vincula conjecto, et reliquis Clericis fugatis. Socrat. IV: 21. A quo tempore in eos, in specie in Monasteria, saevitum est, ut ibid. traditur. Monachis vero maxime adhaerescebat plebs, quae, dogmatum ignara, eos sequebatur, quorum vita maxime videbatur proba, Sozom. VI: 20.

§. CCLXXXVI. Dum haec in Oriente gerebantur, magis magisque fidei Nicaenae stabiliendae invigilarunt in Occidente. Quem in finem Romae non tantum a Damaso habitae sunt Synodi, sed et in Illyrico, autoritate Valentiniani, a. 372. De quo supra, ubi de Synodis. Decretis in Asiam missis, addita est epistola Inperatoris, apud Theodoret. IV: 8. qua reprehenduntur, simul vetantur, persecutiones fidei causa, et fidei Orthodoxae suprema adjungitur Inperatoris autoritas. Etsi enim Valens administraret Orientem, debebat tamen, teste Ammiano, instar adparitoris, se morigerum praebere Valentiniano. Ceterum illi, hac in Epistola in specie damnantur, qui sub voce ὁμοίου occul-

occultabant *ὁμοούσιον*, uti nunc facere inceperant Semi-ariani, quique Spiritum S. a Trinitate separabant, uti Macedoniani faciebant. Accesserunt alia, quibus Valentis inpetus fuit repressus, uti Oratio Themistii Philosophi XII. ad Valentem, sicut antea ad Jovianum Inperatorem, quae est ex edit. Harduini V., qua necessitas, seu inevitabilitas, discrepantiae opinionum in re religionis defenditur, et Christiani ad mutuam tolerantiam excitantur. Digna sunt ejus, inter alia, verba, quae hic legantur, *neque bonum virum per vim queas efficere: est enim virtus habitus voluntarius, neque cogere possis, ut id ulla ratione sentiam, quod sentire nolo — Qui vim adhibet pugnat cum Dei et naturae lege, qui, quam potestatem hominibus Deus tribuit, eam tentet adimere: quamquam frustra omnis labor suscipitur* etc. Praeterea bellum Gothicum, quod Valens meditabatur, illud intestinum compescuit, Socrat. IV: 35., quod per Valentis mortem mox penitus est exstinctum, a. 378.

§. CCLXXXVII. Gratianus enim, cujus patruus erat Valens, ejus successor, omnibus mox fidei et confessionis promulgavit libertatem, exceptis Manichaeis, Photinianis, et Eunomianis, concessa quoque pulsis Episcopis redeundi licentia, Socrat. V: 2. Quod vero, Orientis Ecclesias, exceptis Hierosolymis, eo tempore fuisse adhuc ab Arianis obsessas, refert Sozomen. VII: 2., illud ex Socrat. V: 3. est restringendum et explicandum; cum ex eo elucescat, Arianos quidem Ecclesias tenuisse, sed non solos. Antiochiae enim, ut refert Socrates, tres erant factiones, Arianam tenebat Dorotheus; qui Euzoio successerat, reliquae partim Paulino, partim Meletio, ab exilio reverso, parebant. Alexandriae Arianam Ecclesiam regebat Lucius, licet exul, sed Homoousiastas post Petrum Timotheus. CPtanae Ecclesiae Arianae praeerat Demophilus, Eudoxii successor. Episcopi vero reduces Ecclesias suas recuperarunt, et, Arianis lege Inperatoris deturbatis, ut tradit Theodoret. V: 2. orthodoxi Episcopi ad Ecclesias sunt missi; quorum aliquos,

quos, a Meletio et Eufebio Samofatenfe ordinatos, ibid. c. 4. recenfet. Quae omnia per Theodofium M., fervidum fidei Nicaenae patronum, ulterius perfecta funt, expulfis quoque CPol. Arianis, et Ecclefiis redditis Catholicis, quas Ariani per annos 40 poffederant, Socrat. V: 7.

§. CCLXXXVIII. Semi-ariani, qui, vigente perfecutione Valentis, cum Orthodoxis, fub *homoufii* confeffione, conjuncti fuerant, ut fupra narravi, fefe nunc, pace et libertate conceffa, ab iis rurfus fepararunt, et *homoioufion* palam funt profeffi, damnato quoque *homoufio:* uti Antiochiae habita Synodo, tefte Socrate V: 4. quam Cariae fuiffe Antiochiam tradit Sozom. VII: 2. Qua levitate nonnulli moti fefe arctius adjunxerunt Catholicis. Ceterum Semi-arianos, feu Macedonianos, fuiffe ab Orthodoxis feparatos, ex Socrat. V: 8. patet: ubi etiam narrat, eos ad Synodum CP. fub Theodofio M., cum fpes redunitionis adfulgeret, fuiffe vocatos, et adfuiffe ad triginta fex ufque praefentes, quorum praecipui erant Eleufius Cyzicenus, et Marcianus Lampfacenus. Meminit quoque eorum, tanquam propriam conftituentium fectam, Gregor. Nazianz. Orat. XXXVII. fimul mitius de iis judicat, et vitam eorum Chriftianam laudat, Orat. XLIV. Edidit autem Theodofius varias leges contra eos, qui fidem Nicaenam non fequebantur, quibus quoque interdixit congregationibus, quae in Cod. Theodof. proftant, voluitque, ut Ecclefiae ubique iis reddantur, qui cum Damafo Papa, et Petro Alexandrino, tanquam centro Orthodoxiae, communicant, Theodoret. V: 2. Ultima denique manus fidei Nicaenae firmandae inpofita eft per Concilium CP. oecumenicum a. 381. et 382., de quo fupra expofui. Adnifa quidem eft Juftina, quae, nomine Filii Valentiniani, praeerat Italiae, Illyrico, et Africae, Arianifmo praebere patrocinium, a. 385. et 386., lege in favorem Semi-arianorum data, qua iis coetus publice cogere permittitur, gravi addita poena, fi qui propterea turbas concitaverint, in cod. Theodof. Gothofredi tom. VI., in qua fides Arimi-

Ariminensis in Synodo CP. confirmata memoratur: sed illa tx dein est abrogata. Strenue autem sese Inperatrici opposuit Ambrosius Mediolanensis, et effectum prorsus inpeivit, licet non sine periculo vitae, ab eunucho Valentini juniorie Calligono ipsi intentato: sed qui meretricis confssione convictus gladio ultore punitus est, ut verba habent ugustini contra Julianum Pelagianum c. 14. Loquitur oque de hoc ipso eunucho Ambrosius in libro de Jose Patriarcha. Interea inter Gothos, ad Christianismum e Ulphilae adductos, sub Valente, Arianismo res felicius ceessit: cum universa illa gens fuerit Arianismo infecta, deque ad Vandalos propagata, unde ingentes rursus mo, cum acerrima persecutione, orti sunt, in primis in frica, seculo seq. De quo postea suo loco.

PHOTINIANISMUS.

. CCLXXXIX. Photinus, autor haeresios, Ancyro-galata, cipulus Marcelli, Episcopi Ancyrani, cum Sirmii ageret scopum, primum tanquam haereticus est detectus, et natus ab Eusebianis in Synodo Antiochena a. 345. So. I: 19., non ergo jam antea sub Constantino M., ut ic. Sever. hist. l. II. refert; dein secunda vice in Sy Sardicense a Catholicis, Epiphan. haer. LXXI. et . Sev. l. c. dein tertia in Synodo Mediolanense, eo anno 347. Hilarius in fragment., quarta vice in Sirse a. 351. Hilar. l. c. Socrat. II: 30. et Sozomen. IV: lac enim ratione, quae de Photino narrantur, digesunt. Conferantur scripta Petavii ad Epiphan., et in . de Photino, ad calcem rationarii temporum, Sirmondi Sirmitana, quae cum Petavii elencho, et priore it. exstat Oper. Sirmond. tom. IV. Petrus de Marca de tempore Synodi Sirmiens. plenariae etc., ad calperis de concordia Sacerdotii et Inperii, denique Lars differt. de Photino, et Ittigius histor. Photini

differt. VI. Ceterum haec haeresis adeo fuit profligata, ut haud diu post Photinum penitus tradatur exspirasse, ab Epiphan. l. c. et Theodoret. haer. fab. II: 11., licet, eo superstite, haud parvos fecerit progressus: erat enim, ut Vincentius Lirinensis in Commonit. agnoscit, *et ingenii viribus valens, et doctrinae opibus excellens, et eloquentia praepotens, quippe qui, utroque sermone, copiose et graviter disputaret, et scriberet.* Vid. et Sozom. IV: 5.

§. CCXC. Cum ex ejus scriptis, quae haud pauca fuerunt, recensita a Fabricio Bibl. Gr. vol. VIII. nihil supersit, ex adversariis ejus unice sapiendum est; qui, quo animo passim in eum fuerunt, vel conviciis, quo quidem nihil inter Ecclesiasticos vulgatius, sed et nihil absurdius, est, demonstrarunt, dum eum *σκοτεινὸν Scotinum*, loco Photini, adpellarunt, uti Lucifer Caralit. et alii: nec hic parcus est Epiphanius, ut solet: sed antiquissima monumenta, hic consulenda, sunt duae confessiones fidei, Antiochena et Sirmiensis, contra Photinum, quarum illa exstat apud Socrat. II: 19. haec ibid. c. 30. et apud alios supra memoratos; quibuscum reliqui Scriptores de haereticis comparandi sunt, uti Epiphan. et Theodoret. locis cit., ac Damascenus de haeres., et alii. Quorum omnium consensu traditur statuisse, Christum esse merum et purum hominem, qui ante nativitatem ex Maria non exstitit, adeo ut Artemonis, et Pauli Samosateni, errores renovaverit. Praeterea, regnum Christi finem esse habiturum in ultimo judicio, ipsi quoque constanter inputatur. Sed in hisce nondum licet acquiescere, cum sint inter Veteres, qui, eum Sabellii haeresin expressisse, dicunt, ut Theodoret., et a Paulo Samosateno aliquantum discrepasse, ut Epiphan. et Joh. Damascenus, eum Marcelli haeresin adoptasse, constanter denique tradunt. Ex quibus mihi probabile fit, Photinum cum Paulo Samosateno statuisse, Christum non fuisse Filium Dei, aut exstitisse ante Mariam; attamen cum Sabellio, λόγον προφορικὸν *sermonem prolatum*, seu effluxum Patris, in Christo agnovisse. Vid.

Vid. quae habet Nestorius apud Marium Mercatorem p. 86. Utique ex confessionibus, modo citatis, liquet, eum Deo tribuisse λόγον ἐνδιάθετον et προφορικὸν *insitum et prolatum sermonem*, *illum* censuisse esse ipsam Patris rationem, quam in principio creationis adlocutus est, Gen. I., de quo Joh. I: 1. *hunc* autem vel effluxum Patris, ut statuit Marcellus, de quo mox, vel *operationem* ejus, quam Photino videtur adtribuere Theodoret., Epiphanius quoque hic illic, l. c. tale quid statuisse Photinum, haud obscure innuit, in primis ubi §. 3. adserit, Photinum censere λόγον ἐκ πατρὸς προέλθοντα, καὶ εἰς σάρκα μεταβεβλημένον *sermonem ex Patre prodeuntem, et in carnem translatum:* cujus opinionis mentio quoque fit in confessione Sirmiensi.

§. CCXCI. Quae omnia cum ex Marcelli, magistri ejus, opinionibus clariore luce donari queant, eas hic repraesentasse non fuerit abs re. *Marcellus* a. 314., jam Ancyranus Episcopus, cum Arianis se strenuo in concilio Nicaeno opponeret, Sozomen. II: 33. et mox Asterium Sophistam, Arianum, integro libello refutaret, incidit in suspicionem Sabellianismi: quo nomine ab Eusebianis in Synodo CPol. a. 336. est damnatus, et sede motus, suffecto ipsi Basilio Ancyrano; praeterea ab Eusebio Caesareense refutatus in *libris contra Marcellum*, qui supersunt. Deinde, mortuo Constantino M., sedi redditus, haud diu post denuo est depositus; quando ad Julium Papam confugit, cui, oblata confessione, et libro contra Asterium commode explicito, sese adeo commendavit, ut ab eo in communionem sit receptus a. 342., et mox in Sardicens. concilio, una cum Athanasio, absolutus a. 346. Verum postea sese rursus reddidit suspectum, ipsis quoque Catholicis, ac Athanasio, a quo, secundum Hilarium et Sulp. Sever., etiam damnatus fuit, quod Montfalcon. refutat. Denique cum Basilius M. sese Marcello opponeret, et Athanasium in eum concitaret, ipse, misso Eugenio diacono cum aliis ad Athanasium oratoribus, fidei quoque edita confessione, effecit, ut ab Atha-

nasio et AEgyptiis fuerit absolutus a. 372. Quam legationem Marcelli, et Ecclesiae Ancyranae, in lucem protraxit Montfalcon. in *nov. collect.* tom. II.

§. CCXCII. Marcello adscripti errores ex Eusebii contra ipsum libris, Epiphanio haeres. LXXII., ubi etiam confessiones ejus reperiuntur, Basilio M. ep. 69. ad Athanas., et 125. nec non 263. ad Occidentales, petiti, addito Theodoreto l. c., et Pseudo-Athanasio in Orat. *unum esse Deum*, huc redeunt, *λόγον sermonem* esse in Deo *ἀνυπόστατον* propria non praeditum *subsistentia*, sed ipsam Patris *rationem et operationem*, illam vero *ἐνδιάθετον insitam*, hanc *προφορικὸν prolatam;* eam operationem, seu prolationem, vero esse *ἔκτασίν τινα extensionem* quandam divinitatis ad opus faciendum; eoque perfecto, eam *ἀνασπασθῆναι retrahi* in Deum; factam denique prolationem esse, cum ad mundum condendum, tum ad eum per Christum redimendum: in quem Christum natum hic sermo itaque venit, ad oeconomiam efficiendam, quem ultimo tempore relinquet, quando regni Christi finis erit, ipseque purus homo. Spiritum S. autem esse *παρέκτασιν ἐκτάσεως extensionem extensionis*, Apostolis datam et fidelibus. Sed, num hi errores ex vero ipsi et adseclis fuerint adscripti, non adeo liquidum est, cum Veteres secum dissentiant, et Marcellus sese, edita confessione, et apologia, purgaverit: ut ex historia vitae ejus patet. Interea illud verum est 1. Marcelli dicta justam dedisse errorum istorum suspicionem, ut ex illis, quae ab Eusebio prolata sunt, patescit, et Athanasius apud Epiphanium fassus est, 2. suspicionem esse per Photinum, ejus discipulum, firmatam. 3. Confessiones quidem Orthodoxas esse, sed cum ejus dictis vix conciliari posse; videri itaque, quod Epiphanii judicium est, se emendasse. 4. Denique recepti quidem sunt Marcelliani ad communionem ab Athanasio et AEgyptiis; ab ipsa quoque Synodo Diocaesareensi, teste Basilio M. epist. 265. ad Episcopos AEgypti exules; sed et dolente, qui tamen adprobasse videtur epist. 260. ad Petrum Alexan-

drinum

drinum Episcopum, sicut fecit Gregor. Nyssen. epist. ad Sebasten. apud Zacagnium, in *collectan. monument. vet.* Sed Marcellum tanquam Sabellianum perstrinxit Hilarius de Trinitate l. VII. et Chrysost. homil. VII. ad Joh., et VI. in Ep. ad Philipp., ubi statuere dicitur, λόγον *sermonem* Dei esse ἐνέργειαν *operationem*. Plura qui de hac quaestione velit, adeat Montfalcon. in diatriba, praemissa collectioni novae tom. II.

MACEDONIANI.

§. CCXCIII. *Macedonius*, unde Macedoniani sunt orti, *artis plumariae*, seu acupictor, dicitur ab Hieronymo in Chron., sed temere, et ex male intellecto titulo ποικιλοτέχνος, quo vafer denotatur, cum ποικίλτης sit acupictor: quod Scaliger ad Euseb. jam observavit, quem sine solida ratione castigavit Tillemont. Memor. Eccles. t. VI. p. III. in not. ad Arian. Episcopus CPol. qua ratione factus est, in locum Eusebii, a. 342., supra suo loco narravi. Sed postea a. 360. in concilio CPol. est depositus, in ejus locum suffecto Eudoxio, propter crimina, inquit Chronicon Alexandr., vid. et Socrat. H. II: 42. addit Sozomen. IV: 3, et 20. ipsum Catholicos valde vexasse, etiam ad necem usque. Sed, ut idem III: 7. tradit, incurrerat in odium Constantii. Depositus sese in locum juxta urbis portas recepit, seseque ibi Eudoxio ac Acacio opposuit, simul novam condidit haeresin, Sozom. IV: 26.— Semi-arianismi scilicet fautor, Filium non tantum dixit ὁμοιούσιον, ita tamen, ut in Patre et Filio unam potentiam, et eandem confessus sit naturam, teste Leone M. Papa serm. XXIIItio, sed et, de quo Semi-ariani hucusque siluerant, nisi quod Eunomius et is primus, Spiritum adpellaverit creaturam, secundum Basilium M. contra Eunomium l. II. *Spiritum S.* statuit creaturam esse Filii, eo et gradu et potentia inferiorem, ex Angelorum ordine, sed primum, per quem Deus homines

 sancti.

ſanctificat, Sozom. IV: 27. Unde nata, et adpellata, est haeresis πνευματομάχων *Spiritus oppugnatorum*. Quod nomen videtur primum in usu fuisse, dein a. 380. invaluisse Macedonianorum. Vid. Maria Merenda de *gestis Damasi* ad eum annum, in nova operum Damasi editione. Motus haec haeresis praecipue dare coepit a. 367. et maxime promota est per exemplarem vivendi rationem, quam ejus patroni tenuerunt, Sozom. l. c. Gregor. Nazianz. Orat. XLIV. Amplexi autem eam sunt Eleusius, Eustathius Sebastenus, et, qui ingens ei addidit momentum, Marathonius, ex numerario officii praefectorum praetorio, vir dives et liberalis, Sozom. l. c., unde *Marathoniani* sunt denominati. Damnata primum est haeresis in Synodo Alexandr. a. 362., dein Romae a Damaso a. 366., et tandem in Synodo Oecumenica CPol. Refutata autem praecipue est ab Athanasio ep. ad Serapionem, Basilio M. ad Amphilochium, Greg. Nyssen. de Trinitate, et contra adversarios Spiritus S., nec non Orat. de Filii et Spiritus S. deitate, ab Epiphanio quoque haeres. LXXIV., et Ambrosio de Spiritu S. Passi quoque multa sunt in Phrygia Pacatiana, seculo sequente, a Theodosio, Episcopo Synadensi, non tam ex zelo fidei, quam avaritia, pecuniam ex haereticis colligere cupiente. Quod propterea ipsi male cessit, ita ut episcopatum perdiderit opera Agapeti, Macedoniae sectae praefecto, qui Macedonianos permovit ad fidem *consubstantialis* profitendam; quo facto, ipse accepit, excluso Theodosio, sedem Synadensem, Socrat. H. VII: 6. Interea fuerunt et alii, qui, in fide Christi orthodoxi, Spiritum dixerunt creaturam, Gregor. Nazianz. Orat. XXXVII., etiam qui verebantur eum adpellare *Deum*, quos tolerandos vult Orat. XLIV. Quid Basilio M. fuerit vitio hac parte versum, in ejus vita retuli. Denique fuisse, qui Spiritum S. dixerunt omni creatura superiorem, sed divina perfectione inferiorem, tradit Cyrillus Alexandr. dialog. V. Oper. t. V.

APOL-

APOLLINARISMUS.

§. CCXCIV. *Apollinaris*, haeresios hujus, quae circa incarnationem Christi versata est, autor, filius Apolliniaris, Laodiceae in Syria primum grammatici, dein presbyteri, ibidem primum Lector, dein Episcopus, post Georgium Philostorg. H. VIII. Athanas. Epist. Synod. ad Eusebium, et Luciferum, Hieronym. script. Eccles. et Ruffin. H. I: omni eruditionis genere fuit celeberrimus, ad Script. S. explicationem aptissimus, sicut Basilius M. in panegyrico dicendi genere excelluit, Gregor. Nazianz. in oratione periodica, judicio Philostorg. VIII: 11. Arianismi et gentilismi accerrimus oppugnator, celebrioribus Ecclesiae doctoribus, in primis Athanasio, Basilio, Gregor. Nazianz. et Epiphanio, aestumatissimus, qui, tempore Juliani, quo Christianis aditus ad litteraturam secularem erat occlusus, ingentem Ecclesiae praestitit, una cum Patre, utilitatem, componendis hymnis, orationibus, aliisque scriptis, ita ut Ethnicis scriptoribus sine magno damno carere potuerint Christiani. Haud diu post Synodum CPol. a. 381., qua damnatus est, superfuit. Ex scriptis vero, quae magno numero ab ipso aut Patre sunt exarata, quorum catalogum contexuit Fabricius Bibl. Gr. vol. VII., nihil fere restat, praeter Metaphrasin Psalmorum versibus heroicis, varie editam, et duas epistolas ad Basilium M. in *Monument.* Cotelerii tom. II. Reperiuntur praeterea quaedam fragmenta ipsius, et adseclarum Valentini, et Timothei apud Leontium *contra fraudes* Apollinaristarum in Bibl. Patrum. Sed Apollinaristae quoque esse videtur epistola, de *incarnatione verbi*, quae Athanasii nomen praefert, in Oper. Athanas. t. I. forte et, quae nomine Julii Papae ad Dionysium circumfertur, quam Graece edidit Muratorius in Analect. Gr., qui, eam non esse Julii, sed Apollinaristae, fuse conatus est demonstrare. Ex his fontibus, et adversariorum scriptis, ut Epiphan. haeres. LXXVII., sed in primis Gregor. Nyssen. in

in *Anthirretico*, a Zacagnio edito, petenda est haereſios notitia. Ex recentioribus legi in primis meretur Jac. Basnagius ad calcem Chryſoſtomi epiſt. ad Caeſarium Monachum, ab ipſo editae, nec non Saligius de Eutychianiſmo ante Eutychen cap. 17. qui de Apollinari, ejuſque opinionibus, recte diſſeruit.

§. CCXCV. Miſſis, quae Apollinari, vel falſo, vel temere, adſcribuntur, etiam a vetuſtiſſimis, uti, corpus eſſe Filio Dei homoouſion, conſubſtantiale, confuſas in ipſo naturas divinam et humanam, corpus ejus eſſe coeleſte, negatam reſurrectionem, regnum millenarium, Arianiſmum quoque, etc. quae partim incertis ex rumoribus ſunt, ipſo Epiphanio fatente, hauſta, partim ex invidia adficta, partim ab uno alterove diſcipulo profecta, ut Baſnagius recte evicit: unus tantum memorandus eſt error, qui ipſi proprius eſt, et haereſios notam inuſſit, Chriſtum hominem non habuiſſe τὸν *mentem*, ſed ejus locum ſuppleviſſe divinam naturam. In initio tamen dicitur docuiſſe, carnem tanquam veſtem a Chriſto eſſe indutam, ſine *anima*, divina natura corpus animante; verum deinceps mutaſſe in eam, quam memoravi, opinionem, Chriſtum quidem verum et animatum habuiſſe corpus, at ratione deſtitutum, adeoque mentem ejus fuiſſe naturam divinam. Gregor. Nazianz. Orat. XLVI. refert, ſe poſſidere librum Apollinaris, in quo ſtatuit, carnem Chriſti ipſi jam ab aeterno in coelo adfuiſſe, tanquam συνουσιωμένην, indeque veniſſe in mundum; quo retulit dictum, Joh. III. *nemo adſcendit in coelum, niſi qui deſcendit*, etc., imo divinitatem ibi dici paſſam, et mortuam, cum corpore, addit. Praeterea Orat. LII. tradit, Apollinariſtas Chriſto vix relinquere carnem, ubi cum ſociis agunt, ſed alias palam Chriſto tantum τὸν *mentem* eripere. Dein eos ſibi non conſtare adſerit, cum antea craſſam urſerint carnem, indeque millenarium craſſum, deinceps vero carnem putatitiam videantur ſtatuere. In Chriſto non fuiſſe, *ſecundum* Apollinar., ψυχὴν *animam*, tradit quoque Chryſoſtom. hom.

hom. VI. ad Epist. ad Philipp. et Discipulus ejus Nilus Monachus epist. 257. adserit, secundum Apollinarem, Filium *e loco superiore carnem adsumsisse, neque* ψυχὴν *animam*, neque νοῦν *mentem habentem*. Vid. et ep. 272. de *carne e coelo desumta*. Ambrosius de Incarnat. c. 6. contra Apollinaristas, quos non nominat, disputat, acsi verbum in carnem esse mutatum statuant. Ex Apollinaris errore, vel schola, aliquos esse ortos, qui, praeter *mentem*, Christo quoque *animam* negarunt, refert Augustin. ad Ps. XXIX. Sed, ex certis manifestum est testimoniis, Apollinarismum in eo tantum fuisse situm, quod Christus corpore quidem animato fuerit praeditus, sed *mente* humana caruerit, ejus locum supplente natura divina; unde Christi corpus fuit dictum, ναὸς ἄνους *templum mentis expers*. Unde etiam διμοιρῖται *dimoeritae* sunt appellati a Catholicis: cujus tituli rationem pandit Gregor. Nazianz. Orat. XLVI. ubi ait, animum et corpus esse in Christo ἠτιτημένα scilicet, *verbum*, *mentem*, *animam*, cum corpore, tres in Christo partes, cum vero Apollinaristae tollerent νοῦν *mentem*, substituto λόγῳ *verbo*: dicti sunt *dimoeritae*. Vid. Epiphan. l. c. Gregor. Nazianz. Orat. XLV, XLVI, LI. Socrat. H. II: 46. et scripta citata Apollinaristarum. Ceterum causa, quare sententia de natura humana a divina absorpta fuerit Apollinaristis tributa, fuisse videtur, quod in Christo esse dixerint μίαν οὐσίαν *unam essentiam*, et tantum Deum, non hominem, appellari debere propter unionem hominis, sine mente, cum Deo, qui ejus *mens* est, unde συνουσιασταὶ *Synusiastae* dicti sunt. Vid. Jablonskius de Nestorianismo. Denique Apollinaris traditur in libris suis a Gregor. Nazianz. Orat. LI. agnovisse quidem trium personarum divinitatem in Trinitate, sed personas censuisse inaequales: unde forte Arianismi ejus accusatio nata est.

§. CCXCVI. Rationes, quibus haec sententia, de divina natura *mente* Christi fuit superstructa, fuerunt praecipuae, uti ex monumentis citatis, inprimis Antirrhetico Gregor.

 Nysseni

Nyffeni liquet, fequentes. 1. Primam fuppeditant abfurd ex vulgata fententia neceffario oriunda, nec vitanda, fi m humana in Chrifto ftatuatur: fcilicet, duas tunc in Chri effe perfonas, duplicem filiationem, propriam et adoptiva hominem tunc effe fervatorem, eumque adorandum, qu Catholicos adpellarunt *antropolatras*, Gregor. Nazianz. Or LI. ubi, per modum retorfionis, Apollinarifta dicitur σαρ λάτρης *carnis adorator:* praeterea de libertate mentis act effe, fi duplex fit in Chrifto agendi principium, prae mentem nimirum divinitas: denique, fine mutabilitate periculo peccandi non fore Chriftum, fi mentem habue humanam: nec Mariam poffe dici Θεοτόκον *deiparam*, fi in grum hominem, a Deo adfumtum, et non tantum cor animatum, divinae naturae unitum, peperiffet. 2. Ar mentati funt ex Pauli effato 1 Cor. XV., quo fecundus h mo de coelo adpellatur πνευματικός: Chriftus eft πνεῦμα *Sp tus* incarnatus, fermo caro factus, oppofite ad eos, qui e dicunt effe hominem ἔνθεον. Praecipuum argumentum f Joh. I: 14. *fermo caro factus, et habitavit in nobis*, fcilic in carne noftra, ficut animus nofter in corpore noft Vid. Gregor. Nazianz. epift. I. ad Celedonium, et Apol nar. ipfe apud Leontium: l. c.

§. CCXCVII. Has rationes qui adverterit, de alia haer fios origine, ac quam illae exhibent, non effe cogitandu facile perfpexerit. Veteres, more folito, fed inique, e ab odio Apollinaris in Epifcopum, a quo excommunica fuiffet, five ob nimium cum Eufebio Sophifta Laodice commercium, five quod Athanafio adhaereret, repetunt, S zomen. H. VI: 26. aliud habet Theodoret. H. V: 4. Qu omnia fponte corruunt, fi obfervetur, Apollinarem non n diu poftquam fuerit Epifcopus haerefin diffeminaffe, ita Athanafio non nifi fub vitae finem innotuerit, nec Epiph nio, nifi poft librum de *haerefibus* fere abfolutum, Vi etiam Bafnagius l. cit. Quod vero adfert Theodoretu pofterius eft erroribus jam damnatis. Primus, qui eos r

futav

futavit et condemnavit, est Athanasius, tum in concilio Alexandr. a. 362., tum in epist. ad Epictetum. Cum autem ibi nec nominetur Apollinaris, nec opinio ejus distincte, et ab aliis separata, exhibeatur, ejus errores nondum recte innotuisse, aut in publicam venisse notitiam, recte colligitur. Quid? quod a. 373. Basilius M. eos nondum sciverit, ut Benedictini in ejus vita recte observarunt. Deinde a Damaso in concilio Romano a. 374. damnatus est Apollinaris, cum discipulo ejus Timotheo. Exstat Epistola Damasi apud Theodoret. H. V: 10. sed, num in hac, an sequente Synodo a. 380., conscripta sit, incertum est. Spirare videtur tempora posteriora, cum Apollinaristas jam antea esse proscriptos innuat, Vid. Valesius ad Theodor. l. c. Postea in Synodis Antiochena, et CPol. oecumenica, rursus sunt damnati, ut ex canone hujus *primo* patet.

§. CCXCVIII. Sed tantum abest, ut ea ratione fuerit oppressa haeresis, ut latius divulgata sit, variasque Orientis Ecclesias occupaverit, cum per discipulos, Vitalem, Polemium, et Timotheum, tum per Monachos Armeniae. Illustriores discipuli, et sectae promotores, fuerunt Vitalis et Polemius, unde et Vitaliani ac Polemiani sunt adpellati. Vitalis primum presbyter fuit Antiochenus de clero Meletii, dein ibi Episcopus Apollinaristarum, Sozom. VI: 25. inter quem et Paulinum, Episc. Antiochenum, gravis orta est contentio, quam frustra componere conatus est Epiphanius: vid. haer. LXXVII. Deinde variis aliis in civitatibus per totum fere Orientem, a Cilicia usque ad Phoeniciam, conventus agere coeperunt. Tempore Gregorii Nazianzeni publicos habuerunt conventus sub Nectario Episcopo CPol., uti refert, sed taxat, Gregor. Naz. Orat. XLVI. Quando sese iis Monachi Syriae, Cappadociae, et aliarum regionum opposuerunt, ipse quoque Theodosius: sed sub Theodosio juniore, et in primis Marciano, longe majores fecerunt progressus, Theodoret. H. V: 38. et Lex Marciani in tom. IV. conciliorum. Vid. etiam de propagatione haeresios

Sozomen. VIII: 27. Denique Polemius et Timotheus novam traduntur condidiſſe ſectam: dicuntur enim naturarum confuſionem in Chriſto ſtatuiſſe, unde *Synuſiaſtarum* epitheton ipſis datum eſt, et Chriſto corpus coeleſte adtribuiſſe, Theodoret. haer. fab. IV: 9. vid. etiam Valentinus, Apollinaris ſectae Epiſcopus, apud Leontium l. c. Sed excerpta ex libris Timothei, quae ibi exſtant, illud falſo, et per conſequentiam, ei fuiſſe adfictum, demonſtrant. Inter eos vero, qui hos errores refutarunt, eminent Athanaſius epiſt. ad Epictetum, Corinthi Epiſcopum, et de *incarnatione Chriſti ac ſalutari ejus adventu.* Sed qui tractatus ſpurii ſunt, Gregor. Nazianz. Orat. XLVI, LI, LII. Gregor. Nyſſenus in Antirrhetico, Baſilius M. ep. 263. ad *Occidentales*, 265. ad Epiſcopos AEgypti exules, Epiphanius haer. LXXVII., Ambroſius de *myſterio incarnationis.*

PRISCILLIANISTAE.

§. CCXCIX. *Priſcillianiſtae*, ut ad alias haereticorum claſſes veniam, probe a Priſcillianis, qui Montaniſtae fuerunt, a Priſcilla denominati, diſtinguendi, nomen a *Priſcilliano* tulerunt, viro divite, ſed eruditione ac virtute claro, in Hiſpania. Qui, cum Marcus quidam AEgyptius Gnoſticiſmi, vel Manichaeiſmi, inter Epiſcopos AEgypti, poſt medium ſeculi ſatis vulgati, ſemina per Hiſpaniam ſparſiſſet, Agapen quoque, haud ignobilem foeminam, ac Helpidium Rhetora, ſibi devinxiſſet, iiſdem, ut fertur, erroribus infectus, occaſionem graviſſimorum praebuit motuum per Hiſpaniam et Galliam, qui de iſtius aevi Clericorum corruptione clare ſimul teſtantur. Cum enim haec ſecta valde proferperet, nonnullos etiam Clericos corrupiſſet, Idacius, Emeritae Auguſtae in Luſitania epiſcopus, de eo per Hyginum, Cordubenſem Epiſcopum, certior factus, concilium haberi curavit Caeſar-auguſtae a. 381., a quo damnata mox eſt haereſis, Epiſcopis quoque depoſitis, et Ithacio Soſſubenſi,

bensi, ac Idacio Emeritae, Episcopis, cura decretum exsequendi demandata est. Priscillianistae vero, inauditi condemnati, ut sese contra haec decreta firmarent, Priscillianum crearunt Episcopum, et separatam instituerunt Ecclesiam. Quo irritati Zelotae, Ithacius et Idacius, confugerunt, qui Zelotarum mos est, ad Inperatorem Gratianum, et edictum, quo Priscillianistae omnibus inperii regionibus expelluntur, inpetrarunt. Sed qui ad incitas redacti, Damasi Papae, et Ambrosii Mediolanensis, *quorum*, ut ait Sulpic. Sever., *tunc summa erat autoritas*, frustra expetito auxilio, ab eodem Inperatore, per Magistrum officiorum Macedonium, muneribus corruptum, contrarium inpetrarunt edictum, quo Ecclesiae ipsis redditae sunt. Reversi itaque in Hispaniam res suas valde firmarunt, et, ut Ithacius, nisi tanquam turbo puniri vellet, solum verterit, effecerunt. Qui, novi Inperatoris Maximi, inperii invasoris, adventu exspectato, a. 385. preces, invidiae ac criminum plenas, ut Sulpic. Sev. inquit, ad eum, Treviris agentem, detulit: quibus permotus Maximus Priscillianum et socios comparere jussit coram Synodo Burdegalensi, a. 385., a qua Instantius est depositus, Priscilliano, ad Principem provocanti, potestas concessa est: quod ipsi fuit exitiale. Ithacius enim et Idacius tanto eos apud Inperatorem persecuti sunt furore, accusatorum quoque persona adoptata, ut supremum in eos fuerit pronunciatum supplicium, et executioni mandatum: adeo ut alii fuerint necati, inter quos Priscillianus, alii exilio mulctati. Vid. etiam Pacatus in *panegyrico* Theodosii c. 29. Nec tamen non solum *repressa* est haeresis, ut Sulpicii verbis utar, *sed confirmata, et latius propagata.* Praeterea Priscillianus pro martyre a sociis est cultus, ut *per eum jurare* religio putaretur; inter Catholicos perpetuum discordiarum bellum exarsit, dum alii Ithacii facinus damnaverint, seseque ab ejus et sociorum communione separaverint, inter quos Martinus fuit Trevirorum, qui, referente Gregor. Turon. Hist. X: 31. *prohibuit Maximum,*

ne gladium in Hiſpaniam ad interficiendos deſtinaret haereticos, quibus ſufficere ſtatuit, quod a Catholicorum Eccleſiis eſſent vel communione remoti, et Ambroſius quoque Mediolanenſis, qui propterea cum Epiſcopis Maximi communicare noluit, ut ipſe teſtatur, epiſt. 24. et 26. ad Valentinianum et Irenaeum, alii vero illud defenderint. Vid. Sulpicius Severus, autor aequalis, in hiſt. Eccleſ., et vita Martini, ac dialog. III., unde ſuperiorem petii narrationem.

§. CCC. Errores, Priſcillianiſtis inputati, unice ex eorum adverſariis ſunt hauriendi, cum nulla eorum ſcripta aetatem tulerunt. Conſulenda itaque ſunt acta concilii Caeſar-auguſtani, nec non Toletani a. 400. habiti, praeterea Auguſtinus de haereſibus, et in libro ad Oroſium contra Priſcillian., nec non ſerm. 129. de *tempore*, Hieronymus contra Pelagianos, Leo M. Papa ep. 93. ad Turibium, et Vincentius Lirinenſ. in *commonitorio*. Quibus ſi fides ſit habenda, haereſis erat Gnoſticorum, Manichaeorum, et aliorum recocta. Tradunt enim, illos in doctrina de Trinitate eſſe Sabellianos, animas vero dixiſſe divinae naturae conſubſtantiales, corpora eſſe a malo ſpiritu, eoque non a Deo, ſed ex chao ſponte exorto: eſſe itaque a carne abſtinendum, et conjugio, ſevere jejunandum, etiam diebus dominicis. Addunt, eos magiae fuiſſe deditos, perjuria ſtatuiſſe licita, imo nudos fuiſſe orare ſolitos cum ſoeminis inpudicis, et *obſcoenis ſtuduiſſe doctrinis*. Ad quam Veterum narrationem obſervandum eſt, 1. quae de magia, obſcoenis doctrinis, inpudicis actionibus, et criminibus, referuntur, non tantum ſuſpectae eſſe fidei, ſed prope abeſſe, quin falſi queant convinci. Praeterquam enim, quod legitime non fuerint eorum criminum convicti, accuſatores peſſimi homines, et confeſſio per tormenta ſit expreſſa, nihil horum a conciliis citatis non tantum non memoratur, ſed a vita et moribus paſſim laudati fuerunt. Vid. etiam Beauſobre in diſſert. de *Adamitis*, ad calcem hiſt. concilii Baſileenſis Lenfantii, et

et in hist. Manich. l. IX. c. 9. Nec 2. quoad errores fides per omnia adhiberi potest Veteribus, cum, teste Augustino, Scripturam Vet. aeque ac Novi Testam. pro norma retinuerint, nihil in libris suis expresserint, quod non *sit Catholicum, aut multum a veritate alienum*, ut inquit August., denique Hieron. de Script. Eccles. referat, Priscillianum a nonnullis accusari Gnosticae haeresios, sed ab aliis defendi, *eum non ita sensisse, ut arguitur.* Accedit, eos, qui Priscillianum, ejusque socios, accusarunt, fuisse, ut Sulp. Sever. testatur, homines, *qui nihil pensi habebant, nihil sancti;* quique omnes *sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani discipulos aut socios, in crimen arcessere* solebant. Nec tamen, eos in nonnullis discessisse a Catholicis, inficias iverim. Forte ex. gr. Filium dixerunt *ἀγέννητον innascibilem*, animas esse naturae divinae participes, aut potius e Deo emanasse. Quibus erroribus nonnulli eorum, ad Ecclesiam conversi, renunciasse traduntur in concilio Toletano I.

MESSALIANITAE.

§. CCCI. *Messalianitae*, quorum notitia petenda est ex Epiphanio haer. LXXX. Theodoreto H. IV: 11. et haer. fab. l. IV. J. Damasceno haeres. LXXX., ubi capita doctrinae eorum, ex libro, vel libris, eorum collecta, ut autor adserit, exhibentur, Timotheo presbytero apud Coteler. in monum. Gr. tom. III., denique additis Euthymii Zigabeni anathematismis contra Bogomylos, qui sec. XII. hanc haeresin renovasse censentur, apud Tollium in Itiner. Ital. Messalianitae, inquam, si his monumentis credatur, parum abesse existimandi sunt ab hominibus, quos Galli AEgyptios et Bohemos, nos vulgo Ethnicos et Gentiles adpellare solemus. Ex Gentilibus originem repetere, dicit Epiphanius, qui unum Deum colebant, ejusque cultum in solis precibus constituebant, quibus sub dio, et in locis, haud absimilibus

profeuchis Judaeorum extra urbes, defungebantur. Qui, a Chriſtianis vexati, nonnullis quoque trucidatis, Chriſtiana confeſſione adoptata, et Chriſtianorum acceſſione aucti, Meſſalianis feruntur originem dediſſe, quod hi idem cenſiti fuerint tenere inſtitutum. De quo quicquid ſit, Meſſaliani narrantur, omnibus bonis abdicatis, errabundi vagari, et ſtipem petere, noctu, ſine ſexus diſcrimine, promiſcue cubare, cibum quovis tempore, fame aut libidine ſtimulante, ſumere, promiſcua uti, ſine nuptiis, venere; de quo tamen Epiphanius dicit, ſibi nihil eſſe compertum. Praeterea horrenda de iis refert Pſellus de *daemonibus*, quae excerpta exſtant apud Tollium, illis ſimilia, quae de epulis Thyeſteis, aliiſque, olim objecta fuerunt Chriſtianis a Gentilibus; nec majoris fidei. Praetereo alia ridicula et abſurda, quae de eorum dogmatibus et vita narrantur.

§. CCCII. Interea alia longe facie hi homines comparebunt, ſi, quae ex eorum ore profluxerunt, aut ex libris eorum ſunt excerpta, in medium proferantur. Praecipua eorum dogmata, ex illis fontibus hauſta, huc redeunt. 1. Animam hominis, qualis eſt a nativitate, et natura ſua, perſonaliter a Satana obſideri, adeoque eſſe Satanae et Serpentum domicilium. 2. Corruptionem eam, a primo homine ortam, propagari per parentes ad poſteros. 3. Eam nec baptiſmo, nec euchariſtia, nec ullo ritu, aut ſacramento alio tolli poſſe; adeoque Templa et caerimonias non eſſe ſalutis media, aut magnae utilitatis. 4. Sed ſola oratione, et precibus, hominem liberari. 5. Tunc quidem, cum Spiritus S. in animam illabitur, ita ut ſe perſonaliter cum ea uniat, et ſenſu percipiatur. 6. Per hanc Spiritus participationem liberari hominem ab omni perturbatione mentis, et inclinatione ad malum. 7. Liberato autem, ac a Spiritu obſeſſo et ducto, nec jejunia eſſe neceſſaria, nec doctrina inſtruente ac informante opus eſſe, multo minus 8. Templis, externiſve ritibus. Concinit aliquatenus, quod Anaſtaſius Sin. vel quiſquis autor eſt, ſec. VI. in *Quaeſtionibus*, quaeſt.

quaest. II. habet: *postquam homo factus fuerit templum animatum, recedit, Deum gestans, anima, ab omni desiderio Ecclesiarum et Synaxeon, et festorum humanorum: intus enim in se habet Patrem, et Filium Pontificem, et Spiritum vere ignem, intus verum sacrificium Deo — — intus altare, et propitiatorium peccatorum* etc. Profert dein similia loca ex Patribus. Imo 9. eousque perfici aliquando sanctos, ut futura praevideant, et Trinitatem oculis intueantur. Alia mitto, ut quod *ignem* dicantur agnovisse *conditorem*, sive quod principium putaverint esse materiale, sive Deum igneae subtilissimae esse naturae. Tradit vero Theodoret. in Philothio, Euchitas sub monastico habitu laborasse morbo Manichaeorum.

§. CCCIII. Huic descriptioni nomina eorum, et instituta, recte conveniunt. Adpellantur Messaliani, a voce מצלין, qua significantur εὐχίται, εὐχόμενοι, εὐφημίται, quia toti erant in precibus et hymnis; praeterea dicuntur ἐνθυσιάσται *Enthusiastae*, quod spiritum se possidere, et ab ipso inmediate agi, dicerent; etiam ἐγκρατίται *Encratitae*, quod a nuptiis et animatis abstinerent. Ceterum, quo sensu intellexerint, quae modo adtuli, dicere non habeo; possunt in meliorem, sed et deteriorem, verti partem. Videntur fuisse Enthusiastae, mystici, Spirituales; quae nomina sequentibus seculis magis innotuerunt. Esse quoque potest, ut, omnibus renunciantes, de eleemosynis vixerint, conjunctim quoque et promiscue, seseque ab externa Ecclesia, externis ritibus penitus obscurata, et quasi oppressa, separaverint, licet, se communionem Ecclesiasticam cum Ecclesia publica non fugere, sed, non obstante opinionum discrimine, cum omnibus eam exercere posse, et sacramentis licite uti, adseruerint, teste Theodoreto l. cit., qui etiam tradit, eos cruda illa dogmata, sibi inputari solita, a se removere. Interea, Catholicos ab hac secta fuisse alienissimos, et odio eam persecutos, nemo miretur, qui, eam externis ritibus adeo fuisse adversam, ad animum revocaverit. Quae de sectae origine tradit

tradit Epiphanius, pro incertis sunt habenda: licet inter gentiles similis generis esse potuerint, qui sese huic sectae lubentius, quam reliquis Christianis, adjunxerint. Sunt, qui Essenos fuisse volunt, quos Epiphanius fecit gentiles, ut Scaliger in *elencho trihaeres.* c. 28. Utique inter Essenos Judaeorum, et Messalianos Christianorum, multum est simile: Sed absurdum quoque non est, fuisse, qui spiritualem Christianae religionis nativam faciem in externos ritus, et superstitionem, degenerare perspexerunt, et in aliud delapsi sunt extremum. Quales per omnia fuerunt secula. Ceterum orti sunt sub Constantio secundum Epiphanium, vel sub Valente et Valentiniano secundum Theodoretum: et praecipui autores memorantur Dadoes, Sabbas Adelphius, unde nomen Adelphianorum, Hermas, Symeon, alii, apud Theodoret.; qui etiam refert, eos multa infecisse monasteria, et per varia loca fuisse dispersos in Mesopotamia, Syria, et aliis regionibus. Nec defuerunt, qui eos refutarunt, etiam expulerunt, ut Letoius Melitinensis Episcopus, Amphilochius Iconiensis, collecta Synodo Sidetana, vel Sidensi, in Pamphilia, a. 383. Flavianus Antiochenus, Atticus CPol., alii. Vid. Photius Bibl. cod. LII.

ANTIDICO-MARIANITAE ET HELVIDIANI.

§. CCCIV. Quantopere haeretificii morbo laboraverint hoc seculo Christiani, et quousque nomen haereseos extenderint, ex sequentibus haereticis, Helvidianis et Jovinianistis, ulterius confirmabitur: de quibus disserendum restat. Qui Mariae titulum negarunt ἀειπαρθένου *semper virginis*, eamque post Dominum Jesum peperisse ex Josepho liberos statuerunt, cum quod Christus adpelletur *primogenitus*, tum ad illud usque tempus, donec peperisset Jesum, Maria tantum a Josepho non cognita memoretur, tum quod fratrum Christi

Christi fiat mentio, in haereticorum classem relati sunt: moderatius tamen judicante Basilio M. in homilia de *nativitate* Christi, qui minoris momenti esse eam quaestionem adserit, modo ea Basilium habeat autorem, quod Benedictini, novissimi Basilii editores, negant in praefatione. Adpellati sunt, quibus haec haeresios nota est inusta, ἀντιδικομαριανῖται *Antidicomarianitae*, seu adversarii Mariae; quo nomine eos refutavit, sed suo more, Epiphanius haeres. LXXVIII. In specie vero ejus agitur reus Apollinaris apud Epiphanium, Eunomius apud Philostorg. H. VI: 2. et Helvidius, Auxentii Ariani discipulus, teste Gennadio in *viris Illustribus*, quem Hieronymus in libro contra Helvidium sumsit refutandum: unde Helvidianorum fluxit nomen, teste Augustino haeres. c. 84. Praeterea Jovinianus, qui, ut, virginitatem non esse conjugio praeferendam, fortius urgeret, in eum censetur lapsus errorem: quem refutavit quoque Hieronym. in libro contra Jovinianum, de quo mox, et damnavit Synodus Mediolanens. a. 390. sub Ambrosio, cujus epist. Synodica ad Siricium Papam superest. Sed praeterquam quod Siricius Papa ejus non meminerit, Epistola Ambrosii et sociorum ad Siricium Joviniano tantum inputat, quod Mariam quidem agnoscat *concepisse* Christum tanquam virginem, sed non qua talem *generasse*, ut loquitur, seu peperisse, adeoque modo ordinario, vulva rupta, peperisse, nec mansisse virginem per partum. Quam opinionem, ibi, et ep. LXIII. ad Vercellenses, ac alibi, ut de *institut. virginis*, reprehendit Ambrosius. Qui tamen, ad Luc. II. l. II. §. 57. dicit, Christum *aperuisse matris suae vulvam, ut inmaculatus exiret*, sed Veteres sibi semper non constant. Denique Bonosus, Sardicensis in Dacia Episcopus, ut recte Garnerius ad Marium Mercat. tom. II., in Synodo Capuensi damnatus a. 392. Vid. Ambrosius ep. LVI. Bonosianis etiam inputantur Photini errores contra divinitatem Christi, sed magis per consequentiam, ex negata perpetua virginitate Mariae, quam

ex vero: uti ipse Maria Merenda de *gestis et scriptis* Damasi agnoscit. Bonoso tantum imputatur, quod Mariam negaverit mansisse post partum Christi virginem, in Synodo Capuana, et Epistola Syricii Papae apud Ambrosium l. cit.

JOVINIANISTAE.

§. CCCV. *Jovinianus*, primum Monachus Latinus, dein lautius paulo vivens, praeter errorem modo memoratum, tenuit, inter virginitatem, aut coelibatum, et nuptias, inter jejunia et moderatum creaturarum usum, nullum, quoad meritum apud Deum, esse discrimen: quare haereticorum numerum augere debuit. Imputatur quoque ipsi opinio de peccatorum aequalitate, et graduum beatitatis nulla differentia, sed per consequentiam tantum, quod merita jejuniorum, et innupti status, sustulit. Additur, ex ejus opinione, baptizatos et regenitos peccare non posse, quia dixit, eos eo statu non excidere. Vid. Augustin. haeres. 82. et lib. II. *Retractation.* ac *de bono conjugali*, in primis Hieronymus contra Jovinianum. Propter hos errores, ut tunc fuerunt habiti, ipse cum adseclis damnatus est a Siricio Papa in Synodo Romana a. 390., et mox in Synodo Mediolanense, sub Ambrosio a. 391. Epistolae Siricii et Ambrosii hac de re exstant inter Ambrosianas, 41. Siricii Papae ad Ecclesiam Mediolanensem, ac 42. responsoria Ambrosii, et sociorum. Cum autem Jovinianus non cessaret conventus extra muros Romae agere, plumbatis caesus, et relegatus est in Dalmatiae insulam Boam, et ejus adseclae in varias alias insulas exacti sunt, lege Honorii in cod. Theodos. de *Haereticis*. Scripsit duos libros Romae, sed quorum, praeter argumentum et pauca fragmenta, apud Hieronymum l. c. nihil superest. Fecit tamen Jovinianismus ingentes progressus, ut ex Hieronymo et Augustino patet. Memorat etiam, et acriter perstringit, duos Monachos apostatas Sarmationem,

tionem, et Barbatianum, Jovinianistas factos, Ambrosius LXIII. ad *Vercellenses*.

AUDIANI.

§. CCCVI. *Audianos*, ab Audio, vel Audaeo, quod idem nen est ac Thaddaei, Mesopotamenorum apostoli habiti, nominatos, subjungo haereticis, et schismaticis praemitto, a, cui classi sint adscribendi, secum dissentiunt Veteres. ique Epiphanius haeres. LXX., eumque secuti alii, ut Damascenus, autor Praedestinati, adpellant schismaticos, d non tam propter haeresin, quam unionem cum Ecsia ruptam, separati sint ab ea. Originem ab *Audio* Meotameno repetunt, viro severioris devotionis, qui, quod ruptos Clericorum mores ferre non posset, simul repreaderet, in primis divitias, et earum amorem in Episco- et Clericis, in eorum incurrit odium, ita ut tandem seatos instituere coetus fuerit coactus. Sed Deo traduntur quid corporei adtribuisse, imaginem Dei in homine ad pus extendentes, et dicta Script. S. de Deo ἀνθρωποπα· *humanum ad morem*, nimis crasse intelligentes: unde *Anomorphitarum* titulus ipsis adhaesit: Augustin. de *haeresi*. In reliquis eos fuisse Orthodoxos, et eum ipsum erron tanti non esse faciendum, ipse Epiphanius agnoscit. nique pascha, tempore Judaeis usitato, esse a Christianis lebrandum, et Catholicos illud in gratiam Constantini le mutasse, opinati sunt. Theodoret. H. IV: 10. vero ruptionem morum Cleri pro praetextu habet, et Maniceismum ipsis inputat, quod Deum tenebrarum, et ignis, averint esse conditorem. Qui in eo etiam errat, quod udaeum sub Valente demum in lucem prodiisse referat, m Epiphanius a tempore concilii Nicaeni repetat, qui, terum sectae post Audaeum caput Uranum jam suo temre occubuisse testatur. Hieronymus vero in *Chronico* di, celebrem fuisse Audaeum a. 341. Refert praeterea

Epiphanius, eos in Scythiam fuisse relegatos, eaque occasione in Gothiae interiora penetrasse, multosque ad Christianismum convertisse; unde postea cum reliquis Christianis expulsi vixerunt in monasteriis circa Euphratem, severiori disciplinae, et puriori vitae, addictissimi. Interea suo tempore paucissimos superesse testatur, imo ne nomen quidem suo tempore fuisse notum, adfirmat Theodoretus haeret. fab. IV., qui puritatis morum respectu minus favorabile ipsis praebet testimonium. Interea notari meretur, inter Monachos AEgypti fuisse plurimos Antropomorphitas, teste Cassiano collat. X. c. 2. Vid. etiam Sozomen. H. VIII: 11. Ceterum de haeresi Audianorum conferri quoque meretur J. Schoederus, in Bibl. haeresiol. Vogti.

SCHISMATA.

DONATISTAE.

§. CCCVII. Donatistarum hypotheses, quas ante exhibebo, quam eorum historiam, satis notabilem, tradam, non ex eorum libris, quorum nulli, licet plures conscripserint supersunt, sed partim ex adversariis, partim ex fragmentis, hic illic obviis, praecipue ex collatione illa celeberrima Carthagin., de quibus omnibus postea erit agendum petendae sunt. Fuit autem inter ipsos et Catholicos non circa aliquod dogma fidei controversia, sed circa Ecclesiam. Theodoretus haeret. fab. IV: 6. eos Arianis quidem adnumerat in fide Trinitatis: sed Augustinus haer. LXIX. illud Donato, tanquam ei privum, tribuit, nec Arianismum sed Semi-arianismum, scilicet, Filium esse quidem ejusdem substantiae, sed Patre minorem, et Spiritum S. Filio. Quod quo sensu intellexerit Donatus cum taceat, illud seponendum est. Cresconius apud Augustin. contra eum l. III. c. 38. Donatum interfuisse concilio Sardicensi, eique subscripsisse, tradit, sed fueritne Donatus Carthaginensis, an alius, pro incerto

incerto habet Augustinus, et diserte ibid. addit, de Trinitate nullam esse inter Donatistas et Catholicos quaestionem. Alibi vero refert Serm. 183. de *Scriptura*, Donatistas Filium negare Patri aequalem, sed plurimos fateri. Hieronymus autem de Scriptor. Eccles. habet, Donatum in libro de *Spiritu S.* tradere, quae Ariano dogmati congruunt. Sed haec nimis generalia sunt et vaga.

§. CCCVIII. Quaestio circa Ecclesiam, quae Catholicos et Donatistas secum commisit, et tam funestum peperit schisma, non fuit de ejus *natura*, sed *notis* characteristicis. Quod ut clariore donetur luce, communes utriusque partis opiniones praemittam, ut de privis rectius judicetur. Hypotheses, quas Donatistae aeque ac Catholici de Ecclesia foverunt, sunt sequentes. 1. Ecclesiam solos sanctos, vere sic dictos, pro genuinis suis membris, agnoscere. 2. Hypocritas itaque non esse de Ecclesia. 3. Sanctos, in externam societatem collectos, per eandem fidei confessionem, eadem sacramenta, et regimen, constituere Ecclesiam. 4. Unionem itaque, licet fidem et charitatem pro hypothesi habeat, sitam proprie esse in externis illis rebus et ritibus. 5. Habere quoque eam unionem bona spiritualia et salutaria secum conjuncta, et per eam cum membris Ecclesiae communicari, adeoque sacramenta, tanquam media, conferre ipsam gratiam salutarem. 6. Denique, eam unionem per consequens esse absolute necessariam ad salutem, si ordinariae salutis viae ratio habeatur. Has opiniones utrique parti fuisse communes, cum in libris Dissert. S., l. III. c. 7. etc. fusius illustraverim, et demonstraverim, hac opera supersedere possum.

§. CCCIC. Quod ad privas sententias, quae schisma constituunt, adtinet. 1. Principalis fuit controversia de *nota* characteristica verae Ecclesiae: quam Catholici in Catholicismo, seu *universalitate* per orbem, quaesiverunt, sed Donatistae in *sanctitate*, non tamen ita, acsi hypocritae in vera Ecclesia latitare non possent, quod non negarunt, sed

quod manifeſti peccatores in ea eſſe nequeant, adeo ut, ſi tales tolerentur, tota Eccleſia per eorum communionem, ſecundum ipſos, reddatur polluta et falſa. Catholici contra urgebant, malos bonis eſſe mixtos in Eccleſia ſine diſcrimine, nec inde, ſed ex Catholiciſmo, veram Eccleſiam eſſe dijudicandam. Ceterum, quod dixi, hypocritas, ex mente Donatiſtarum, latitare poſſe in Eccleſia, manifeſtum eſt ex ipſis eorum verbis in Collat. Carthag. tertia; ipſi etiam Catholici in collat. prima agnoſcunt, et Auguſtinus in breviculo collat. III. c. 8. de ipſis fatetur. Sed Catholici, manifeſtos malos adeſſe poſſe in Eccleſia, nec eorum communione eam pollui, aut deleri, ſtatuerunt, et variis demonſtrarunt rationibus. De quo etiam expoſui fuſius in Diſſert. S. l. c. 2. Ex hac principali quaeſtione ortae ſunt aliae acceſſoriae de *nullitate ſacramentorum, et baptiſmi iteratione.* Donatiſtae in principio non defenderunt, baptiſmum, ab indignis miniſtris collatum, eſſe nullum, adeoque iterandum, ſicut et Catholici, ſacerdotum vitia non obeſſe ſacramentis, ſtatuerunt, ut recte advertit Rittershuſius ad Iſid. Peluſii et l. II. ep. 37. ſed in falſa Eccleſia adminiſtratum pro tali habendum eſſe. Vid. Creſconius apud Auguſtin. contra eum l. III: 15. et Optatus Milevitanus contra Donat. l. II. Sed poſtea videtur ulterius ad ipſos manifeſtos peccatores extenſum. Epiſcopos vero Mauritaniae Donatiſticae ſectae non niſi poſt tempora Macariana a. 349. incepiſſe rebaptizare Catholicos, in odium illorum temporum, ex Auguſtino obſervat Valeſius, de quo mox. Catholici vero ſacramenta, extra Eccleſiae communionem adminiſtrata, nullius eſſe utilitatis aut fructus, adſerebant quidem, quamdiu baptizatus extra Eccleſiam manebat, ſed *iterationi* contradicebant, ſecus ac Africani tempore Cypriani; ſed illegitimum et inutilem baptiſmum, talem eſſe ceſſare, et fieri ſalutarem, cum ad Eccleſiam Catholicam accedebant baptizati, ſtatuerunt hoc tempore communiter Catholici. Quibus autem rationibus ſecum decertarint, expoſui in libr. Diſſ. l. c. Fauſtus

Semi-

Semi-pelagianus de *libero arbitrio* lib. I. c. 15., quod notatu dignum est, adserit, *haeretico, in Trinitatis nomine regenerato, tantum per se virtutem ipsam mysterii conferre, ut, si postmodum ad Christi fidem transeat, baptismatis iteratione non egeat, sed ita operante gratia ablutus judicetur, ut tantum benedictione chrismatis induatur.* 3. Denique consequens fuit quaestio de *separatione*, quam, ubi manifesti mali in Ecclesia sunt, et tolerantur, esse instituendam, tenuerunt Donatistae, negarunt Catholici, qui, e contra, Ecclesiam Donatistarum per ipsam illam separationem fieri falsam, censuerunt. Hypotheses Augustini hac de re repraesentavi in lib. I. Diss. S. l. c.

§. CCCX. Historia Donatistarum, ad quam summatim enarrandam, utriusque partis opinionibus in lucem protractis, pergo, petenda est ex antiquis monumentis, quae collecta sunt a Benedictinis, et tom. IX. Oper. Augustin. junctim edita, nec non a Dupinio ad calcem Optati Milevitani: praeterea consulenda sunt *gesta* collat. Carthag. a. 411. Scripta Augustini contra Donatistas Oper. t. IX. et Optatus Milevitanus contra Ipsos: de quo ad sec. seq. Ex recentioribus adeundi sunt Valesius ad calcem Eusebii H. E., sed qui ad concilium Nicaenum usque tantum perduxit, H. Norisius in historia Donatist. posthuma Oper. ejus tom. IV. Balduinus in historia collationis Carthagin. ad calcem Optati edit. Paris. T. Ittigius Heptadis diss. II., alii satis noti. *Origo* schismatis, a qua incipio, repetenda est, vel occasio, ab electione et ordinatione Caeciliani Episcopi Carthagin. in locum Mensurii, per Felicem Aptungitanum, a. 311., vel 312. facta; cujus temporis criteria sunt apud Optatum obvia, quod Maxentius ante illud tempus non fuerit Africa potitus, et persecutioni finem inposuerit, quae duo criteria electionis Caeciliani ex Optato constant. Displicuit haec electio Caeciliani, qui Archidiaconus Carthagin. erat. 1. Botro et Celeusio, qui Episcopatum ambiebant. 2. Lucillae, potenti admodum et superstitiosae

foeminae, quae Caeciliano irata erat, quod ipse, adhuc di conus, eam, ob ritum superstitiosum, quo ossa martyris a cujus, ante usum eucharistiae, deosculari solebat, objurg verat, et ad Episcopum detulerat: ut refert Optatus: qu ipsis Donatistis a J. Damasceno, et aliis, male adscribitu Harmenopulus *in jure Graeco-Romano* Leunclavi, nihil ali Donatistis inputat, quam quod *os in manu tenentes prius* (*culentur, et sic receperint sacramenta.* Denique 3. Secun Tigisitano, totius Numidiae Primati, aegre fuit, quod or natus fuerit Caecilianus, non a se, sed a Felice: displice et aliis Numidiae Episcopis, quod non fuerint ad ordi tionem convocati. Episcopi, a Lucilla opibus corrupti, et v hementius in Caecilianum inflammati, ut ex gestis apud Z nophilum consularem refert Augustinus, *de unitate Eccles* c. 18. in unum coacti, septuaginta numero, eodem tes in *breviculo collationis*, Caecilianum ad causam dicendam cit runt, eumque, cum non compareret, sive quod adversari se sistere nollet, sive ab Ecclesia inhiberetur, condemn runt absentem, tanquam Episcopatu indignum, cum quod traditoribus, quo crimine reus censebatur Felix Aptungit nus, esset ordinatus, tum ipse quoque, adhuc Diaconu sese inmisericordem ac saevum praebuisset Martyribus, in actis Martyrum Saturnini et Sociorum apud Baluziu Miscell. t. II., a Donatista hoc seculo conscriptis, narratu Quo facto, electus est a parte Donati, ut loquebantu Majorinus, domesticus Lucillae, qui antea Lectoris mune functus fuerat, simul schisma est consummatum, et conf matum, quod antea jam aliqua ratione inceperat tempo Mensurii, qui pro traditore etiam habebatur, quatenus a qua fuit facta separatio, sed semi-plena, cum interventor habebant, non Episcopum: quem a Catholicis dicebant o cisum esse, apud Augustinum epist. 163., qui necem ill in dubium vocat. Praecipui vero schismatis autores, pra ter Lucillam, fuerunt duo Donati, alter Episcopus de C sis nigris in Numidia, ab a. 313., alter, postea Episcop

Carthagi

Carthagin. a. 328.: qui duo probe distinguendi sunt. Refert autem Augustinus in libr. *Retractationum*, illum schisma jam incepisse, Caeciliano adhuc Diacono. Ex quo simul elucescit, causam schismatis non fuisse Episcopatus ambitum, sed quod Caecilianus fuerit indignus habitus. Fundatum itaque illud fuit in *facto*, *et jure*: unde duplex fuit nata controversia, quae partes semper exercuit, *una* de criminum, Caeciliano et Felici inputatorum, veritate, *altera* de sufficiente ratione schismatis propter ejusmodi crimina: utrumque negarunt Catholici, defenderunt Donatistae.

§. CCCXI. Progressum et fata schismatis, per seriem Episcoporum Carthaginens. Donatisticae factionis, enarrare instituo. Primus, ut dixi, fuit *Majorinus*, qui quamdiu sedem tenuit, adpellati fuerunt *pars Majorini*, sicut postea *pars Donati*, cum is ei successit. Vid. Augustin. epist. 68. et libellus eorum supplex ad Constantinum M., apud Optatum Milev. lib. I., ubi se ipsi episcopos *partis Majorini* nuncupant. Majorino sedente quae gesta sunt, strictim enarrabo. 1. Concilium Romae in domo Faustae in Laterano fuit habitum a Miltiade, Marco, Reticio, Materno ac Marino, Galliae Episcopis, cum quindecim Italiae a. 313., quo Caecilianus est a criminibus purgatus, causa Felicis Aptungitani intacta relicta, Donatus vero a Casis depositus, quia, se rebaptizasse, et lapsis Episcopis manus inposuisse, fuit confessus, reliqui partis Majorini, si ad unitatem redire vellent, in muneribus sunt relicti. Demandata est haec cognitio Miltiadi et Marco, qui quis fuerit incertum est, ad quos exstat Epistola Constantini apud Euseb. H. X: 5., ac Episcopis Galliae a Constantino, cui libellum supplicem obtulerant Episcopi partis Majorini, una cum accusationum libello contra Caecilianum, quo et Episcopos Galliae in specie petierant Judices, quia, cum ibi non viguerat persecutio, traditores inter eos non erant. Quos libellos ad Constantinum misit Anulius Proconsul Africae, cujus epis-

tota ſuperest apud Auguſtin. epiſt. 68. Hiſtoria com
petenda eſt ex collat. Carthagin. IIItia, Optato, et .
guſtino ep. 50. et 172. De cauſa illegitime ibi diſcuſſa c
quererentur apud Conſtantinum, quod vult Valeſius, :
ab eo concilio ad Inperatorem adpellarent, quod veri
et a Pagi ad Baron. poſt Schelſtratium eſt comprobatu
aliud concilium indixit Conſtantinus Arelatenſe in Ga
a. 314., cui praefuit Marinus, Arelat. Epiſcopus, et le
ti Papae Sylveſtri interfuerunt, ſed reliqui erant maxim
partem Galliarum Epiſcopi; in univerſum 34 memorar
in Epiſt. Synodica, licet plures exhibeant ſubſcriptiones,
forte adfuerint, ut Launoius, l. V. ep. 1. et aliis in tract
bus diſputat. Auguſtinus adpellat *plenarium* concilium. C
firmatum in eo eſt judicium ſuperius, et Donatiſtae par
damnati, partim repulſi, ſunt. Exſtat Epiſtola Conſtan
ad Ablavium vicarium Africae, vel, ut alii, ad Aelian
Proconſ., et ad Chriſtum, Syracuſanorum Epiſcopum, de
nodo Arelat. convocata, et geſta ejus reperiuntur in ej
tola Synodica ad Sylveſtrum Papam. Quae monumenta p
ſtant tom. IX. Oper. Auguſtini, ubi etiam Epiſtola C
ſtantini ad Synodum comparet, in qua Donatiſtarum
ſtinationem perſtringit, ſed tempus optionis vult conc
ſchiſmaticis, velintne Eccleſiae accedere. Interea ca
Felicis Aptungitani, durante hac Synodo, diſcuſſa eſt
ſu Inperatoris ab Aeliano Proconſ., et ex omnibus
cumentis, inprimis geſtis Municipalibus, innocentia F
cis deprehenſa, et comprobata, ac ad Conſtantinum m
Exſtant geſta purgationis Felicis, ſed mutila, apud O
tum et Auguſtinum, l. c. etiam in Miſcellan. Bal
tom. II.

§. CCCXII. 2. Donatiſtae nondum contenti, cum Inp
torem continuo interpellarent, ut Ipſe de cauſa judicar
tandem conſenſit, et partes litigantes Romam evoca
Cum autem Caecilianus tam cito non compareret, et I
natiſtae fruſtra urſiſſent, ut abſens judicaretur, illi, In
ratoi

ratorem ſibi minus favere ſuſpicati, ſe fuga ſubduxerunt, nonnullis retentis. Quando, Caeciliano Mediolanum ire juſſo, Conſtantinus ibi judicium tulit, quo Caecilianus eſt abſolutus, et accuſatores ejus pronunciati ſunt calumniatores. Contigit illud a. 316. Vid. Auguſtin. contra *Creſconium* III: 71. et epiſt. 162. 3. Cum nec ſic quieſcerent Donatiſtae, ipſius quoque Conſtantini judicium inſimularent, ſcripſit non tantum ad Epiſcopos Africae et plebem litteras, quae in adpendice Optati exſtant, quibus ad patientiam exhortatur contra Donatiſtas tumultuantes, et Catholicos vexantes, nec non aliam Epiſtolam ad Epiſcopos Numidiae, de violentia conqueſtos, in ſpecie quod Baſilicam a Conſtantino *Conſtantinae*, antea Cirtae dictae, exſtructam, occupaſſent Donatiſtae, qua novam aedificari ſumtibus publicis concedit; ſed et ſeveriorem publicavit legem contra eos, qua loca congregationum eorum ſunt fiſco adjudicata; cujus mentio eſt in Cod. Theodoſ. *ne iteretur baptiſma*, et apud Auguſtin. adverſus Petilianum II: 92. Quae acta ſunt a. 317. vel 318. Cum autem Silvanus, Conſtantinae Epiſcopus, haberetur praecipuus turbo, ſimul tanquam traditor eſſet accuſatus, ac damnatus, a Zenophilo Conſulari Numidiae, quae geſta apud Zenophilum exſtant in adpendice Optati, et apud Auguſtin tom. IX., ipſe cum aliis ab Imperatore in exilium eſt miſſus a. 320., ut probat Valeſius, quibuſdam etiam ad ſupplicium ductis: quod Hoſio ſuggerenti imputat Parmenianus apud Auguſtin. contra eum l. I. c. 8. Qui tamen exules, libello ſupplice oblato, revocati ſunt a. 321., conceſſa quoque ipſis libertate conſcientiae, teſte Auguſtino in Breviario collat. c. 21. et epiſt. 152. Ne ſic tamen ceſſarunt novos concitare tumultus, ad quos reſpexit Euſeb. vit Conſt. I: 45.

§. CCCXIII. *Donatus*, qui Majorino a. 329., ſecundum Hieronymum in Chronico, ſucceſſit, ab Optato quidem depingitur, l. III. tanquam intolerabili faſtu plenus, ſed a Titiano advocato apud Auguſtin. contra Creſconium III: 56. c.

laudabili ornatur encomio, a quo tempore *pars*, vel *ex parte Donati* sunt adpellati, sicut antea Majorini. Quo sedente longius videtur haec secta sparsa, et majores acquisivisse vires. Utique Synodus a Donato celebrata est Carthagine, cui illius partis interfuisse dicuntur 270 Episcopi, apud Augustinum epist. 48. ad Vincentium. Qua in Synodo decretum est, ut traditoribus, si rebaptizari nollent, communicaretur. Quae Synodus habita est, non a. 308., ut vult Baronius, sed postquam Donatus esset Episcopus, non ante ann. 330., ut probat Valesius. Misit quoque Donatus Victorem Garbiensem Romam, ut Ecclesiae Donatisticae ibi praeesset Episcopus, cui successerunt deinceps alii. Cum autem ibi extra urbem congregationes haberent in campis, speluncis, et montibus, adpellati sunt *montenses*, August. de haeres., Hieronym. adversus Luciferianos, et Optat. l. II. etiam *Rupitae*, Augustin. de *unitate Ecclesiae* c. 3., qui eos epist. 53. edit. Bened. nuncupat *Curupitas*, rectius forte *corrupitas*, simul in rupibus habitantes, uti *corregionales* apud Augustin. ep. 60., et quae similia sunt. Missum denique in Hispaniam esse Episcopum, patet ex Augustino de *unitate Ecclesiae*, et contra Petilianum.

§. CCCXIV. Sed, quod tempus ejus commaculavit, orti sunt sub ipso *Circumcelliones*, vel *Circelliones*, sic dicti a Catholicis per contentum, quod victus causa circum cellas rusticanas vagarentur, Augustin. contra Gaudentiun. I: 18. et ad Ps. CXXXII. Ipsi autem se *Agonisticos* adpellarunt, ut tradit Augustin. ad Ps. cit. Hi homines depinguntur, ut agrestes, saevi, et furibundi, in Ecclesias, domos, et viatores irruentes, vastantes, et vexantes. Quo fini erant *fustibus*, quos Israelem adpellabant, armati, et deinceps ferro, lanceis, et gladiis: sed et sibi ipsi, ac sibi invicem, narrantur necem subinde intulisse, quae martyrii in ipsorum oculis erat species. De quibus, eorumque facinoribus, saepe agit Augustinus, uti contra Gaudentium l. c. Petilianum II: 96. Cresconium III: 42. Parmenian. II: 6. et variis

in

in Epiſtolis, etiam Optatus l. III. et Theodoret. haeret. fab. IV: 6. Fuiſſe autem Donatiſtas innuit Auguſtinus contra Petilianum II: 14, 20. Sed eorum tantum ope uſos fuiſſe Donatiſtas, ad repellendas injurias, tradit Optatus l. c. Ipſi Donatiſtae eos ad ſe pertinere negarunt, apud Auguſtinum contra Petilian. l. II. c. 47.

§. CCCXV. Contigit quoque ſub Donato, a. 347. famoſa illa Donatiſtarum perſecutio, Macariana adpellari ſolita, a Macario nomine tracto, qui cum Paulo fuit a Conſtante in Africam legatus, ut eleemoſynas erogarent pauperibus, et Eccleſias Africanas ad unitatem redigerent. Sed quod vi ab ipſis fuiſſe factum, et Donatiſtas eo tempore, fidei cauſa, multa paſſos, etiam mortem, tradunt Donatiſtae. Inter eos vero, qui Martyrio ſunt adfecti, celebrantur in primis Donatus Bagaïenſis et Marculus, cujus poſterioris paſſionis acta edita ſunt a Mabillonio in *Analectis*. Verum Optatus l. c. cauſam inputat Donatiſtis, quorum pertinaciae ac tumultibus acceptam refert hanc calamitatem; et omnia inſciis Catholicis eſſe facta teſtatur. Cum legati, modo memorati, milites a Sylveſtro Comite petiiſſent contra circumcelliones, illi, a Donatiſtis injuria adfecti, vindictam ſumſiſſent, et inde orta fuiſſet perſecutio. Auguſtinus vero contra Petilian. II: 13, 20. dubitat, num Donatus et Marculus a militibus ſint occiſi, an ſibi, ut circumcelliones, manus intulerint ipſi. Sed Donatiſtis Macariana tempora ſemper in ore fuerunt tanquam perſecutionis, et Eccleſiam Africanam non Catholicam amplius, verum *Macarianam*, dixerunt adpellandam eſſe; teſte Auguſtino ep. 49. ad Honoratum. Ceterum per hanc perſecutionem, et praecipuorum ſectae Donatiſticae virorum, inter quos ipſe Donatus Carthagin., relegationem factum eſt, ut pace fuerit gaviſa Eccleſia Africana, etiam concilium a. 248. a Grato Epiſcopo Catholico celebratum Carthagine, in quo canones ſunt contra Donatiſtas, et Circumcelliones, conditi: de quo ſupra, ubi de Synodis. Poſtea a. 361. ſub Juliano revocati, et

et ad Ecclesias reversi, multis modis vexarunt Catholicos: ut Optatus refert.

§. CCCXVI. *Parmenianus*, qui Donatum in Episcopatu Carthagin. excepit a. 368., vel circa 370., celebrem sese scripto libro pro causa Donatistica praestitit; quem ipsi refutandum sumsit, sec. sequente, Optatus Milevitanus. Sed sectae perniciosum fuit, quod in partes fuerint divisi, ipso sedente, Donatistae. *Tichonius*, licet Donatista, Ecclesiam censuit toto orbe esse diffusam, et non tantum in Africa, nec per hominis effici posse, vel sceleratissimi, inprobitatem, uti hic Catholicismus cesset, quem ab hac sententia frustra conatus est abstrahere Parmenianus. Ex scriptis Tichonii, quorum meminit Gennadius de *scriptor. Ecclesiast.*, supersunt tantum ejus *regulae*, ad Script. S. intelligentiam vestigandam, in Bibl. Patrum, quas ad examen revocavit Augustinus, de *doctrina Christiana* l. III. c. 30. Peperit quoque *Rogatus* de ipso dictos Rogatianos, vel Rogatistas, ab ipsis Donatistis persecutionem passos a. 371. Vid. Augustinus ep. 48. 164. et alibi, qui eos inepti erroris agit reos, quo statuissent, nemini peccata dimitti, nisi invenerit latentem in Mauritania Vincentium, seseque quasi in coelo esse positos. Denique memorantur Urbanenses in Numidia Augustin. contra Cresconium IV: 60., et Claudianenses, a Claudiano, Montensium apud Romam episcopo, de quo Optatus, denominati. Sed hi sunt obscuriores. Sedit Parmenianus ad finem sec., vel a. 394. Reliqua sec. sequente referam.

MELETIANI.

§. CCCXVII. Schisma *Meletii*, Episcopi Lycopolitani in Aegypto, in eo situm, quod ordinationes Episcopo Alexandrino competentes sibi adrogaverit, quo canon VItus Nicaenus respicit, unde fuerit natum, diverso admodum modo referunt Epiphanius haeres. LXVIII. et Athanasius

in *apologia* contra Arianos, quem ſequitur Socrates H. I: 6. et Joh. Damaſcenus haereſ. LXVIII. Meletium lapſos noluiſſe ad communionem admitti, niſi poſtquam, ſedata perſecutione, legitimam egiſſent poenitentiam, ſed *mox* voluiſſe Petrum Alexandrinum Epiſcopum, tradit Epiphanius; unde, diſcidio orto, Meletius cum ſuis ſe a Petro ſejunxiſſet. Sed, ſecundum Athanaſium, ipſe Meletius, praeter alia crimina, propter lapſum in idololatriam, fuiſſet a Petro depoſitus; et inde ſchiſma originem repetiiſſet. Epiphanii narratio mihi haud una de ratione videtur praeferenda. 1. Intelligi plane nequit, qua ratione Meletius, ſi talium criminum reus fuerit, et propterea depoſitus, ejusmodi ſchiſma potuerit conflare, ut in initio factum, et in ſuas trahere partes viros ſanctos, uti Paphnutium anachoretam, et alios: quod facile perceptu eſt, ſi Novatianae hypotheſes fuerint renovatae. 2. Synodi Nicaenae epiſtola apud Socrat. l. c. nihil Meletio, praeter ſchiſma, inputat. 3. Canon quoque *Octavus* Nicaenus, qui de Catharis agit, propter Meletianos videtur factus, qui ſchiſmati Novatiani robur addiderunt. Ceterum incepit ſchiſma, durante perſecutione Diocletianea, ut Athanaſius innuit, Epiphanius clare demonſtrat. Athanaſius quidem in Epiſt. ad *Epiſcopos Aegypti et Libyae*, ſcripta ann. 356., ait, duraſſe annos 55, quando a. 301. incepiſſet ante perſecutionem, ſed vel error in numeros irrepſit, vel Athanaſius memoria eſt lapſus. In principio ſeſe Ario oppoſuerunt Meletiani, ſed, ab Alexandro, Epiſcopo Alexandrino, vexati, et Inperatoris favorem ope Euſebianorum nacti, Arianos receperunt in communionem, ſalva licet fide Catholica, Chriſtianae tolerantiae et charitati convenienter. Sopitum licet aliquatenus fuerit ſchiſma per Synodum Nicaenam, ut ſupra ſuo loco narravi, attamen ſubſtitit aliquandiu poſt per Johannem Memphitanum, Callinium Peluſiotam, Epiſcopos, et Paphnutium Anachoretam, teſte Epiphanio: imo tempore Theodoreti ſeparatas adhuc habuerunt Eccleſias; ut ex Ipſo haeret. fab. IV: 7. liquet.

LUCIFERIANI.

§. CCCXVIII. Versatum quoque circa disciplinam Ecclesiasticam fuit Luciferianorum schisma, quippe in eo situm, quod Arianos non tantum, sed et praevaricatores, ita dictos, qui vel metu, vel ignorantia, formulis Arianorum sub Constantio subscripserant, aut qui cum talibus pacem ac communionem colebant, ab Ecclesia esse removendos, et, cum illud inpetrare non possent, ab ipsa Ecclesiae communione esse discedendum, statuerint. Occasionem praebuit multiplex Episcoporum ejus temporis variatio, qua, pro temporum diversitate, modo Catholicos, modo sese profitebantur Arianos: quos *praevaricatores* adpellarunt Luciferiani, nec, nisi in Laicorum statum essent redacti, et legitimam egissent poenitentiam, admittendos esse censuerunt: secus ac Synodo Alexandrinae sub Athanasio a. 362. visum fuerat, et decretum. Ab eo enim tempore sese maxime opponere, et ab Ecclesia separare, ut mox narrabo, coepit. Fidei vero respectu nihil ab Ecclesia discreparunt, ut Augustinus haeres. LXXXI. indicat, et libellus precum Marcellini ac Faustini apud Sirmondum Oper. tom. I. clare demonstrat. Oblatus est iste libellus Valentiniano, Theodosio et Arcadio, et a Luciferianis conscriptus. Ex quo, quae de schismate tradidi, petita sunt.

§. CCCXIX. *Lucifer*, Caralitanus in Sardinia Episcopus, autor schismatis, qui miris extollitur, in libello illo precum, laudibus, tanquam qui in contemtu seculi, vitae puritate, fidei constantia, et studio Script. S. neminem habuit secundum, ab ipso quoque Athanasio, cujus duae ad ipsum exstant epistolae in operibus Athanasii tom. II. inpense laudatur; vir fuit severioris et asperioris indolis, scriptor *ingenio juxta et stilo* durus, judicio quoque Casauboni ad Spartianum, acerrimus Arianorum hostis et oppugnator; et propterea per decem annos in exilio versatus. Inpendit vero, cum Eusebio Vercellense, perpetuo ejus

comite

comite et exule, in initiis Juliani, quando Orthodoxis Ecclesias suas repetere licuit, omnem operam rebus Orientis collapsis instaurandis. Cum vero Antiochiae versaretur, et Paulinum ordinasset Episcopum, illudque inprobasset Eusebius Vercellensis, qui cum Athanasio Synodum a. 362. habuit Alexandriae, qua decretum est, de Episcopis, qui Ariana labe quocunque modo infecti fuerant, ad communionem recipiendis, Lucifer illud decretum damnavit, seseque propterea, in Sardiniam redux, mox ab Ecclesia ipsa separavit. Vid. Socrates H. III: 5, 6, 9. Theodoretus H. III: 5. et Ruffinus H. I: 30. Obiit a. 370., relictis nonnullis scriptis, quorum ad manus nostras venerunt libri duo ad Constantium, quibus eum, nulla Majestatis habita ratione, acerrime, propter haeresin, et persecutionem, perstringit, praeterea de *regibus apostaticis*, de non *conveniendo cum haereticis*, etc. quae opuscula edita sunt a Tilio Meldensi, et exstant quoque in Bibl. Patrum.

§. CCCXX. Pervagatum est schisma per multas regiones, uti Hispaniam, Italiam, AEgyptum, Asiam, et praecipue Sardiniam; ut ex *libello precum* patet. Inter viros illustres, qui sese ei adjunxerunt, fuit, praeter Euresium Episcopum Asiaticum, cujus mentio in Cod. Theodos. l. XVI. tit. de *haereticis*, Hilarius Romanae Ecclesiae diaconus: cujus sunt, ut passim putatur, commentarii in Epistolas Pauli, inter opera Ambrosii, teste Augustino contra *duas epist.* Pelagian. l. IV. c. 4. modo ipse nostrum, et non alium, Hilarium in animo habuerit. De quo dubitari potest. Vid. monitum praemissum huic libro in novissima Ambrosii editione. Tribuuntur quoque Ipsi *Quaestiones* V. et N. T. ad calcem Augustini tom. III., sed de quo alii non sine ratione dubitant. Est utique autor Pelagianus, ut Benedictini in praemisso monito jam notarunt; patet enim illud haud obscure ex N. T. quaestione 79 et 80. Sed passi sunt, ab altera parte, non tantum contradictionem et refutationem, etiam Hieronymi in dialogo contra Luciferianos, verum

etiam persecutiones et vexationes, quarum praecipua fuit sub Damaso Papa, de qua acerbe conqueruntur Marcellinus et Faustus in *libello precum*, modo citato, non tam ob purum Luciferianismum, nulla lege vetitum, nisi quatenus rebaptizandis favebat, quam ob factionem Ursini contra Damasum, aut alias causas; ut putat Maria Merenda de gesti Damasi ad ann. 383. Ceterum ex recentioribus de hoc schismate legi, praeter alios, satis notos, meretur Bingham in *historia scholastica* baptismi Laicorum.

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. CCCXXI. De Ecclesiae Christianae per Romanum imperium, et alios orbis populos, diffusione scriptores hujus seculi magnifice adeo locuti sunt, ut ab hyperbole vix absolvi possint. Proferam, vel digito tantum monstrabo Veterum loca. Euseb. Praep. Euang. l. I: 3. et Demonstr. Euang. l. I., ubi memorat AEgyptios, Persas, Armenios et extremas terras incolentes barbaros: vid. et de *laudibus* Constantini c. 16. Arnobius adversus Gentes l. II. in specie recenset Indos, Seras, Medos, Persas, praeter Romani Inperii provincias, imo in genere insulas et provincias omnes, quas Sol oriens et occidens lustrat. Vid. et Prudentius in Apotheosi v. 490. et seq. Apud Chrysostomum hom. II. in Johannem occurrunt Syri, AEgyptii, Indi, Persae, AEthiopes, innumeraeque aliae Gentes: qui etiam Britannicarum Ecclesiarum mentionem facit, hom. XXVIII. ad 2. Corinth. Vid. etiam hom. XVI. ad Antiochen., et *contra Gentes ac Judaeos*, nec non serm. de *utilitate lectionis Script. S.*, et Cyrillus Hierosol. catech. XVI. ac Basilius M. hom. II. de *Jejuniis*, et Hilarius ad Ps. XIV., ubi Oceani insulae quoque memorantur. Arnobius ad Ps. 147. Indos a parte Orientis, et Britones a parte Occidentis memorat, ad quos sermo Dei pervenit. Theodoretus etiam, de *curandis Graecorum adfectionibus*, profert Scythicas

cas et Sarmaticas gentes, Indos, AEthiopes, Persas, Seras, Hyrcanos, Bactrianos, Britannos, Cimbros et Germanos, Imo Hieronymus ad Matth. XXIV. ausus est dicere, *se non putare aliquam remansisse gentem, quae Christi nomen ignorat*, Vid. et Augustinus ep. 80. ad Hesychium. Ceterum per Scythas et Sarmatas intelligendos esse, non Illyricos et Slavonicos, diu post conversos, sed Getas et vicinos populos, recte observavit Kohlius in *historia codicis Slavonici* cap. II., nec non Patrum dicta ad vivum non esse resecanda, multumque esse hyperbolica. Sed agamus distinctius, et mutationem rerum in Romano inperio, ac nonnullarum gentium barbararum conversionem, enarremus.

§. CCCXXII. In Romano Inperio quid in favorem Christianorum, relate ad gentilismum, actum sit, referam per Inperatorum seriem. Constantini M., a quo ordiendum est, edicta et acta hanc in rem postquam protulerim, de ipso, tanquam Christiano, differam. Primum edictum, quo pax Ecclesiae reddita est in Occidente, post Maxentium superatum, promulgatum est a. 312., et mox alterum a. 313. Mediolani: prius desideratur, sed ejus mentio reperitur in posteriore, quod exstat apud Euseb. H. X: 5. et Lactantium de *mortibus persecutorum* c. 48. Unde patet, aliquid inter ea fuisse discriminis, et posterius fuisse prioris correctorium; cum in priore multae αἱρέσεις dicuntur additae, quae in altero sunt sublatae. Qua voce, ut aliorum mittam interpretationes, *conditiones* mihi, cum Baluzio ad Lactantium, intelligendae videntur, ut sensus sit, prius edictum cum aliqua *conditione*, seu restrictione, licentiam dedisse, sed eas conditiones per posterius fuisse sublatas, libertate Christianis, et reliquis omnibus, concessa religionem profitendi, quam velint. Lactantius utique diserte habet *conditiones*, et Jurisperitis Graecis vox eo sensu in usu est, ut Baluz. observavit. Addo, eo etiam sensu usurpari a Chrysostomo hom. XLVIII. ad Genesin, et saepe in comment. ad Psalmos. Ad horum edictorum exempla Maximi-

nus quoque in Oriente duo promulgavit pro Chriſtianis, unum a. 412. apud Euſeb. H. X. 9. alterum a. 313., poſt victoriam de ipſo a Licinio reportatam, paulo ante obitum apud Euſ. l. c. cap. 10. qui *abſolutiſſimam et uberrimam* adpellat *legem pro libertate:* loca ſacra, Chriſtianis erepta, reddita ſunt, et baſilicas exſtruendi poteſtas data eſt. Publicatum etiam mox Nicomediae eſt edictum illud Conſtantini et Licinii Mediolani datum, eaque ratione pax Eccleſiae eſt in Occidente ac Oriente reſtituta, et celeberrima illa epocha *pacis Eccleſiae redditae* incepit, cujus meminit Euſebius in Chron., nec non Chronicon Alexandrinum, ubi Conſtantii mors memoratur.

§. CCCXXIII. Longo ſatis tempore poſt nihil contra Gentiliſmum tentavit Conſtantinus, nec ejus profeſſionem aut inſtituta vetuit. Imo vero a. 319. et 321. publicam haruſpicinam lege lata permiſit, privata tantum prohibita, et haruſpicum reſponſis ad ſuam tractis ſcientiam, ut publicae ſaluti conſuleretur. Quae lex exſtat in Cod. Theodoſ. l. XVI. tit. de *Paganis*, et tit. de *maleficis*. Unde liquet, aras et delubra adhuc publice exſtitiſſe: nec tamen inde colligendum, quod Zoſimus tradit l. II., Conſtantinum tunc ſuperſtitioni gentilium adhuc fuiſſe addictum: adpellat enim ſuperſtitionem, et permiſſionem tantum complectitur lex. Fuit vero tunc in ea adhuc opinione Conſtantinus, cuique religionem debere eſſe liberam: quod et ipſe clare teſtatur in edicto ad Provinciales, paulo ante Arii motus edito, apud Euſeb. vit. Conſt. l. II. cap. 56. 60. Quae loca valde ſunt notabilia, vid. etiam Cod. Theodoſ. l. IX. tit. 16. Praeterea conceſſit a. 323. *luſtrorum ſacrificia:* ſed cum Senatorum et Magiſtratuum quam plurimi adhuc eſſent Gentiles, iique Chriſtianos, ubi poterant, omni ope ad ſacrificia compellerent, Conſtantinus eam vim, lege lata, ſevere ſub fuſtuarii ſupplicii poena, vel graviſſima mulcta, prohibuit: in cod. Theodoſ. tit. *de Epiſcopis*. Deinceps vero in religione Chriſtiana propaganda leges magis et

poenae

poenae adhibitae ſunt, quam rationes convincentes et exempla, adeo ut Gentilium viam in religione tutanda inſtiterint Chriſtiani. Ab anno demum 333., Conſtantini 28., manus in Templa, aras, et ſimulacra Gentilium injici coeperunt, et ſacrificia vetita ſunt. Refert vero Theodoret. H. V: 21. Conſtantinum ſacrificia quidem prohibuiſſe, templa quoque claudi juſſiſſe, ſed nequaquam deſtruxiſſe. De ſacrificiis vetitis, nec non ſtatuis et divinationibus, teſtatur quoque Euſeb. vit. Conſt. II: 45. et IV: 25., et confirmat Zoſimus l. cit. Conſtantius in lege, qua ſuperſtitionem et ſacrificiorum inſaniam jubet abolendam, in cod. Theodoſ. tit. de *paganis*, *lege 2da*, provocat quoque ad Patris leges: Vid. et Sozomen. H. III: 17. Celeberrima Templa, cum idolis, etc. fuiſſe juſſu Conſtantini everſa, tradit Eunapius in vita *Aedeſii*, ut et Hieronym. in Chron. Sed ea tantum fuiſſe ſpoliata a Conſtantino, everſa vero a Filiis, teſtatur Julianus Orat. VII. Addenda nunc forent, quae pro Chriſtianis egit Conſtantinus, ex. gr. baſilicas non tantum reddendo, ſed et novas, longe ampliores et celebriores, publicis ſumtibus exſtruendo, aut exſtruendas concedendo, ingentes honores, privilegia, et inmunitates, conferendo in Eccleſias et Clericos, ſcholas inſtituendo, et libros ſuppeditando, canones Eccleſiaſticos in leges mutando, et quae ſunt ſimilia alia: ſed cum ſuis locis de iis expoſuerim, ea mitto, et ad Conſtantinum ipſum, qua Chriſtianum factum, pergo. Ceterum leges ejus pro Chriſtianis illuſtravit Balduinus in *Conſtantino M.*, et Gothofredus ad Cod. Theodoſ., qui conſulendi ſunt.

§. CCCXXIV. Quicquid de Conſtantini indole, et moribus, ſit, de quo varia proſtant judicia, magis minuſve aequa, et ab adfectibus libera, noſtrum expromere nihil adtinet in hac diſquiſitione; illud in confeſſo eſt, eum Chriſtianam fidem eſſe profeſſum, eique promovendae omnem inpendiſſe operam. Imo primum ex Inperatoribus fuiſſe Chriſtianum tradit Lactantius in *dedicatione* librorum In-

 ſtitutio-

ſtitutionum, et de mort. Perſec. c. 24. nec non Euſebius vit. Conſt. I: 3. IV: 62, 75. nec negant ſcriptores Gentiles, ut Zoſimus, aliique. Conſtat denique ex baptiſmo, ſub finem vitae Nicomediae ſuſcepto ab Euſebio Nicomedienſe, Euſeb. ibid. IV: 61. Ex quo, eum ſub vitae finem factum fuiſſe Catechumenum, neſcio num, quod putat Valeſius ad Euſ. l. c., ſolide colligi poſſit, cum argumentum ex *manuum inpoſitione*, quod unice profertur, non ſit ſatis certum: potuit enim ea fuiſſe omiſſa, vel diſtingui ab ea, quae catechumenis fiebat. Licet autem diſtulerit baptiſmum, nec omnibus ſacris in Eccleſia uti potuerit, uti nec uſus legitur, Chriſtianae tamen religioni fuit addictus, privatoſque habuit conventus et precationes, etc. Euſeb. vit. Conſt. IV: 17. et omnia ejus geſta in favorem Chriſtianorum de eo teſtantur. Quibus omnibus non obſtantibus, non deſunt, qui eum Chriſtianum cenſent fuiſſe politicum, ita ut, animo ab ea religione alieno, finxerit ejus profeſſionem, ut inperium per Chriſtianos ſtabiliret. Quod mihi longe videtur a vero alienum, cum quod omnia ejus geſta contrarium demonſtrent, nulla ſit illud de eo ſuſpicandi ratio, tum nullae quoque rationes fuerint politicae, quare talem adſumſiſſet perſonam. Quae paulo latius deducam.

§. CCCXXV. Quod ad *prius* adtinet; nihil mihi in geſtis et actis ejus ſeſe offert, quod aliam, quam ea per ſe exhibent, arguat perſonam; quale quid ſi non adſit, temere utique de animo, a factis alieno, judicatur. Toleravit quidem in initio religionem gentilem, ſed ex principio tolerantiae, Principe dignae, et prudentiae politicae, ne animos gentilium, adhuc dominantium, nimis irritaret. Quod baptiſmum diſtulerit, illud cum multis Chriſtianis ejus temporis habuit commune, nec aliud demonſtrat, quam ipſum de vera indole Chriſtianae religionis nondum, ſupra ſuae aetatis homines, judicaſſe. Si a vita et moribus ſeſe non praeſtitit inculpatum, eum fidei opera non, ut oportet, tuliſſe, tantum arguit, fidem vero non ex animo fuiſſe

profeſſum

professum minine evincit, nisi omnes, qui inter Christianos male vivunt, habendi sint professi hypocritae. Sed nec ejus naturae sunt, quorum reus agitur, ut cum vera professione consistere nequeant, aut in aliis Inperatoribus, etiam pro bonis habitis, non fuerint atrociora; ne dicam nonnulla excusari posse. De quo hic non est agendi locus; ubi de sinceritate ejus in Christianismi professione tantum disputamus. Fingendi vero Christianismum ex causis politicis, tantum abest, ut ipsi sufficiens fuerit ratio, ut contrarium potius suasissent rationes politicae, si eas in consilium adhibuisset. Utique 1. nihil sibi a Christianis habebat metuendum, non tantum, quod sese rebus inperii inmiscere, aut arma sumere, non fuerint soliti, sed et, quod eorum favorem per solam tolerantiam, et libertatem religionis concessam, facile acquirere potuerit, maxime post tot tantasque persecutiones. 2. Christianorum ope quoque non indigebat, cum jam ante Christianismi professionem primas tenuerit in inperio partes, Romanorum quoque favorem, postquam eos a Maxentio tyranno liberasset, jam adeptus fuerit: teste historia. 3. Christiani praeterea ipsi in Inperio tutando opem ferre non poterant, quia res ipsorum non tantum persecutione erant adtritae, sed nervi reip. penes gentiles essent, uti Magistratus, milites, et reditus publici. 4. Denique, Christianismum tanto promovere studio, paganismo succidere nervos, Templis ac idolis bellum indicere, quid necesse habuisset, qua ratione a se inpetrare potuisset, si gentilismo addictus simulasset tantum Christianismum? 5. Postremo, quod rem conficit, in confessione ad vitae finem perstitit, seseque Ecclesiae per baptismum inferi passus est. Quae si sincerae non sint professionis indicia, quae tunc erunt?

§. CCCXXVI. Sed alia quaestio est de rationibus, quae ipsum ad Christianismum suscipiendum moverunt. Gentiles scriptores, inter quos Zosimus l. II. c. 29., criminibus ejus, in specie in cognatorum, et Crispi filii, nece, illud

 accep-

acceptum referunt, quia per gentiles ſuperſtitiones ab iis purgari non poſſet, ſed per baptiſmum Chriſtianorum poſſet. Criſpi, aliorumque, caedem cum nonnullis Chriſtianis veteribus, ut Evagrio H. III: 41. non iverim inficias, eo minus, quod Chryſoſtomus hom. XV. in Ep. ad Philipp., Hieronymus, et alii Chriſtiani, confirmaverint. Sed 1. luſtrationes gentiles eam expiationem, ex opinione Gentilium, praeſtare nón potuiſſe, temere adſeritur, uti Sozomen. H. I: 6. jam obſervavit, adducto quoque exemplo Herculis, Alcmenae filii. 2. Conſtantinus ante necem Criſpi, quippe a. 326. demum factam, fidem Chriſtianam, ut conſtat, jam fuit profeſſus. Ne dicam, gentiles hac in cauſa minus idoneos eſſe judices. Quid itaque Chriſtiani de ratione, quae Conſtantinum inpulit, tradunt? Euſebius vit. Conſt. I: 37.— duas profert cauſas, quarum una ipſum a cultu Numinum ad unius Dei, altera ad Chriſtianiſmum, inpuliſſet. Prior erat obſervatio vitae, et fatorum Inperatorum ejus et pracedentis temporis, quorum qui multitudini Deorum fuerant addicti infelix nacti erant fatum, Conſtantius Chlorus vero Pater ejus, unius Dei cultor, feliciſſime egerat. Poſterior fuit viſum coeleſte, quo beatus fuit, vel ſe mactatum fuiſſe cenſuit, cum Maxentium oppugnavit. De quo ſupra diſſerui. Alibi tradit Euſeb. H. IX: 9., eum a Parente hauſiſſe pietatem, forte reſpectu unius Dei cultus. Quod vero alii referunt, eum Chriſtianae religionis principiis a matre Helena fuiſſe inbutum, non tantum fundamento caret, ſed et Euſebio contrariatur, qui vit. Conſt. III: 47., teſtatur, ipſam, antea Dei cultricem non exiſtentem, per filium Conſtantinum fuiſſe inſtitutam, et ad fidem Chriſtianam adductam. Equidem nihil definiverim, ſed non poſſum, quin obſervem, eos, qui rationes politicas anſam in initio praebuiſſe ejus converſioni, volunt, aliquid lucrari poſſe ex eo, quod, ſi narratio Euſebii vera ſit, decretorio praelio cum Maxentio prope Romam decertaturus, Chriſtianam fidem primum fuerit profeſſus.

Potuit

Potuit enim censeri id fecisse, ut gratior esset Romanis, eosque a Maxentio abstraheret, spe libertatis ac pacis promissae Christianis. Ratio est hoc opinandi, quod Maxentius in principio Regni sui Romae fidem Christianam simulasse tradatur, *ut in eo morem gereret, et blandiretur populo Romano*, Euseb. H. VIII: 14. Erant utique in initio persecutionis Diocletianeae plures quam quadraginta Ecclesiae, seu Basilicae, Romae; ut colligi potest ex Euseb. H. VII: 43. et Optato Milevit. contra Donatist. l. II. Quod si aliquid veri habere existimetur, oportet, postea in eas inciderit cogitationes, quas modo ex Eusebio exposui. Accessisse quoque potuit opinio de *viso crucis signo*; quam fovit Constantinus. De quo supra, suo loco, disserui.

§. CCCXXVII. Persequamur nunc Gentilismi destructionem, et Christianismi propagationem, per successores Constantini. Superest lex Constantis, Romae lata a. 342. in Cod. Theodos. tit. de *paganis*, qua omnis quidem superstitio praecipitur eruenda, adeoque sacrificiorum, ararum, et simulacrorum abolitio, attamen Templorum aedes, extra muros Romae voluit manere *intactas et incorruptas*, propter publicam Romani populi laetitiam. Festa enim ob novorum Templorum dedicationem erant instituta, ut Lactantius Institut. VI: 20. refert. Reliquit itaque Constans Templa, licet non defuerint, qui eorum destructionem suaserunt, ut Julius Firmicus in libro, eo scopo conscripto, *de errore profanarum religionum*, ad Constantium et Constantem. Constantius vero duas a. 353. publicavit leges, ibid. in cod. Theodos. obvias, quarum prior Templa jubet claudi, omnem prohibet accessum, omnis generis sacrificia, statuta quoque, ad modum gentilium persecutorum, poena gladii in delinquentes. Posterior in specie vetat sacrificia nocturna, autore Magnentio permissa. Hic enim, tyrannide in Italia adrepta, ut populo Romano gentili placeret, cum diurna forte non auderet, concessit nocturna. Deinceps a. 356. sacrificiorum et simulacrorum religio sub capi-

tis poena fuit prohibita, secundum legem sextam, t *paganis*. Quae eadem poena et iis hoc anno fuit d ciata, qui, ad futura cognoscenda, consuluerint inve rem daemonum, vel divinos, *ariolos* dictos, vel *arusp* qui auguria captat, ut lex quarta *de Maleficis et Mat ticis* habet. Nec tamen loca et privilegia sacerdotun lata sunt, teste Symmacho in *relatione* ad Valentini: Anno autem sequente 357. gladiatorum ludus Palati militibus est interdictus, nec tamen totus sublatus Re nisi tempore Honorii: vid. lex *secunda* Constantii d *diatoribus* in cod. Theodos. Quos ludos ipse Consta jam a. 325. vetuerat in Oriente, teste lege *prima* Damnavit praeterea eo anno Constantius magicas arte nocendum adhiberi solitas, ut fert lex *quinta* de M cis. Hisce addatur, nomen *Paganorum* pro gentilibu fere tempore in usu esse coepisse: prima enim nomi sensu mentio, quantum constat, occurrit apud M Victorinum in libro de *homoousio* recipiendo, 40 ann Synodum Nicaenam scripto; ut Pagi ad Baron. a. 35 servavit. Reperitur quoque in lege Valentiniani a in cod. Theodos. l. XVI. tit. II. Variae licet doct opiniones sint de origine hujus nominis, quas Gothofr cod. tit. X. *de Paganis*, Ludolfus ad hist. AEthyop., ali hibent, communior tamen, et probabilior, est, quia latria, in urbibus passim abolita, adhuc in pagis et vic rit superstes, sicut inde etiam antiquissimis temporib ceperat, et ad urbes translata erat: quae *sacra pag* adpellantur a Dionysio Halicarn. lib. IV.

§. CCCXXVIII. Constantio mortuo, crevit primu ganismus, ut eo nomine nunc utar, sub Juliano, qui rum Templa et cultum restituit, et Christianismum modis adtrivit, de quo postea, deinde post Julianum, legibus prohibitus, subsistit usque ad Theodosium M. vinianus religionis libertatem concessit omnibus, eo n laudatus a Thimestio, Orat. V. edit. Harduini, Vid.

crat. H. III: 25. Quam eandem viam tenuit Valentinianus, ut ex lege nona *de maleficis* patet, et Symmacho in relatione ad Filium, ac Ammiano Marcellino l. XXX: 9. *Hoc moderamine Principatus inclaruit*, verba sunt Ammiani, digna, quae hic legantur, *quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit aut illud: nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat* etc. Tantum nocturna et malefica sustulit sacrificia, ut habet Lex *septima et nona*, nec non Zosimus l. IV. deinceps tamen, a Praetextato, Proconsule Achaiae, admonitus, sacra, more majorum, a Graecis celebrari quoque concessit: ut tradit Zosimus l. cit. Manserunt quoque Vestalibus honores et privilegia, quae non nisi a Gratiano sublata sunt. Vid. Gothofr. ad cod. Theodos. de *Medicis et Professoribus*. Eodem in statu res reliquit Valens. Vid. Themistii Oratio, edita Latine a Dudítio, et Graece versa a Petavio, quae est XII. edit. Harduini. Imo agonem, sacrificia, et panegyres eum restituisse, refert Hieronymus in Chron. Persecutus tamen est Philosophos paganos, ob futuri successoris inquisitionem: ut tradit Sozomen. H. VI: 35. Nec etiam aliud contra paganos tentavit Gratianus, quam quod Victoriae aram Romae destruxerit, et Vestalium privilegia sustulerit. Vid. Symmachus in *relatione*, et Ambrosius contra eum, Vid. ejus ep. XVII et XVIII. Gracchus tamen, praefectus urbis, deturbandis idolis incubuit a. 376. Vid. Hieronymus epist. 6. ad Laetam, et Prudentius contra Symmachum lib. I.

§. CCCXXIX. Theodosius tandem omni vi in Paganismum irruit, eique lethalem inflixit plagam. In principio quidem liberum reliquit Paganis religionis exercitium, Zosimo l. IV. teste: patet quoque ex legibus 7. 8. et 9. cod. de paganis, non omnia, sed consultoria tantum sacrificia, dira carmina, ab ipso per Orientem fuisse vetita; quae leges datae sunt a. 381. 382. et 385. Addit tamen Zosimus,

mus, Cynegium, Orientis praefectum, fuisse a. 385. in AEgyptum missum, ut sacrificia penitus inhiberet, et Templa clauderet. Sed a. 391. omnis superstitio pagàna, publica et privata, a Valentiniano Jun. per Italiam, et a Theodosio per AEgyptum, fuit vetita, ut leges 10. et 11. ibid. testantur, et mox a. 392. per universum Inperium, ut lex 12. ibid. habet. Valentiniani quoque legem, ab Eugenio usurpatore regni enervatam, renovavit, teste Zosimo l. IV et V., et Prudentio contra Symmachum. Destructum quoque, praeter alia, est famosum illud Serapidis Templum in AEgypto; Zosim. l. c., Eunap. in vita Aedesii, Socrat. H. V: 16. et Ruffin. H. l. XI: 23. ubi Templi traditur descriptio, et de origine Serapidis agitur. Quae omnia severe quoque sanxit Arcadius a. 395. lege 13*tia*, omniaque sacerdotum privilegia, lege 14. a. 396. sustulit. Denique Templa in agris, sed sine tumultu, dirui jussit a. 399. Quae lex ad agros Phoenices Libani respicit, Theodoret. V: 29. Extendit quoque sese horum Inperatorum zelus ad Apostatas Christianos, qui ad paganismum defecerint, contra quos primus legem tulit Theodosius, qua testamentum condendi potestas ipsis adimitur in cod. Theodos. l. XVII. tit. VII. cui mox ibid. addidit ex testamento capiendi jus negatum. Alii Inperatores sequentes graviorem adhuc poenam inflixerunt, ut infamiam, et poenitentiae spem negatam: ut leges ibid. sequentes docent.

§. CCCXXX. Paganismo hac ratione plurimis legibus proscripto, et ingente studio ab Inperatoribus per violentiam oppugnato licet, manserunt tamen multa Gentilismi, partim concessa, partim Christianismo inserta, partim tolerata, nec e medio sublata. Quae aliquo ordine recensebo. 1. Inter ea, quae concessa sunt, locum tenent, votorum publicorum celebritates, ex. gr. ludi, et in his turpissimum spectaculum Majuma, de quo ad sec. sequens, festa, convivia Bromalia in honorem Bacchi. Vid. Gothofred. ad leg. 7. *de paganis*, et 17. a. 399. qua *festi conventus* tolerantur,

[redacted]

etc. ornamenta quoque publicorum operum, seu simulacra operibus publicis adfixa: vid. lex 15. *de Paganis*; denique Templa, omni cultu et ornatu vacua, ut habet lex 18. Honorii, ad Africam pertinens; cujus occasione legatio Africanorum biennio post ad Honorium decreta est, ad aedes in agris destruendas, quia superstitio aliter aboleri non poterat, nec ornatui publico, iis deletis, aliquid decedat, ut can. 28. cod. Africani habet. 2. Ad ea, quae ad Christianos translata sunt, praeter ritus, in superioribus suo loco memoratos, referri possunt nomina *adorationis*, *divi*, *Numinis*, et alia similia, nec non superstitiosa purgatio per ignem in nonnullis civitatibus, tempore adhuc Theodoreti usitata: ut ex quaest. ejus 47. ad 4. Reg. patet; ipse forte titulus *Pontificis maximi*, loco Episcopi rerum externarum Ecclesiae, qualem, ut supra habuimus, se declaravit Constantinus M. Tradit Zosimus l. IV. titulum *Pontificis Maximi* retinuisse Inperatores Christianos, usque ad Gratianum; quod respectu gentilismi verum esse nequit, ut multis demonstravit Gothofred. in epist. ad Rivetum de *interdicta Christianorum cum Gentilibus communione*: sed respectu Christianismi obtinere potuit, et inde Zosimi videtur orta narratio. Alia mitto. Probat quoque Van. Dalen. de Oraculis diss. I. plurimum Gentilismi superfuisse: qui legi meretur.

§. CCCXXXI. 3. Multi restabant Gentiles, qui tolerandi erant, varii Semi-pagani fuerunt et Semi-Christiani. De Paganorum copia, et potestate nondum abolita, constat *a.* ex dignitatibus, quibus vestiti adhuc fuerunt variis in locis. Senatum Romanum maxima parte fuisse gentilem sub ipso Theodosio et Arcadio, colligi potest ex Symmachi Epist., licet curiam Romanam, tempore Valentiniani, Christianos maximam partem constituisse, tradat Ambrosius ep. XVII. Praefecti urbis et Praetorio subinde fuerunt Gentiles; ut Praetextatus, qui, teste Hieronymo epist. ad Pammachium, cujus supra etiam memini, dixit: *facite me Urbis Episcopum, et fiam Christianus*; nec non Symmachus Pater, de quo Am-

 mian.

mian. lib. XXVII. et Symmachus alius, cujus exstant Epistolae. β. Idem ex effrena Inperatores ipsos maledictis lacessendi libidine, et audacia, colligere licet. De quo ex historicis, Zosimo, Eunapio, et aliis, non tantum constat, sed et ex quadam Theodosii constitutione confirmatum, qua calumniatores et obtrectatores temporum contemnendos, non puniendos, esse, decretum fuit. γ. Idem facile evincunt factiones contra Inperium a Magnentio, Maximo, Eugenio, aliis, suscitatae, et ope Gentilium maxime firmatae. δ. Accedit, de multitudine Gentilium superstite ipsos Veteres testari. Urbes nonnullas Gentiles adhuc fuisse, tradit Chrysostomus de *S. Babyla.* Antiochiae erant ducenta hominum millia, quorum centum millia Christianismum profitebantur; teste eodem Oper. t. II. p. 597. et tom. VII. p. 810. Ipse Praefectus urbis fuit tempore Theodosii Gentilis, ut id. tradit hom. XVI. ad Antiochenos. Vid. etiam de Gentilium copia quae adtulit Clarckson de Episcopatu cap. 4. ε. Denique multi hoc seculo fuerunt, qui vel utramque religionem aliquatenus conjungere voluerunt, vel saltem, utramque esse exercendam, cuique libertate sentiendi relicta, contenderunt, Semi Christiani et Semi-pagani, quos religionem prudentum tenuisse non male quis dixerit. Quales fuisse videntur ex. gr. Ammianus Marcellinus, Chalcidius, Symmachus, Themistius, alii. Marcellinus de Christiana religione praeclare sensit, cum eam *absolutam et simplicem* adpellat, lib. XXI: 16. ac, *nil nisi justum suadere et bene*, dicat l. XXII: 11. Vid. Moshemius Diss. hist. Eccles. II. et de Chalcidio ad Cudworth. Syst. Intellect. c. IV. Tradit quoque Augustinus de *consensu Euangel.* l. I. §. 11. fuisse inter paganos, qui, honestissime de Christo sentientes, ipsum pro sapientissimo viro habuerunt, sed a Discipulis esse in Deum colendum falso transmutatum.

§. CCCXXXII. Ad populos extra Romanum Inperium pergenti, occurrit 1. AEthiopum Habessinorum, seu Axumitarum,

mitarum, ab urbe Axuma sic dictorum, conversio per Frumentium et Aedesium a. 327. facta, paulo post quam Athanasius esset Episcopus Alexandrinus factus: uti narrat Ruffinus H. I: 9. Cujus etiam meminerunt Socrat. I: 19. et Theodoret. I: 23. qui eos Indos, vel Indos interiores, adpellant. Indorum enim nomine tota Aethiopia, supra Aegyptum, fuit Veteribus adpellata, sed et cum India Asiatica saepe confusa: unde varii sunt orti errores, in ipsa quoque hac Aethiopum conversione. Vulgata habet opinio, fidem Christianam per Eunuchum reginae Candaces, cujus mentio est in Actis Apostolorum, eo fuisse translatam: sed nullo fundamento, nec Habessinorum, sed Aethiopum circa Meroen insulam, illa fuit Regina. De quo vid. Ludolfus hist. Aethiop. l. II. c. 4. Haud majore ratione Bartholemaeus, vel Matthaeus, eorum habetur Apostolus. Nulla ibi ante Frumentium fuisse Christianismi vestigia, diserte tradit Ruffinus, et historiae Habessin. conditores confirmant. Ludolf. ibid. III: 2. Aedesius vero et Frumentius, cum Meropio, Philosopho Tyrio, eo delati, et Meropio cum sociis occiso, in aulam adducti, simul ad supremas evecti dignitates, fidem ibi plantarunt. Postea, Alexandriam reduces, Aedesius presbyter est factus, sed Frumentius, ab Athanasio Episcopus Habessinorum electus et ordinatus, ad eos rediit, et euangelium longe lateque propagavit, dictus Aethyopibus *Abba-Salama.* Vid. Ruffinus l. cit., qui illud ex ore Aedesii sese hausisse refert.

§. CCCXXXIII. 2. Eodem fere tempore, Inperatore Constantino M., inter Iberos, populum Asiaticum inter Albaniam et Colchidem, deinceps et nunc Georgios adpellatos, religio Christiana plantata est, ope mulieris captivae, sed pietate, et, ut fertur, dono sanationis, inclarescentis inter eos, Rege, Regina, et populo conversis. Ita ex Bacurii, regis ipsorum, ore retulit Ruffinus ibid. cap. 10. et ex eo Socrates H. I: 16., ac Sozomen. II: 7. 3. Eodem sub Inperatore Haicana, ab Haico conditore, seu Armeni-

ca natio, una cum rege Tiridate, narratur ad Chriftianif-mum adducta per Gregorium, dictum illuminatorem, et a Leontio Caefareenfe Epifcopo ordinatum Armeniae Epifcopum, Georg. Cedren. ad a. 19. Conftantini, Moyfes Chorenenfis in hiftoria Armena, et Galanus. Elogium hujus Gregorii, ridiculis plane miraculis refertum, ex lingua Armena Latine verfum, ac Chryfoftomo adfcriptum, reperitur ad calcem Oper. Chryfoft. tom. XII. Ceterum, quod notari debet, intelligenda eft Armenia Major dicta, cum Minoris Epifcopus jam fec. III. memoretur ab Eufebio H. IV: 46. 4. Saraceni, alias Ifmaelitae dicti, feu Arabes Scenitae, de quibus vid. Sozomen. VI: 38. cum Romanorum terram depopulabantur, pace, hac conditione facta, ut Mofen quendam, in confiniis Palaeftinae et Aegypti verfantem, gentis fuae epifcopum haberent, Chriftianifmo locum dederunt, fub Regina Mauvia, recepto Epifcopo a. 372. paulo poft mortem Athanafii, in initiis Lucii. Vid. Ruffinus II: 6. Theodoretus IV: 23. Socrates IV: 36 et Sozomenus VI: 30., qui duo pofteriores hunc eventum male collocarunt, poft mortem Valentiniani Senioris, ut e prioribus manifeftum eft. Ecclefias Chrifti fuo tempore in urbe Petra, et inter Saracenos, fundatas effe, teftatur quoque Eufebius ad Jef. XLII. Ceterum obfervatu dignum eft, Mofen noluiffe Reginam ab Ariano Lucio ordinari, fed ab exulibus voluiffe Orthodoxis, uti factum eft, hac addita ratione, quod Chriftiano nomine indignus fit Lucius, quia Orthodoxos perfequebatur: memorabili hoc prolato dicto: *apud me certum eft, quod qui Chrifto recte credunt, ifta non faciunt*, Ruffin. l. c.

§. CCCXXXIV. 5. Gothi, alias Vifigothi dicti, cum fub Valeriano et Gallieno a. 263. in Afiam excurrerent, multosque captivos, inter quos erant Clerici, et Urphilae majores, Cappadoces, fecum duxerint, illi femina Chriftianifmi ibi fpargere coeperunt, ut narrat Philoftorg. H. II: 5. et Sozomen. II: 6. Refert quidem Socrat. I: 18. felicitatem

citatem illam Gothis Constantini tempore contigisse, sed illud de incremento Christianismi inter eos capiendum est; utique Theophilus, Gothorum Episcopus, Synodo Nicaenae interfuit, et subscripsit, ut est conciliorum tom. I. ed. Harduini. Videatur etiam Socrat. II: 41. et Sozomen. VI: 37. Postea Audaeus, unde Audiani orti sunt, de quo supra egi, religionem Christianam ibi propagavit, Epiphan. haer. LXX. Denique Ulphila, vel Urphila, ut habet Philostorgius, Episcopo Gothorum facto, et Arianismo infecto per Eudoxium et Acacium, tempore concilii CPol. a. 359., cui interfuit, Arianismus Gothos occupavit. Socrat. IV: 33. illud in gratiam Valentis fuisse factum narrat: quod ex Theodoreto H. IV: 37. clariore donari potest luce. Ipse enim refert, utrumque, et Valentem et Eudoxium, eo contulisse, praeterea Eudoxium Urphilae persuasisse, controversiam inter Arianos et reliquos non tam de re, quam de nomine, agitari; Gothos autem quidem adsumsisse, *Patrem esse Filio majorem*, sed Filium esse *κτίσμα creatum quid*, non fuisse ausos dicere, attamen cum illis, qui hoc dicunt, communicasse. Quod valde notabile est moderationis, et tolerantiae, exemplum. Ceterum de Ulphila, ac Gothorum conversione, legi meretur, ne alios memorem, Gothofredus ad Philostorgium. Illud quoque singulare est, nec silentio involvendum, Ulphilam libros sacros in linguam Gothicam vernaculam convertisse, exceptis Libris quatuor *Regum*, ob nimium gentis Gothicae in bellum ardorem; ne is per eorum lectionem magis accenderetur. Vid. Socrates, et alii modo citati: et ex recentioribus omnino Usserius de *Script. Vernaculis*.

PERSECUTIONES.

§. CCCXXXV. Persecutiones, quas Ecclesia hoc seculo subiit, aliae a Romanis, aliae a Persis, profectae sunt. Romana persecutio triplex fuit, Diocletianea, Liciniana et Juliana,

Juliana, prima omnium atrocissima et diuturnior, ab ani 303. usque ad 313., quo pax est per Constantinum M. pro curata stabilis et perpetua, religio quoque Christiana a eo tempore dominans, ut dicitur, facta est in orbe Romano Cujus notitiam cum seculo praecedente dederim, et supr de felici hac rerum in orbe Romano mutatione dixerim hic nihil addam. Reliquae duae fuerunt brevioris tempo ris, prior quoque particularis, et posterior minus cruenta ita ut neutra Ecclesiae multum nocuerit: quarum historiam adcuratius tradam. Licinius, cui Orientis inperii adminil tratio erat commissa, sorore Constantini M. in uxore ipsi data, in principio quidem vel professus est, saltem a externam speciem, religionem Christianam, vel ei fave visus est, ut tutius regnaret, quemadmodum Norisius qu que observavit de *numismate Liciniani Licinii*, Oper. tor II. vid. et Euseb. H. IX: 11. X: 4. et Sozomen. I: 7. Se postea, inter ipsum ac Constantinum orta discordia, ar mum mutavit, post primum inter eos bellum a. 314. gestun et Ecclesiam incepit vexare a. 319., ut probat Pagi ad B ronium. Cujus persecutionis historia ex Eusebio vit. Con I: 51.—II: 1. et H. E. X: 8. petenda est. Processit Lic nius gradatim hac in re. Christianos primum domo s expulit omnes, deinde τοὺς κατὰ πόλιν ςρατιώτας h. e. milit cohortales, quos Latini *apparitores et officiales* adpellan a castrensibus et legionariis diversos, ut observavit Valesi ad Euseb. H. l. X., nisi sacrificarent, honore privavit, c nique conventus prohibuit Ecclesiasticos, viros et mulier cultu publico una defungi vetuit, poena capitis in deli quentes statuta, tandem Episcopos variis sub praetextib adgressus est, seu et occidi curavit: inter quos recenset Basilius Amasenorum Episcopus; sed nescio quam ver utique in dubium vocavit Valesius ad Euseb. vit. Con II: 1., quem refutavit Pagi ad Baronium a. 316. Vi omnino Tillemont memor. Eccles. tom. V. p. III. Med tatus quidem fuit publicam tandem persecutionem in omn

Christ

Christianos, sed exsequi non potuit, a Constantino in ordinem redactus, et subactus: ut Eusebius l. cit. refert. Martyres vero soli fuerunt Episcopi, non Christiani reliqui; licet, forte et alios aliquos a Praefectis fuisse occisos, negare audacter nolim. Sed, *praeter optimos quosque Ecclesiarum antistites*, alios fuisse martyrio adfectos, non tradit Eusebius. Eo quoque spectare videntur verba Aurelii Victoris in Caesar. c. 41. *Licinio ne insontium quidem, ac nobilium Philosophorum*, (Christiani enim pro Philosophica secta fuerunt habiti,) *servili more cruciatus adhibiti modum fecere.* Incubuisse praeterea vim persecutionis praecipue in Amasenorum Ecclesiam, ex l. cit. colligi potest. Ex dictis denique satis elucescit, admitti vix posse historiam *quadraginta martyrum*, in quorum laudem exstat oratio Basilii M., et quorum acta recenset Ruinart. in *actis sincerior.*, qui omnes fuerunt ordinis militaris; quorum Eusebius non tantum non meminit, sed et milites tantum honore fuisse privatos tradit.

§. CCCXXXVI. Ultimus paganismi in Ecclesiam conatus fuit sub Juliano, principe laudabili, et Romano inperio utili, si apostasia ejus a Christianae religionis professione ad Gentilismum (fuisse enim eum professione Christianum, quod aliqui negant, dubium mihi non est, vid. La Croze in libello Gallico *dissert. histor.* etc., eum simulasse Christianismum, dicit Chrysostomus de *S. Babyla*) non tantum, sed in primis superstitiosus ejus et violentus zelus religionis paganicae excipiatur. Ipse ep. 51. ad Alexandrinos estatur, se viginti annos fuisse Christianum, et duodecim idolorum cultorem. Imo eum, scortatorum, et similis generis hominum, turba stipatum publice in honorem Veneris processisse tradit Chrysost. l. c., et provocat ad testes oculatos, adhuc in vivis. Modi, quibus Christianismum exstirpare conatus est, referuntur sequentes. 1. Gentilismum ubique instauravit, ut Templa, aras, simulacra, sacrificia, privilegia, et similia alia. Illud cum maxime inten-

diſſe Julianum, cum ad Inperium pervenit, teſtatur Libanius in Orat. *parentali* in eum, apud Fabricium Bibl. Gr. vol. VII. et, mox inſtituiſſe perficere, refert Ammian. Marcell. XXII: 5. nec non Socrat. H. III: 11. et Theodoret. V: 21. Quo fine ipſe non tantum ſuo praeivit exemplo, ut modo obſervavi, ſed et gentiliſmum emendare, ac laudabiles Chriſtianorum mores ac ritus ad eum transferri voluit, in primis charitatem, et vitae honeſtatem, a ſacerdotibus exerceri juſſit. Vid. notabilis ejus epiſt. XLIX. ad Arſacium, Galatiae ſacerdotem.

§. CCCXXXVII. Chriſtianiſmum 2. haud uno modo inminuere, et tandem penitus exſtirpare, adgreſſus eſt, variis uſus artibus, ipſius religionis Chriſtianae praeceptis, ſed perverſe explicitis. *a.* Cunctis ſectis libertatem conceſſit, ut mutuis litibus ſe vexarent, et religionis verae vim exſtinguerent, ſimul, ut Conſtantio, qui diſſentientes in exilium miſerat, invidiam crearet, ſecundum Sozomen. l. cit. Revocavit ergo Eunomianos, Arianos, Donatiſtas, fovitque Novatianos, omnibus fidem profitendi conceſſa libertate. Ammian. Marcell. XXII: 5. Sozomen. V: 5. Aetium quoque et Photinum honoravit Epiſtolis, quarum ad illum exſtat inter epiſtolas ejus, quae eſt 31*ma*, et ad hunc apud Facundum l. IV: 2. Praetexuit, nec ſine ratione, mutuum charitatis et pacis praeceptum a Chriſto datum. *b.* Judaeorum religionem voluit renovatam, et Templum reaedificari juſſit, ut Chriſtianis aegre faceret, et Chriſti prophetias eluderet. Opus quoque inceptum, ſed miraculoſe inpeditum, eſt, adeo ut in honorem Chriſtianiſmi ceſſerit. De quo mirabili caſu ſilet quidem Cyrillus Hieroſolym. in ſcriptis ſuis, quia ea ſunt anteriora, vidit tamen, et de irrito ſucceſſu certior fuit, ſi Ruffino H. l. I. ſit credendum, vid. et Socrates H. III: 20. Sed teſtatur Ammian. Marcellin. l. XXIII: 1. Gregor. Nazianz., autor aequalis, Orat. IV. qui etiam miraculoſas aliquas memoravit circumſtantias de terrae motu, lumine ſub forma crucis, et crucibus

cibus hominum vestibus ac corporibus inpressis etc., vid. etiam Socrat. l. cit., quas ex legibus naturae, divinitus directis, explicuit et confirmavit Warburton, qui ipsum hunc casum illustravit et adfirmavit. Vid. Journal. Britann. Mens. Sept. 1750. Ceterum simile quid ope fulminis, quoad signa crucis radiantia in vestibus, accidisse in Ecclesia Wellensi in Anglia a. 1610. vel 1611. ex ore Episcopi Wintoniensis retulit Is. Casaubonus in tractatu de *credulitate*, uti W. Lowth ad Socrat. l c. observat. Denique Chrysostomus variis in locis, ut adversus Judaeos et Gentes, Orat. V. contra Judaeos hom. IV. de Paulo, et de Babyla. Quid? quod ipsi Judaei, opus miraculose fuisse inpeditum, agnoscant. Vid. Wagenseil in Sota p. 236. Ceterum Judaeos, tempore Constantini, idem tentasse, sed ab Inperatore inpeditos, et prostitutos esse, tradit Anastasius, sec. VIII. vel IX. scriptor in Antiquis Lection. Canisii tom. II. quod alibi me legisse non memini.

§. CCCXXXVIII. *c.* Christianos noluit *magistros* esse *Rhetoricos et Grammaticos, nisi ad Numinum cultum redirent*, inquit Ammian. Marcell. XXV: 4. indignum ratus, eos ab ipsis tractari libros, quorum placita, et religionem, damnabant, adeoque eos, non gentiles libros, sed Matthaeum et Lucam legere debere statuit: uti Ipse declarat epist. XLII. ubi juvenes tamen a scholis paganorum frequentandis, et litteris liberalioribus addiscendis, non arcuit. Sed addunt historici Ecclesiastici, Socrat. III: 12. Theodoret. III: 8. et Ruffinus I: 12., interdictum fuisse Christianis, eas litteras discere, seu viam discendi obstruxisse; quod indicat quoque Sozomen. V: 18. et Augustinus expresse tradit de Civit. Dei l. XVIII: 52. Quod cum Ammian., et ipso Juliano, vix conciliari potest. Notabilia quoque in hanc rem sunt Ammiani verba, l. XXII: 10. *Illud autem erat inclemens, obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros Rhetoricos et Grammaticos ritus Christiani cultores.* Hieronymus quoque in Chron. legem tantum memorat, ne Christiani

tiani essent liberalium artium Doctores. Vid. etiam Valesius ad Ammian. Marcell., et ad excerpta p. 119. *d.* Honores militares, et donativa, non nisi gentilibus decrevit, et dedit. Vid. praeter historicos cit. Gregor. Nazianz. Orat. I. in Julianum. Dignitates quoque civiles et judiciales noluit iis committi, quod lex eorum usum gladii prohibeat, Ruffin. l. c., eosque censuerit praeferendos, qui pios se demonstrabant erga Deos, ut ipse inquit Ep. VII.

§. CCCXXXIX. *e.* Clericorum privilegia, honores, et immunitates sustulit, Sozomen. V: 5. adeoque jus dicere, testamenta scribere, alienas haereditates intervertere, et ad se transferre, vetuit Julian. ep. LII. ad Bostrenses. Virginibus et viduabus concessam a Constantino M. annonam revocavit, Sozomen. l. c. Theodoret. I: 11. Bona quoque Ecclesiarum, et nimias divitias, abripuit, et militibus aliisque divisit, praetextu, quod causae sint tumultuum, et legi Christi de paupertate adversentur, Julian. epist. XLIII. ad Ecebolum. Memoratur quoque in actis Gallicani ducis, hoc tempore passi, in Act. Sanct. Junii, lex Juliani, ut *Christiani nihil in hoc seculo possideant.* *f.* Denique Christianos contemtus ergo adpellavit Galilaeos, Chrysost. de Babyla, et Gregor. Nazianz. Orat. III. Ipse quoque in Epistolis hac nota eos insignivit, ut Epist. VII., ubi dicit, Galilaeos, non quidem vexandos, attamen Gentilibus postponendos esse. Orationes quoque habuit, et libros scripsit contra religionem Christianam, ad eam prostituendam. Edidisse traditur ab Hieronymo septem libros in expeditione Parthica, Epist. LXXXIII. ad Magnum: quibus demonstrare adnixus est, *Christianam religionem esse commentum humanum, malitiose confictum*, ut Cyrillus Alexandr. inquit contra Julianum p. 39. Quod ejus opus non superest, sed fragmenta reperiuntur apud Cyrillum, qui illud refutare adgressus est.

§. CCCXL. Julianus itaque, ut de vero conspectu hujus persecutionis quaedam subjungam, nulla cruenta contra Chris-

Christianos promulgavit edicta, in neminem, fidei causa, saeviit ad mortem, imo saepe testatus est, se ipsis concedere libertatem, modo a tumultibus abstineant, sesque teneant quietos, ut ex Epistolis citatis patet. Testatur quoque Prosper in Chron., Juliani *blandam fuisse persecutionem, illicientem magis, quam inpellentem, ad sacrificandum*, sic et Ruffinus l. cit. Adserit quoque Ammian. Marcell. l. XXII. 10. Julianum *nunquam argui potuisse ob religionem, vel quodcunque aliud, ab aequitatis recto tramite deviasse.* Ipse Gregor. Nazianz. Orat. X. dicit, Julianum non aperte, sed obtentu humanitatis, persecutum esse Christianos. Vid. et Orat. XIX. et XXI., ubi tamen omnium teterrimam adpellat persecutionem, quatenus τὸ πιθανὸν adjunxit tyrannidi. Observat vero Chrysostomus de Babyla, et in Juventicum, Julianum non esse ad mortem persecutum, quia Christianismum expugnare inpossibile erat, et ipsis gloriam martyrii invidebat. Sed, Julianum atrociorem persecutionem in animo habuisse, et Diis vovisse, si a bello Parthico feliciter esset reversus, narrat praeter Theodoretum H. E. III: 21. et Ruffinum, Gregor. Naz. Orat. II. in Julianum, et alibi, qui Orat. III. se illud tradere dicit fide eorum, qui arcana ejus norant. Sic et Chrysostomus de *Babyla*, hoc a consiliariis esse auditum, adserit. Ex quo facile elucescit, illud non adeo firmo niti fundamento.

§. CCCXLI. Ceterum, etsi martyrologio Romano fidem non adhibeam, negare tamen nolim, nonnullos fuisse in exilium actos, aliquos etiam capite plexos, aut alio modo morte adfectos, vid. etiam Theodoret. H. l. III. c. 11, 15, 16., sed partim propria culpa, ob seditiosa verba vel facta, partim per tumultuantem plebem, Juliano vel permittente, vel non nisi leniter objurgante, utique non vindicante, aut efficaciter inpediente. Juventicus, ut nonnullis exemplis dicta comprobem, Chrysostomo hom. in eum teste, capite cum socio Maximino truncatus est, ob nimis liberum sermonem contra Juliani artes, et superstitionem ab ipso revoca-

revocatam. Clerici in primis per tormenta, et carceres, vexati sunt, quod Templa, antea diruta, nollent reaedificare, aut pretium pro eo solvere, quodve vasa sacra et donaria, a Constantino Ecclesiis data, reddere recusarint, Sozom. H. V: 6. Illustre exemplum praebet Marcus Arethusius, a plebe Arethus. propterea misere, et inhumaniter, discruciatus, ut fuse narrat Gregor. Nazianz. Orat. III. Sed iste sese inprudenter, simul obstinate, in eo negotio gesserat, quod ne obolum inpendere voluerit ad motus compescendos. Christianos aliquando nimia gloriae martyrii cupiditate ductos, irritasse gentiles Magistratus, et inde persecutiones etiam fuisse ortas, tradit, simul reprehendit, Ambrosius de *Officiis* l. I. c. 42. Tumultum Alexandrinum, quo Episcopus Georgius misere cum aliis periit, per epistolam tantum increpuit, non vindicavit, Vid. ejus Epist. X. et Socrat. H. III: 3. De tumultu Antiocheno eum dixisse refert Gregor. Nazianz., sed nimis violentus ejus hostis, *quid enim grave, si una manus gentilis decem Galilaeos interfecerit.* Sed Ruffinus quoque tradit, *feritatem paganorum*, connivente Juliano, *in omnem saevitiam efferbuisse.* Chrysostomus quoque, *contra* Judaeos Orat. V. et hom. in Juventicum, adserit, Christianos sub Juliano multum fuisse vexatos, ita ut alii latuerint, alii deserta petierint etc. Basilicas Christianorum aliquas fuisse a Judaeis, sub Juliano, destructas, narrat Ambrosius ep. 40. ad *Theodosium.* Denique Gregorius Nazianz. Orat. II. in Julianum, penes quem fides sit, inter alias artes Juliani recenset, quod statuis Inperatorum, a populo adorari solitis, adpingi fecerit daemonum et idolorum figuras, ut Christianos vel sic simul idololatriae, si adoraverint eas, vel si recusaverint, criminis laesae Majestatis, reos ageret; addit, illud multis fuisse fraudi. Sed haec Juliana, sic dicta, persecutio haud multum detrimenti videtur adtulisse Christianismo, cum brevissimi fuerit temporis, Juliano, ut notum est, brevi in bello Parthico e vivis sublato. Athanasius, quo tempore Alexandriam

n sub Juliano reliquit, dixisse fertur, teste Socrate H. III: 14. *secedamus paulisper, nam nubecula est, quae cito evanescet.* Vid. et Theodoret. H. III: 9. Ipse quoque de exiguo successu fuit conquestus in epist. IV. ad Aristomenem philosophum, et XXVII. ad Libanium. Licet Ruffinus adfirmare non vereatur, eum *majorem populi partem* illis modis persequendi *elisisse, quam si atrociter pulsasset.* Quod forte contigisset, si diutius regnasset Julianus. Praefuit tantum post mortem Constantii *unum* annum, et Mens. 8. Mortis genus varie narratur. Equestri hasta fuisse percussum tradit Amm. Marcell., ab hostium equite fugiente id *conto* factum esse Eutropius et Hieronymus ep. 84., ictu fulminis habent acta Ephraemi Syri, in Oper. ejus Syriacis tom. III. *Ajunt*, inquit Theodoret. H. III: 25., ipsum vulneratum, haustum manu sanguinem in coelum jecisse, dicentem, *vicisti Galilaee.* Sed illud *ajunt* parum demonstrat.

§. CCCXLII. Quo tempore in Romano Inperio Christiani pace gavisi sunt, ab omni persecutione non tantum liberi, sed et primas tenentes in causa religionis, sub Inperatoribus Christianis, excepta brevissimi temporis persecutione sub Juliano, interea intestino bello religioso se mutuo oppugnarent: longe alia scena, extra illud Inperium, se ostentavit in regno Persico, ubi atrocissima viguit persecutio et diuturna, supra quadraginta annos saeviens, ab a. 330., quo incepit, ut Assemannus Bibl. Orient. t. I. ex Sozomeno, Theodoreto, et Theophane demonstravit, usque ad a. 373., quo Sapores mortuus est, rex Persarum, et persecutor Christianorum. Saevitum in eos est per exilia, tormenta, et caedes, ac innumeri facti sunt martyres. Sedecies mille fuisse, quorum nomina recoluntur, tradit Sozomenus H. II: 14. reliquae vero multitudinis ne numerum quidem posse iniri. Imo ad 190 millia numerat Maris Persa apud Assemann. l. c. in vita Simeonis. Ex quo etiam elucescit, quantos jam hoc tempore in regno Persico progressus fecerit religio Christiana. Causam persecutionis

conjicit Sozomen. l. c. in calumnias Magorum et Judaeorum, quibus Christianos, tanquam amicos Romani Inperii, et hostes ac proditores Persici, traduxerunt apud Saporem, regem Persarum, qui ab ann. 301. usque ad 373. per annos 72. regnavit. Historia persecutionis petenda est ex Sozomeno H. II: 8.— et actis martyrum Orientalium, quae Syriace exstant: ex quibus annales ejus contexuit Assemannus Bibl. Orient. tom. I et IV. Praeterea persecutionem aliquam in Persia adhuc vigentem circa ann. 387. memorat Chrysostomus adversus Judaeos et Gentes Oper. t. I. quo tempore iste liber conscriptus est.


§. CCCXLIII. Historia seculi *Quarti* absoluta, duo verbo adtingam quaesita, unum, num floruerit Ecclesia? alterum, quis character ejus dominans fuerit? Quod ad *prius* adtinet, partium essentialium respectu dici nequit Ecclesia multum lucrata, nisi quod dogma Trinitatis fuerit adcuratius discussum, et firmius adsertum, canon quoque Script. S. maximam partem definitus, absque tamen, ut circa nonnullos libros dissensus fuerit sublatus, aut dissentiendi libertas alicui nocuerit, quod notatu dignum est. In reliquis autem plus detrimenti passa est, et obscurata. Utique in *cultu* religioso jacta sunt omnis fere superstitionis fundamenta, et nimia rituum multitudine ac pompa obrui coepit: in *regimine* via est strata ad *dominium* Cleri, in primis Romani, et ad fraudes, ac persecutiones mutuas, fidei et opinionum causa. In vita et *moribus* sese laudabilem non praestitit Ecclesia, multis vitiis quoque commaculata fuit. Monachatus hoc seculo introductus, si principiorum, quibus superstructus est, et officiorum, ac rituum ejus, habeatur ratio, faciem genuinam Christianismi magis obscuravit, quam illustravit, longe plus damni quam utilitatis adtulit, teste historia. Quoad partes *accidentales*, felix quidem fuit ejus status, quod, persecutionibus in orbe Romano finitis, pace ac libertate hac parte gavisa sit, et de orbe gentili triumphaverit, superstitione gentili et idololatria eliminata; sed

respectu

respectu pacis Ecclesiasticae, turbida, et miserabilis plane, fuit ejus conditio per lites, haereses et schismata, mutuasque inprimis vexationes, et persecutiones. Quae omnia ex superiore tractatione constant.

§. CCCXLIV. Character dominans Ecclesiae, quod alterum est quaesitum, periodo persecutionis sub Constantino finita, post persecutionem ultimam Diocletianeam, unice est, ex mea opinione, constituendus in litibus, discidiis, motibus, et vexationibus mutuis, fidei et disciplinae causa: sicut ex superioribus patet, et ex sequentibus seculis, quibus hic character continuavit, patescet ulterius. Bellum spirituale et religiosum inter Christianos ipsos successit in locum belli cum Paganis. Quod historici, ut Euseb. vit. Const. I: 67. Theodoret. I: 6. et Socrat. I: 6. non neglexerunt expresse notare; et ex *tertio sigillo*, Apocal. VII: 5., confirmatur. De quo fusius exposui in tractatu *de Periodis Ecclesiae in methodo Prophetica*. Basilius M. epist. 92. ad *Italos et Gallos* tradit, sanae doctrinae praetextu *bellum secum* gerere Christianos, et ipsos Catholicos in semet ipsos esse divisos, ipsisque incumbere similes calamitates, quae olim Hierosolymis, Vespasiano obsidente, acciderunt, etc. *apud nos*, addit, *praeter apertum haereticorum bellum, aliud praeterea ab iis, qui videntur recte sentire, excitatum, ad extremam debilitatem Ecclesias perduxit.* Satanas, epist. 129. ad *Alexandrinos*, dicit, bello Gentilium cum Christianis inferior, Ecclesia quippe eorum persecutionibus multiplicata, et magis florente, *consilium mutavit, nec jam aperte bellum gerit, sed occultas nobis insidias struit, obtegens callidam nocendi voluntatem nomine* Christiano, *quod circumferunt, ut et patiamur eadem, quae Patres nostri, nec videamur pati pro Christo, eo quod Christianorum nomen habeant et ipsi persecutores.* Vid. et epist. 243. ad *Episcopos Italos et Gallos* de perturbatione, et confusione, Ecclesiarum. Quibus querelis plenae sunt ejus Epistolae. Sic ep. 70. *Oriens*, adserit, ab Illyrico scilicet ad AEgyptum usque, *ingente tempestate ac*

aestu exagitatur per haereses, et lites, Epist. 82. ad Athanasium, *Ecclesiam* dicit esse *omnem dissolutam, quomodo velut in pelago multis simul navigantibus, fluctus violentia omnes simul inter se collidantur, fiatque naufragium, partim ob externam causam mare violenter exagitantem, partim ob navigantium, sibi mutuo obstantium, ac se inpellentium, perturbationem.* Vid. et epist. 90. ad Occidentales, 92. ad Italos, modo citata 164. ad Ascholium Episcopum Thessalonic. Desino in epist. 242. ad *Occidentales*, a. 376. scripta, ubi inter alia dicit, *annum esse decimum tertium, ex quo haereticum in nos bellum est exortum, in quo plures evenerunt Ecclesiis adflictiones, quam evenisse memorantur, ex quo euangelium Christi adnunciatur.* Conferantur denique quae supra, ubi de vita et moribus, in medium adtuli.



SECULUM

SECULUM QUINTUM.

SCRIPTORES ECCLESIASTICI.

GRAECI.

§. I. INter Graecos nemo hoc seculo ab eruditione, et laboribus, clarior fuit *Theodoro* Antiocheno, vel Mopsuesteno: quo utroque nomine notus est, priore, quia Antiochiae natus est, et ejus Ecclesiae presbyter fuit, teste Gennadio de Script. Ecclesiast., vel sacras litteras in ea docuit, ut Leontius non tantum et Hesychius in Actis concilii V*ti* a. 553. tradunt, sed et Meletius, successor Theodori in Episcopatu, apud Baluzium in nov. collect. concil. p. 875. posteriore vero, quia Episcopus fuit Mopsuestiae in Cilicia secunda, successor Olympii ab ann. 394.; quam sedem per annos 36. tenuit, defunctus a. 429. Familiaris fuit Chrysostomi amicus, et studiorum socius. Qui ambo in Rhetorica Libanium, in Philosophia Andragathum, Sozomen. VIII: 2., in Theologia ac Scripturae studio praecipue Diodorum Tarsensem, et Carterium, habuerunt doctores. Vitae autem monasticae, quam juvenis quoque, pro more seculi, amplexus erat, cum amore Hermiones, quam uxorem ducere volebat, ductus, renunciare vellet, a Chrysostomo ab hoc proposito abstractus, et in vita monastica confirmatus est. Quo fini ad eum duae scriptae Epistolae supersunt in Oper. Chrysost. tom. I., lectu dignae. Presbyter dein, vel Doctor Antiochiae, denique Episcopus Mopsuestiae,

ſueſtiae, ut narravi, factus, inmenſam tractatuum multitudinem conſcripſit, et in totam Script. S. commentatus eſt, ſed nihil, quod dolendum, ſupereſt, praeter fragmenta in ſic dictis *Catenis*, in actis Synodorum, praecipue Oecumenicae quintae, et apud Leontium etc. Vid. Fabricius Bibl. Gr. vol. IX.

§. II. Varia ſunt, quae hunc virum reddiderunt celeberrimum. 1. Nova Scripturam S. interpretandi methodus, in ſenſu litterali et hiſtorico eruendo, ſepoſito myſtico et allegorico: quare Syris dictus eſt eximie *Interpres*. Quam methodum antea tenuerat Euſebius Emiſenus, teſte Hieronymo in *Scriptor. Eccleſ.*, et Diodorus Tarſenſis, ſecuti ſunt Chryſoſtomus, et dein Theodoretus. Leontius vero contra Neſtorian. l. III., qui ejus meminit, adpellat *humiliter et demiſſe interpretari*: addit quoque, Theodorum omnes Pſalmos Judaice ad Hizkiam et Zerubbabelem retuliſſe, *tribus tantum ad Dominum rejectis*. Sed Chronicon Paſchale eum quatuor Pſalmos ad Chriſtum *directe* pertinere tradit ſtatuiſſe; quod Coſmas Indicopl. lib. V., autor Neſtorianus, adfirmat, recenſens Pſalmos II, VIII, XLV et CIX. Facundus vero Hermianenſ., de *tribus capitulis* l. III., eum hac parte excuſans, cap. 6. refert, prophetias aliquas ab eo fuiſſe de Chriſto *moraliter* explicitas. Retulit itaque pauca tantum loca directe et proprie ad Chriſtum, alia vero myſtice et typice, vel per adcommodationem ad ſpiritualia tranſtulit. De quo plura nihil adtinet dixiſſe. Nonnulla ſpecimina, ad Chriſtum ſpectantia, excerpta ſunt ex Theodori libris a Synodo CPol. II. ſec. VI. collat. IV. 2. Criticum quoque ſeſe reſpectu librorum Script. S. praeſtitit, eoque nomine male audit etiamnum. Jobum, Canticum canticorum, tanquam libellum amatorium, Chronicorum libros, et Eſdrae, Inſcriptiones quoque Pſalmorum, et Canticorum denique Epiſtolas Jacobi, et reliquas Catholicas controverſas, traditur repudiaſſe, tanquam libros non Canonicos, a Leontio, qui addit, ipſum fidei Nicaenae Symbolum,

et

ut missam receptam, ausum fuisse mutare, substitutis aliis. Exstat quoque sub ejus nomine *expositio fidei* in actis syn. V. et in operibus Marii Mercatoris tom. II., sed num ejus sit, non constat, et negat Facundus l. cit. Reperitur quoque ejus Missa ex Syriaca lingua versa apud Renaudot. Liturg. Orient. t. II. Denique 3. praelusisse legitur Pelagio et Nestorio, eorumque jam tenuisse opiniones; et ejus quoque causa vehementes suscitati sunt motus sec. VI. De quibus postea suo loco. Excerpta ex ejus libris, huc spectantia, prostant in actis concilii V. collat. IV. Diversa autem doctorum de Ipso judicia et fata exhibet etiam Norisius de Synodo Oecumen. V. cap. 11.

§. III. Zeli Orthodoxiae, laborum, et autoritatis respectu, omnibus fere palmam praeripuit *Cyrillus* Alexandrinus; cujus historia est valde memorabilis. Ipse ex sorore Theophili, Episcopi Alexandrini, acerrimi istius adversarii Chrysostomi, natus, Theophilo successit in ea sede a. 412., et eam per 32 annos tenuit, mortuus a. 444. Famosus in primis est per Nestorii oppugnationem, et condemnationem, ab ipso praecipue effectam, eamque secutum grave dissidium cum Orientalibus, Johanne Antiocheno, Theodoreto, et aliis: de quo postea suo loco. Contentio cum Nestorio incepit a. 429., quo contra homilias Nestorii emisit varias epistolas, ad Monachos, ad Clericos CPol., ad ipsum Nestorium, et Caelestinum Papam, nec non expositionem fidei ad Theodosium Inperatorem, etiam ad Pulcheriam ejus sororem, Augustam declaratam, quae in actis Syn. Ephesinae exstant, adeo ut omnem moverit, ad Nestorium suspectum reddendum ac damnandum, lapidem. Anno seq. 430. homiliam publicavit paschalem, ordine 18*vam*, ad omnes Ecclesias, quas ad praelium contra Nestorium inflammavit. Legatum quoque misit Posidonium, Alexandrinum diaconum, ad Caelestinum Papam, cum litteris, cujus commonitorium per Posidonium missum, recensuit Baluzius in nov. collect.: praeterea ad Acacium Berooensem, sed qui in litteris re-

sponsoriis hanc controversiam parvi fecit, tanquam de nomine tantum. Habita deinde Synodo Alexandrina eodem anno, Synodicam misit Nestorio, fidei expositionem complexam et duodecim anathematismos, ab Ipso subscribendos, una cum denunciatione sententiae a Caelestino praecipitanter contra Nestorium latae. Exstant anathematismi in actis Ephesinis, et apud Marium Mercatorem Garnerii. Edidit quoque duplicem apologeticum haud diu post, unum adversus Orientales Episcopos, alterum contra Theodoretum; in tomo ultimo operum Cyrilli. Contra quae ejus capitula scripserunt Theodoretus, Gennadius, postea Episcopus CPol., et Isidorus Pelusiota, licet Cyrilli magister, et quasi Pater habitus. Deinceps a. 431. praefuit Synodo Ephesinae universali, de qua postea, quae tantorum motuum causa fuit, et Cyrillum cum Orientalibus commisit. Nestorio enim in ea, non exspectato adventu Orientalium, et inaudito, condemnato, Cyrillus cum sociis a Johanne, coacto concilio, itidem fuit condemnatus et depositus. Pax quidem inter hos dissentientes aliquatenus est a. 432. facta, sed lites inter Cyrillum et Orientales sopitae non tantum non sunt, sed recruduerunt, et ad vitae finem durarunt. Denique in ipsum Theodorum Mopsuesten., licet in communione Ecclesiae mortuum, insurrexit. Initio quidem, erroribus ejus damnatis, ipso non nominato, contentus fuit, sed postea in ejus damnationem consensit, et contra eum scripsit. Quorum librorum fragmenta in actis Ephesinis prostant.

§. IV. Ex qua, summaria licet, vitae ejus historia, quam vehementioris indolis vir fuerit Cyrillus, quam inmoderato Orthodoxiae suae zelo inflammatus, quantorumque motuum autor, sicut clare elucescit, ita et in scriptis eristicis comprobavit, ac ab aliis est declaratus. Testatur quoque de tyrannico ejus zelo oratio in Synodo Ephesina contra Johannem, in actis ejus obvia, et horrenda ejus in Joh. Chrysostomum convicia memorat Facundus Hermian. de

tribus

tribus capit. l. VI. c. 6. Nimiam contentionem ejus, et propriarum injuriarum ultionem, ſub praetextu pietatis, reprehendit Iſidorus Peluſiota l. I. ep. 310. et 370. Ipſe Inperator Theodoſius dominandi libidinem, aliaque vitia, ipſi exprobravit in Epiſt. ad eum, quae in Actis Epheſinis ſuperest, et teſtatur quoque Socrat. H. VII: 7. Hypatiae vero caedes, ipſi inputata, ſi ab Ipſo fuerit procurata, execrandum ipſius erit apud omnes bonos nomen. Hypatia ſcilicet, Theonis Philoſophi filia, ſed erudita, inſtar oraculi paſſim conſuli ſolita, valde a Syneſio etiam, ep. ad ipſam, quae eſt ordine 10*ma*, laudata, narratur tumultu plebis Alexandriae miſere obtruncata, et in partes diſcerpta a. 423. ſecundum Theophanem, ſed ſecundum Socrat. H. VII: 15. a. 415. Vid. praeter Socrat. l. c. Philoſtorgius H. VIII: 9. et Suidas in Hypathia ex Damaſcio. Cyrillo, ejuſque invidiae, horrendam illam caedem tribuit Damaſcius, Socrates, illud facinus Cyrillo et Eccleſiae Alexandrinae magnum adtuliſſe opprobrium, ſimpliciter refert, Philoſtorgius reos ejus agit homoouſiaſtas, vel Orthodoxos. Alii Cyrillum excuſant, et furori plebis adſcribunt: quod vellem eſſet certius et verius. Suſpectus praeterea acerrimus hic aliorum cenſor factus eſt opinionis, quam poſtea Eutyches urſit, de confuſione duarum in Chriſto naturarum, quia unam in Chriſto, poſt unionem, ſtatuit φύσιν: ſed per eam cenſetur intellexiſſe ὑπόστασιν *hypoſtaſin*. Vid. quae de Cyrillo profert Ephraim Antiochenus, apud Photium Bibl. cod. 229. et Eulogius Alexandrinus ibid. cod. 230. Scripta Cyrilli, bene multa, et lectu digna, proſtant, ex editione J. Auberti, ſeptem voluminibus in Fol., et ſunt *commentarii* in Jeſaiam, XII. prophetas, et Johannis euangelium, ſcripta eriſtica in cauſa Neſtoriana, et alia, ut theſaurus, de Trinitate, Epiſtolae etc.

§. V. *Theodoretus*, qui ſuperioribus recte adjungitur, cum Theodori fuerit diſcipulus et admirator, Cyrilli acerrimus adverſarius, neutro minor, nobis ad hiſtoriam Eccleſiaſticam

utilissimus, cujus vitam, post Sirmondum in Prolegom., et Oper. tom. II., adcurate descripsit Garnerius in auctario operum Theodoreti, petendam praecipue ex actis conciliorum, Ephesini, Chalcedonensis, et Oecumenici *Vti*, nec non Synodico contra tragoediam Irenaei, Episcopi Tarsensis Nestoriani; aliisque historicis: Theodoretus, inquam, ut summa perstringam capita, Graece θεοδώρητος, vel Theodoritus, litteris η et ι saepe in pronunciatione confusis, ita adpelatus, quod mater, post longam sterilitatem, eum a Deo, per preces, ut putabatur, Macedonii ascetae, inpetrasset, in prima infantia, adhuc septennis, in monasterium Euprepii prope Antiochiam datus, ibi et vitae monasticae, et studiis, strenuam dedit operam, mansitque usque ad Episcopatum. Ubi quoque cum Johanne, postea Antiocheno, et Nestorio, deinceps CPol., Episcopis, ibi degentibus, arctissimam contraxit amicitiam, et unitus mansit in posterum in litibus Nestorianis. Praeceptores habuit Theodorum Mopsuestenum, et Johannem Chrysostomum, quorum methodum Scripturae S. explicandae postea secutus quoque est. Lector primum, dein Diaconus ordinatus Antiochiae, vitam in monasterio continuavit, usque ad annum 423., quo Episcopus creatus est, ut ex Epist. ejus 113. ad Leonem M. Papam anno 449., mox post Synodum Pseudo-Ephesinam a. 448., scripta, patet, cum in ea, se annos 26 sedisse, tradat. Dicit quidem in epist. 81. ad Nomum Consulem, qui anno 445. consul fuit, se 25 annos fuisse Episcopum, sed *consularem* esse legendum, et non consulem, observavit jam Pagi ad Baronium a. 423. Fuit autem [illegible] eo tempore Episcopus Cyri, urbis provinciae Euphratesi[illegible] in Syria, quam ipse epist. 32. adpellat desertam, pauc[illegible] habentem et pauperes incolas, vid. etiam epist. 42. Continebat autem Cyrestica regio octoginta vicos. Ipse ver[illegible] de vita sua honesta, de praeclaris suis facinoribus in usum civitatis, etiam de Ecclesiis suis ab haereticis Marcionitis, quorum 10 millia Ecclesiae adjunxisset, Arianis, Macedonianis

nianis, et Apollinariſtis, purgatis, teſtatur epiſt. 81. ad Nomum, et 145. ad Monachos CPol., in quo adjutus fuit ab Anachoretis, ut Mari, Jacobo, et aliis.

§. VI. Inplicitus in primis fuit litibus Neſtorianis, variisque propterea ſubiit fata. Statim ac Cyrillus duodecim ſuos anathematiſmos contra Neſtorium in publicum emiſiſſet, ipſe calamum contra eos ſtrinxit, tanquam Apollinariſmi plenos, primum ante Synodum Epheſinam a. 430., dein poſt eam, ut ipſe in praefat. *pentalogii* ſui. teſtatur. Quorum librorum fragmenta exſtant apud Marium Mercatorem Garnerii, et anathematiſmorum refutatio, ad calcem Oper. Theodoreti tom. IV. Ex quibus libris errores ſec. V. excerpti ſunt, propter quos a Synodo V*ta* damnatus eſt: de quo poſtea. Synodo vero Epheſina Oecumenica ab Orientalibus deſerta, Ipſe cum Johanne Antiocheno aliiſque in ſecretum conceſſit concilium, in quo Cyrillus fuit damnatus, a. 431., et legatus quoque CPolin miſſus eſt ad Inperatorem, nomine Orientalium; ſed nihil obtinuit. Pace deinceps utcunque inita inter Johannem Antiochenum et Cyrillum, qua fides Epheſina, et Neſtorii damnatio, admiſſa quidem eſt a Johanne, ſed et ejus fidei confeſſio a Cyrillo firmata eſt, a. 432. Theodoretus, cum Dorotheo aliiſque, in Neſtorii damnationem recuſavit conſentire in principio, ſed, poſtquam Inperator emiſiſſet *ſacram*, qua eos, qui pacem amplecti nolunt, Eccleſiis expelli juſſit, pacis conditiones, a Johanne propoſitas, accepit, a. 434., in recuſatione licet perſiſtente Alexandro Hierapolitano, Euphrateſiae Metropolita. Manſit nihilominus acerrimus Theodori, Diodori, et Neſtorii defenſor, ac Cyrilli adverſarius, quam ob rem in ſuſpicionem Neſtorianiſmi venit, et, cum Theodoſius, lege lata, exilium indixiſſet omnibus, qui Neſtorii dogmata quovis modo ſectarentur, juſſus eſt vacare ab omni munere, ſeſeque Cyro continere, tanquam in exilio, a. 448. Factione deinde Eutychianorum, et in primis Dioſcuro Alexandrino, dominante, cum aliis etiam Orthodoxis,

doxis, sede est depositus in Pseudo-Synodo Ephesina a. 449. praeside Dioscuro: verum ope Leonis Papae, ad quem, cum ad alium nullum posset, confugerat, et Synodi Romanae, restitutus est eodem anno, actis Synodi Ephesinae rescissis, vel potius in communionem est receptus, sedi non nisi sub Marciano Inperatore redditus a. 450., ope potentissimorum virorum, ad quos epistolae ejus 138—140. extant. Tandem in Synodo Chalcedon. a. 451., cum Eutychiani sese ingente contentione, quae a tumultu prope aberat, ei opponerent, tanquam ob damnatos Cyrilli anathematismos, et negatam Nestorii damnationem, suspecto, non obstante confessione ejus, et Leonis Papae absolutione, nec locum in Synodo concedi vellent, vicit Leonis Papae, et Marciani Inperatoris, autoritas, ita ut tanquam Dioscuri accusator fuerit admissus. Nec tamen adversarii ejus quieverunt, postulantes, ut Nestorio aperte et nominatim anathema diceret: quod tandem, post multas tergiversationes, facere, jussu Synodi, coactus est, ut ex Actis Synodi, Leontio, et aliis, patet: sed domum redux ab Episcopali munere videtur sponte abstinuisse, seseque totum libris scribendis dedisse; nec diu superfuit, mortuus a. 458. secundum Garnerium, utique sub Leone Augusto, teste Gennadio, qui inperare coepit, a. 457. Qua ratione nomen ejus fuerit sec. V. laceratum, suo tempore narrabo.

§. VII. Opera Theodoreti, quorum optima editio est Sirmondi, 4 vol. in Fol., quibus addendum est auctarium Garnerii, uno vol. in fol., maximam partem sunt Commentarii in Scripturam Vet. et Nov. Test., haereticarum fabularum libri, curatio Graecarum adfectionum, seu contra Gentiles, Epistolae, aliique tractatus eristici. Quibus in primis addenda est Historia ejus Ecclesiastica, quinque libris, quae annos continet 105, ab Ario, seu a. 325., usque ad obitum Theodori Mopsuesteni, et Theodoti Antiocheni, seu a. 429., ut demonstrat *Pagi* ad Baron. a. 427., publicata post a. 448. ut contendit Valesius, qui eum eo scopo

scripsisse

[redacted]

ſcripſiſſe vult. in Praefat., ut Socratis et Sozomeni defectum ſuppleret: quod minus certum eſt, et a Pagi l. c. refutatur. Comparet inter *ſcriptores hiſt. Eccleſ.* Valeſii. Scriptis Theodoreti quoque accenſendi ſunt dialogi cum Anomoeis, Macedonianis et Apollinariſtis, qui Athanaſio, vel Maximo, a nonunllis tribuuntur, ut probat Garnerius, qui eos edidit Oper. Theodoreti tom. V., ſed ejus nomen mentitur Epiſtola ad Sporacium adverſus Neſtorium, in adpendice Oper. tom. IV., ut et caput 12*mum* lib. IV. haeret. fabul., cum illis in ſcriptis nimis acerbe in Neſtorium invehatur; nec in quaeſtionibus de Theodoreto ſec. V. eorum facta eſt mentio. Vid. Garnerius in *auctario* Theodoreti. Dialogos de Incarnatione, qui ejus nomen praeferunt, autorem habere recentiorem, non male diſputavit Baratierus in Bibl. German. tom. 48., ubi clare videtur quoque eviciſſe, librum Theodoreti de Anachoretis, qui Philotheos inſcribitur, eſſe ſpurium. Utique nonnulla ibi reperiuntur a Theodoreti narratione diverſa, uti in hiſtoria mortis Arii, et Jacobi Niſibenſis, et aliorum; et nimiam ſpirat ſuperſtitionem, quam Theodoreto convenire videtur, uti ex. g. in vita Jacobi cap. XXI., et memorat ſaepe miracula per ſignum crucis, oleum et aquam, divina invocatione benedicta, facta. Ceterum fuit Theodoretus vita aſceta, ſtudio religionis tenaciſſimus fidei Orthodoxae, charitate et liberalitate inſignis, eruditione denique et Scripturae S. ſcientia, pro eo tempore, magnus.

§. VIII. Eodem etiam tempore floruit *Iſidorus* Peluſiota, a Peluſio, primaria inferioris AEgypti poſt Alexandriam urbe, ſic adpellatus, quippe cujus monachus non tantum, ſed et Abbas fuit, ut ex Synodico adverſus tragoediam Irenaei liquet. Interfuit concilio Epheſino a. 431., teſtibus Epiſtolis ejus, 310*ma* ad Cyrillum, et 311*ma* ad Theodoſium. Sed poſt annum 433. nulla ejus fit mentio, cenſetur tamen defunctus circa a. 449. Vir fuit eruditionis, in primis pietatis, laude conſpicuus, Chryſoſtomi diſcipulus, et de-

fensor contra Theophilum et Cyrillum, Alexandrinos Episcopos, fidus quoque ejus in scriptis suis imitator, uti observavit quoque Rittershus. Lection. S. l. IV. c. 15. Elogium ejus exstat apud Evagr. H. E. 15. et Ephremium Episcop. Antiochenum, in epist. ad Zenobium, quam citat Photius in Bibl. Scripsit ingentem Epistolarum copiam, quarum 2013 supersunt, in quinque libros divisae, et Gr. et Lat. editae Paris. 1638., quae optima habetur editio. Lectu sunt dignissimae, et multa ad vitae morumque informationem, in primis ad varia Script. S. loca illustranda, in iis reperiuntur.

§. IX. Adjungatur ei, cum Evagrio l. cit., *Synesius*, ex Philosopho gentili Christianus, simul, singulari exemplo, Episcopus factus, retentis opinionibus, minus Christianis habitis a Catholicis. Patria ipsi fuit Cyrene, Pentapolios in Libya urbs celeberrima, pro qua legationem quoque obiit ad Imperatorem, et orationem habuit, qua eam semirutam petiit, nec sine effectu, sublevari, a. 399. Quae oratio ejus de Regno superest. Philosophiae operam dedit Alexandriae, magistra usus celeberrima illa Hypatia, cujus in vita Cyrilli memini. Licet a Christiana religione non fuerit alienus, uti Petavius in Prolegom ad Synesii opera probat, adhaesit tamen gentilismo, et utramque religionem aliquatenus conjunxisse videtur. Utique gentilem adhuc fuisse, quo tempore Episcopus est electus, multa evincunt, et historici testantur, imo ipse Synesius Ep. 67. ad Theophilum. Episcopus Ptolemaidis fuit electus, a civibus urbis, et confirmatus a Theophilo Alexandrino a. 410. licet invitus ut Ipse epist. 105. ad fratrem narrat, et rationes, quas recusaverit, exhibet, satis singulares; uti, quod uxorem nec dimittere, nec cum ea clam, sed palam, consuescere vellet, quodque nonnullas foveret opiniones, pro minus Catholicis habitas, quibus renunciare nollet, quae fuerunt de animarum praeexistentia, mundi aeternitate, et incorruptibilitate, de resurrectione mortuorum inproprie intelligenda

fatem pro mysterio, et re inexplicabili, habenda- e Platonis et Origenis erant dogmata. Sed, illis non intibus, Episcopus est ab ipso Theophilo, licet Origenis- m, et Chrysostomi, adversario acerrimo, ordinatus. Ex- unt quidem aliqui, eas rationes fuisse a Synesio fictas, Episcopatum declinaret, sed contrarium evidenter de- avit Holstenius de *Synesio, et fuga Episcopatus*, ad cal- Evagrii edit Valesii. Paradoxum sane est hoc factum, scriptores Ecclesiastici illud per legem dispensationis ex- lat. Ceterum legi meretur de hoc casu Synesii, ejusque ionibus, Beausobr. hist. Manich. l. VIII. c. 5. Inter doxas ejus opiniones etiam est, quod, *si Angelus posset in triginta annos cum hominibus ita consuescere, absque affectus inficeretur ex materiae malis, necesse non fuerit, Filius Dei descenderet*. Vid. Epist. 57. versus fin. Gessit o sese in Episcopatu praeclare, et controversiis compo- dis operam dedit, vid. epist. 67. De Chrysostomo quam abiliter sentiat ipse exponit Theophilo, ep. 66. ad n. Quamdiu functus fuerit hoc munere non constat, ante Synodum Ephesinam jam fuit mortuus, cum fra- ipsius Euoptius tanquam Episcopus Ptolemaidis inter- it Synodo, ut ex Actis ejus liquet. Scripta ejus praeci- sunt Epistolae, et de Providentia, aliisque materiis, avio in unum collecta, et optime edita.

X. Circa medium seculi floruit *Basilius*, Seleuciae in ria Metropolita, qui in causa fidei, de qua nunc con- ersum fuit, se varium demonstravit. In Synodo CPol. 48. Eutychen damnavit, sed a. 449. in Pseudo-Syn. esina illud revocavit, et duas in Christo naturas con- s proscripsit. Deinde in Syn. Chalcedon. a. 451. cum oneretur, sibi vim a Dioscuro esse illatam conquestus, fidei confessione edita, restitutus est. Superfuit adhuc 59. Exstant ejus homiliae et alia opuscula ad calcem gorii Thaumaturg. etc. Paris. a. 1622. Sed *demonstratio* ra Judaeos non est ejus, quae etiam in Antiquis Lec-

 tion.

tion. Caniſii reperitur, tom. I., nec etiam hiſtoria vitae Theclae, Vid. praeter alios Baſnagius ad Caniſ. l. c. Celebris quoque fuit, Theodoſio Jun. et Marciano Inperantibus, *Nilus*, Chryſoſtomi diſcipulus, vir nobilis, et praefectura CPol. illuſtris; qui, vita ſeculari repudiata, uxore relicta cum filio, Monaſticam vitam, cum alio ſuo filio, elegit, et ad Monachos Nitrienſes conceſſit, cujus ſuperſunt quaedam Epiſtolae, a Leone Allatio editae, nec non alia opuſcula maximam partem aſcetica, a Suarezio publicata, et aliis, Vid. praeter martyrologia de Ipſo Nicephorus H. XIV: 54. et ex recentioribus Leo Allatius in diatriba de Nilis, recuſa a Fabricio Bibl. Gr. vol. V. Ceterum fuit, ſicut Chryſoſtomi diſcipulus, ita ejus eximius admirator, ac laudator, fidus quoque imitator, qui ejus imaginem in doctrina, vita, moribuſque, etiam cenſoria libertate in vitiis qualiumcunque, ipſorum Principum, ne Inperatore Arcadio excepto, quem duabus epiſtolis cauſa Chryſoſtomi perſtrinxit, taxandis, in ſe vivide expreſſit. Sunt quoque ejus ſcripta ad vitam devotam, in primis Monaſticam, rite degendam utiliſſima. Circa extrema ſeculi, ſeu tempore Vandalicae perſecutionis, cujus meminit, vixit *Aeneas* Gazaeus, ex Platonico Chriſtianus, autor dialogi, qui *Theophraſtus* inſcribitur, de animarum inmortalitate, et reſurrectione, qui Gr. et Lat. prodiit Baſiliae, cum verſione Wolphii, dein a Barthio editus, praeterea quindecim ejus epiſtolae exſtant in collectione Aldina et Cujaciana. Denique in fine ſeculi *Sabas* celebris fuit Monachus, et laurae Hieroſolymitanae Abbas, cujus ſupereſt *typicum*, τυπικὸν, ſeu ordo recitandi officium Eccleſiaſticum; inter libros Eccleſiaſticos Graecorum. Vid. Leo Allatius de libris Eccleſiaſticis Graecorum apud Fabricium l. cit. Hujus poſtremo, aliis miſſis, quoque ſeculi eſt *Heſychius*, Preſbyter Hieroſolymitanus, autor commentarii in Leviticum, et aliorum opuſculorum in Bibl. M. P. t. XII. De quo vid. Albertinus de Euchariſtia lib. II.

§. XI.

. Inter historiae Ecclesiasticae Conditores, ad quos
eminuerunt hoc seculo *Socrates et Sozomenus*, prae-
odoretum, de quo supra egi, qui tres Eusebium
trunt, et ad tempora Theodosii Jun. produxerunt,
retus ad a. 429. reliqui ad a. 439. Eodem quoque
: conscripserunt et promulgarunt historias suas, abs-
alius alium vidisse, multo minus excerpsisse, videa-
et Sozomenum esse Socrate usum, et Theodoretum
, censeat Valesius, sed sine solida ratione. Sicut
retus in rebus Orientis, ita duo alii in rebus CPol.
res sunt, cum ille in Oriente, hi CPoli fuerint ver-
crates et Sozomenus fuerunt causidici CPol., prior
a Scholasticus dictus, quo nomine advocati venie-
uia ex Rhetorum Scholis venientes juvenes artem
solebant causidicam: fuit vero CPol. oriundus, So-
s vero Palaestinus, e vico juxta Gazam, dicto Be-
sicut uterque de se testatur. Socrates judicio, et
one in temporibus notandis, Sozomenus stili elegan-
cilitate est superior, qui inter monachos educatus, vi-
asticae ubique favit, Socrates autem sese adeo aequum
rat Novatianis, ut eorum sectae fuerit visus addic-
et minus solido fundamento. Plura suppeditat Va-
Dissert. de vita et scriptis eorum, praefixa eorum
Singulare est, Sozomenum a sede Apostolica, seu
, non suscipi, quod multa mentiatur, et Theodo-
opsuestiae nimium laudet, secundum Gregorium M.
I. VII. ep. 34.

I. Spernendus minime est *Philostorgius*, licet Euno-
et Semi-arianorum aeque ac Catholicorum adver-
quia recti de multis rebus ferendi judicii occasio-
pe praebet, multaque profert, quae alibi frustra quae-
quare dolendum est, historiae ejus non nisi excerp-
esse, quae Photius in Bibl. conservavit, et primum
fredo, cum multis egregiis observationibus, dein
et cum meliore versione, a Valesio, inter Scripto-

res hist. Ecclef., edita sunt. Perduxit vero historiam Ecclesiasticam Philostorgius ab Arianismi initiis a. 300., usque ad ann. 425., quo Valerianus successit Honorio. Fuit autem Cappadox, natus annos viginti, cum Eunomius Caesarea pulsus est a. 388., ut ipse testatur l. X. c. 5. Plura larga manu de ipso suppeditat Gothofredus in Prolegomenis.

§. XIII. Longe minoris faciendi sunt Gelasius et Palladius, historicis quoque adnumerati. *Gelasius* Cyzicenus, presbyteri ejus loci filius, tres scripsit libros, qui, licet tertius sit mutilus, supersunt, et partim acta Synodi Nicaenae, partim collecta ex Eusebio et Ruffino complectuntur; sed non sunt magni pretii, nec multae fidei, licet videri ipse velit, se genuina acta Synodi habere ex codice antiquissimo Dalmatii, Archiepiscopi Cyziceni. Scripsit vero in Bithynia post annum 475., ut ipse in praef. testatur. *Palladius*, Evagrii Pontici, qui Origenista cum Origene sec. VI. est damnatus, discipulus, primum Monachus Alexandrinus, dein in Scetensi Nitriae Monasterio, tandem in eremi solitudine, sed inde Episcopus Helenopolitanus in Bithynia, a Chrysostomo ordinatus, et postea Asponitanus in vicina Galatia, mortuus jam ante concilium Ephesinum a. 431., de quo praeter alios videndus est Usserius Antiquit. Britann. c. 16. Historiam condidit *Lausiacam*, ita a Lauso praefecto, cui inscripta est, dictam, qua vitas Monachorum, et foeminarum ejusdem studii, illius aetatis, enarrat: quam nemo sine admiratione studii, quo in austeram plane vitam homines lati sunt, legerit. Plenissima editio est Frontonis Ducaei in auctario Bibliothecae Patrum, et in Biblioth. Patrum Parisiensi: sed nonnulla capita auctiora edidit Coteleriús Monum. Gr. tom. III. Ceterum a Palladio, autore vitae Chrysostomi, probe distinguendus est. De quo supra suo loco.

LATINI.

XIV. Inter Latinos duo, feculo fuperiore et hoc, emi-
ınt, peculiari adtentione digni, et adcuratius defcri-
i, Hieronymus, et Auguftinus. *Hieronymus*, natus a.
et defunctus a. 420., fupra 90 habens annos, feculum
ius et hoc, fed illud praecipue, illuftravit. Filius fuit
›ii, hominis Chriftiani, Stridone in Pannoniae et Dal-
e confiniis natus, unde *Stridonenfis* audit, Romae ftu-
rammatica fub Donato, et Rhetorica fub Victorino,
cit, ufque ad annum 363., quo Julianus obiit, ibi mo-
. Unde, fufcepto prius baptifmo, contendit Gallias,
›thecis ubique perluftratis, et Aquilejae arctiffima cum
no contracta amicitia; deinde Antiochiam venit, et
chus factus a. 367., vel 368., in eremo, inter Aga-
et Syros, per quadriennium haefit, et linguas didi-
›rientales, animumque ad fcribendum adplicuit. Dein
yter a Paulino Antiocheno creatus a. 378. coepit in-
cere. Conftantinopolin paulo ante Synod. CPol. a.
venit, et Gregorio Nazianzeno ufus eft in Theolo-
praeceptore. Dein a. 382. a Paulino et Epiphanio
ım deductus, in hofpitio Paulae, celeberrimae foemi-
triennium trivit, et a Damafo Papa electus eft, ut a
ndis epiftolis effet. Quo mortuo Origeniftarum infec-
ibus vexatus, inde difceffit, quaerens locum, ubi Mo-
ım ageret. Venit Hierofolymam, inde Monafteria
enfia in AEgypto luftravit, Alexandriae quoque mora-
)idymum audivit: donec, cum nimium Origenianifmi
ım, inter Monachos illos vigens, ferre non poffet,
Bethlehemiticos in perpetuam elegerit fedem, ubi
ı vitae tempus reliquum exegit; fed minime tranquille.
enis enim caufa cum Ruffino et Johanne Hierofoly-
no acerrimas habuit lites, deinde Pelagianis motibus
xtus eft. Cum enim a. 399. in Epiftola ad Pamma-
n et Oceanum, verfionem libri Origenis *de principiis*,

 a Ruffino

a Ruffino factam, acerbius, tanquam perniciosam, perstrinxisset, simul ad ipsum Ruffinum hac de re scripsisset, Ruffinus, valde exacerbatus, duos *invectivarum* libros, qui inter opera Hieronymi exstant, exaravit contra ipsum, simul in iis commentarios ejus in S. Scripturam taxavit. Publicati quidem per Italiam sunt illi libri a. 399., sed postea limati ad Hieronymum a. 401. ab ipso Ruffino missi. Quando anno 401., aut secundum alios, a. 402., primam scripsit contra Ruffinum *apologiam*, et anno sequente, praeter Litteras ad Pammachium et Marcellam, apologiam secundam. Quas horum virorum inimicitias acerbe deploravit Augustinus epist. 73. ad ipsum Hieronymum, cum tanta inter eos fuerat amicitia, inter alia dicens! *quis denique amicus non formidetur inimicus futurus, si potuit inter Hieronymum et Ruffinum hoc, quod plangimus, oriri?* Haud diu post sese insano furore vertit contra Vigilantium, quem brevi tractatu acerrime refutavit a. 406. De quo postea. Denique Pelagium adgressus est refellere, in Epistola ad Ctesiphontem a. 412. vel 413., nec non tribus Dialogorum libris, paulo ante Synodum Diospolitanam, adeoque a. 415. Lites quoque cum Augustino, sed amiciores, habuit de Episcoporum dignitate supra Presbyteros a Divino jure repetenda secundum Augustinum, nec non de versione nova Latina, ab Hieronymo adornata, de origine animae ex traduce, nec ne, denique de reprehensione Petri a Paulo Gal. II. serio, nec ne. facta.

§. XV. Opera Hieronymi, quorum novissima est et splendida editio, licet naevis non careat, cura Martianaei quinque voluminibus in Fol., sunt praeter Epistolas et scripta eristica, modo memorata, praecipue Interpretationes Script. S., et commentarii in eam, ut et Historica, sive in linguam Lat. versa, sive ab ipso condita. *Chronicon* Eusebii transtulit a. 373., ut ex ejus Epistola ad Pammachium *de optimo genere interpretandi* patet, scripta a. 392., ubi, se ante annos 20 id fecisse, testatur. Continuavit vero non tan-

tum

tum illud Chronicon ad a. 378. sed et ei addidit, ac abstulit, haud pauca, simul multis vitiis commaculavit. Vid. Scaliger in Prolegomen., et Pearson Vind. Ignatian. p. II. c. 10. Eandem in modum vertit *Onomasticon* Eusebii, de quo supra in vita Eusebii. Ipse vero scripsit *Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum*, usque ad annum 14. Theodosii, teste procemio, adeoque publicavit a. 393. et octo annos antequam Eusebium verterit Ruffinus. Ceterum Augustinus ep. 40ma edit. nov. ad eum, conquestus est, nonnullos haereticos ab ipso esse omissos, nec capita haeresios eorum addita esse. Denique tribuitur ei *Martyrologium*, a Dacherio editum in *Spicilegio*, sed ejus non esse, vel Martyrum nomina, post Hieronymi aevum, in eo occurrentia, ostendunt. Est tamen omnium antiquissimum, et ejus meminit Gregorius M. in epist. ad Eulogium Alexandrinum, Vid. Valesius de *Martyrologio Romano*, ad calcem hist. Eccles. Eusebii.

§. XVI Praecipuus vero Hieronymi labor, cum in vertendis ac interpretandis libris sacris versatus fuerit, de eo quaedam in specie monenda sunt. Operam primum inpendit versioni Latinae LXX Interpretum, quae tunc Vulgata erat, et vulgo Itala adpellatur, emendandae ex Origenis Hexaplis. De quo consulendus est Hody de text. Origin. et versionibus p. II. lib. III. Incepit cum Psalterio, bis correcto, prima vice Romae sub Damaso a. 383. vel 384. altera vero, cum in secessum Bethlemiticum rediisset, circa a. 389., additis asteriscis et obelis ad exemplum Origenis. Vid. praefatio ejus ad librum Psalmorum. Utramque illam editionem exhibet Martianaeus Oper. Hieron. tom. I. Emendatiorem dein publicavit reliquorum Scripturae librorum ex iisdem Hexaplis, sed num omnium, an aliquorum, non ita certum est, quia alibi loquitur in genere, alibi sex tantum memorat, uti Psalm., Job, Proverb., Ecclesiast., Canticum et Paralipom., quorum praefationes tantum memorantur. Sed paucorum versiones tantum aetatem tule-

runt: eam Jobi exhibet Martian., reliquorum nondum productae ſunt: exſtant tantum ejus ad Paralipom., et libros Salomonis, praefationes, apud Martian. l. c. unde patet, verſionem Paralipom. ad textum Hebraeum fuiſſe ab eo correctam. Denique Latinae verſioni Novi Teſt. eadem ratione opem tulit, eam ad Graecum textum emendando, idque ipſius Damaſi juſſu; uti in praef. Euangeliis praemiſſa teſtatur. Quae verſio etiam ad calcem edit. Martian. occurrit, ſeu part. III. *Bibliothecae Divinae*, ut ipſe adpellat. Ceterum quam utilem etiam hac parte praeſtiterit operam, calumnias effugere non potuit: *Corrector vitiorum falſarius dicor*, inquit ipſe praef. ad *Jobum* e ſeptuaginta verſum, *at errores non auferre, ſed ſerere. Tanta eſt vetuſtatis conſuetudo, ut etiam confeſſa pleriſque vitia placeant, dum magis pulchros habere volunt codices, quam emendatos.* Quae ſors criticae ſacrae ſtudioſos etiam nunc manet, licet minus quam antea.

§. XVII. Quibus abſolutis, ſeſe ad novam Vet. Teſt. tranſlationem, ex ipſa lingua Hebraea, novo prorſus inſtituto, adcinxit, cum ut Judaeis, ad Hebraicam veritatem continuo in diſputationibus cum Chriſtianis, ejus linguae inperitis, provocantibus, os obſtrueret, tum ut amicorum et amicarum deſideriis ac petitionibus ſatisfaceret. Has licet rationes Hieronymus dederit ipſe, vera tamen, ſeu praecipua ſaltem, fuit, quod Graeca verſio ipſi fuerit minus fidelis et exacta viſa, uti Hody l. cit. comprobavit; unde ſimul eluceſcit, textum Hebraeum ab ipſo fuiſſe Graecae verſioni praelatum. Incepit cum libris Samuelis et Regum, circa ann. 393., generali praefixo prologo, quem propterea *galeatum* adpellavit, et finem inpoſuit cum Pentateucho; adeo ut totum Vet. Teſt. a. 404., utique non ante, abſolverit. Diſplicuit hoc ejus opus Judaeis non tantum, et Origeniſtis, ſed et Eccleſiae in genere, Graecae verſioni adſuetae, ipſi quoque Auguſtino, ſed cui poſtea illud comprobavit Hieronymus. Nec tamen defuerunt, quibus per-

placuit,

uit, inter quos est Sophronius, qui Psalterium et Pro-
:as ex ejus versione Graece reddidit. Disseminata quo-
est versio Hieronymiana brevi tempore per Ecclesias,
:onquestus est Ruffinus *Invectiv.* l. II. In Ecclesia A-
ina nonnulli Episcopi eam publice praelegendam curarunt
Ecclesiis, jam ante ann. 443., teste Epistola Augustini
Hieronymum. Hesychius presbyter Hierosolym. ea in
ment. suo ad Leviticum, cujus supra memini, usus est,
quoque Augustinus nonnunquam, cujus *speculum* ex
contextum est versione. Invaluit denique per Occiden-
a tempore Gregorii M., qui eam adhibuit, estque de-
:ps facta versio, sic dicta, *Vulgata* inter Latinos, et
ientica declarata. Plura vid. apud Hody l. cit., qui
ima per omnia secula protulit testimonia in favorem

XVIII. Reliqua Hieronymi opera, ad intellectum Scrip-
e S. plus minusve facientia, sunt Epistolae Criticae
:dam de ejus locis difficilioribus, ut ad Marcellam, Pau-
, Suniam et Fretelam, Liber nominum Hebraicorum,
situ et distantia locorum Hebraeorum, Quaestiones He-
cae in Genesin etc. Sed quae in Libros Regum et
ilipom. inter ejus opera occurrunt, recentiorem habent
)rem Hebraeum, qui tempore Rabbani Mauri, sec. IX.
it, ut recte advertit Martianaeus in *admonitione* ad ad-
dicem Oper. tom. II., ubi illae quaestiones exhibentur,
c etiam Hieronymi sunt commentarii in Psalterium, ibid.
ii. Reliquis operibus ejus missis, de eruditione et in-
: ejus quaedam restant monenda, cum idem de eo non
iant Docti. Martianaeus Proleg. II. ad Hieronym. tom.
et in observationibus ad Librum de *nominibus* Hebr.
l. peritiam Hieronymi, in specie in linguis Orientali-
, maximam facit, et mire extollit; sed Clericus in
aest. Hieronymianis eam valde mediocrem fuisse conten-
Fuit, ex mea opinione, pro illo tempore, quo ipse
it, vere insignis, sed pro nostro aevo admodum vulga-

ris, ut hujus rei peritus sponte sua facile deprehendere poterit. Fuit praeterea vehementioris indolis, et, modum nusquam tenens, omnia in extremum rapuit. In amicis laudandis, adversariis perstringendis, traducendis, invidiose refutandis, nullos novit limites. Vitae praeterea Monasticae nimius fuit laudator, et nimis rigidus sectator, a superstitione non inmunis; nuptiarum quoque contemtor: in scribendo nimis festinus, vulgatis opinionibus, etiam contra propriam mentem, saepe sese adcommodans; aliorum, ut Judaeorum, sententias recensens magis, quam examinans, aut adprobans, ita ut ab ejus opinionibus saepe discerni nequeant: denique varius, et sibi non constans, allegoriarum quoque studiosus. Attamen praestitit Ecclesiae insignem utilitatem in Scriptura S. vertenda, Linguae Hebraeae studio cum ea jungendo, Judaeorum interpretationibus producendis, et multa Philologica ac Historica suppeditando ad Prophetiarum intellectum, in specie Danielis.

§. XIX. *Augustinus*, de quo ex *confessionum* ejus et *Retractationum* libris multa peti possunt, cujusque vitam et scripta ex Veteribus Possidius, vel Possidonius, ejus familiaris et discipulus, Calamae, prope Hipponem, Episcopus, qui operibus ejus adjungi solet, ex Recentioribus vero, praeter alios innumeros, prolixius et adcuratius Benedictini, tom. XI. Oper. Augustini, descripserunt, Augustinus, inquam, ut summa rerum capita perstringam, in obscuro Numidiae oppido Thagasta, ex honestis sed pauperioribus parentibus, Patricio urbis municipe et gentili, et Monica Christiana, natus, et Mandaurum, vicinum oppidum, missus, ut litteris inbueretur, Latinas bene dedicit, sed Graecas modice. Inde Carthaginem ablegatus eloquentiae operam dedit, sed simul libidinosam, cum aliqua honestate conjunctam, degit vitam, concubinae adsociatus, ex qua filium progenuit Adeodatum, magnae quidem spei, sed in adolescentia mortuum. Cum autem ibi Philosophicas hausisset scientias, et ad altiora spiraret, incidit in Manichaeos, et

ab

ab iis est irretitus, et Manichaeismum professus, sed *auditorum* tantum locum tenuit, quales fere Catechumeni sunt apud Catholicos. Praeferebant enim Manichaei magnam sapientiae et pietatis speciem, et quae de rebus Vet. Test., tanquam Deo indignis, ac origine mali, differebant, ipsi valde placuerunt. Cui sectae per novem annos fuit addictus, ab anno aetatis 19. ad 28. usque, nec nisi Mediolani ei renunciavit a. 385., anno sequente 386. ad Deum perfecte conversus; ut mox narrabo. Taugastam redux docuit Grammaticam, et mox, repetita Carthagine, Rhetoricam, artem causidicam professus, sed multum astrologiae judiciariae tribuit, a qua male sana opinione geminorum nativitas, quorum diversissima erant fata, eum deinceps abstraxit. Deinde Carthagine deserta, quia turbulentos adolescentum, ibi studentium, mores ferre non poterat, Italiam petiit a. 383, et primum Romae, dein Mediolani, eo a Symmacho, Urbis Praefecto, missus, Rhetoricam professus est, a. 384. Ubi cum versabatur, Manichaeorum laqueis, quibus hucusque inplicitus fuerat, solutus est, et veritati Catholicae manus dedit, partim per Ambrosii conciones, partim ope Philosophiae Platonicae, de rebus spiritualibus, et Trinitate in Deo, rectius visae differere. Antea quidem, incertitudine Manichaeismi, et malis Manichaeorum moribus commotus, alienior erat factus, sed non nisi hoc tempore iis perfecte et publice misit nuncium. Singulare est, opinionem de materialitate naturae divinae eum tam diu tenuisse sectae adfixum, cum spiritualis naturae nullam potuisset formare ideam, ut fatetur Confess. l. V. c. 10. praeterea *verbi*, seu Filii Dei, divinam naturam a Platonicis didicisse; cum antea Christum pro nudo homine habuisset, ibid. l. VII. c. 19. et per Philosophiam Platonicam eum a Manichaeismo fuisse liberatum, cum principia Manichaeorum et Platonicorum de materia haud multum differant. Videtur itaque Manichaeismum minus perfecte scivisse, et Semi-Manichaeus tantum fuisse.

§. XX. Hac ratione a Manichaeismo avulsus, ambitionis et libidinis, aestibus adhuc jactatus, et conjugii desiderio missa concubina, actus, inde tandem mirabili modo pos multam luctam fuit liberatus, et totus devotioni consecratu Cum enim, inter lacrymas et preces, vox ad eum esset de lata, *tolle*, *lege*, ipse, Novum evolvens Testamentum, i haec incidit verba, Rom. XIII. *non in comessationibus* *ebrietatibus* — — — sed *indue Christum* etc., subito, qua fulmine ictus, in alium hominem fertur mutatus: ita u sese a professione Rhetorica, curis et cupiditatibus secula ribus, totus ad vitam Deo devotam converterit, a. 386. quando libros scripsit, *contra Academicos*, *de ordine et vit beata*, etiam *soliloquiorum*, in quibus animi statum interic rem expressit, nec non de *immortalitate animae*. Deniqu sacro lavacro tinctus est a. 387. Mediolani ab Ambrosio uti refert Confess. l. VIII., ubi etiam, ut id obiter obse vem, narrat consuetudinem, hymnos et Psalmos in Eccles canendi paulo ante in Ecclesiam Mediolanensem esse intrc ductam, occasione persecutionis Ambrosii a Justina Augus ta, Valentiniani matre, Ariana. Baptismo ita suscepto A fricam repetens, ut Monasticam ibi degat vitam, et i itinere mortua Monica, matre ejus, Romae aliquandiu sub stitit, scripsitque a. 388. libros de *moribus Ecclesiae et Ma nichaeorum*, ut larvam pietatis detrahat Manichaeis; ubi d Monachis, Monialibus, aliisque sanctis, differit. Redux i Africam, vitam Monasticam cum sociis degere instituit i agris Thagastanis, posteaquam omnia sua vendidisset, pauperibus distribuisset, a. 388. In quo vitae genere p triennium substitit, et scripsit, vel complevit, libros *Genesi* contra Manichaeos, de *Musica*, de *Magistra*, de *ra religione*, ubi, unum verum D. um Triunum esse cole dum demonstrat, et duas Manichaeorum naturas refut praeter aliquas Epistolas.

§. XXI. Triennio ibi expleto, amici causa profect Hipponem regium, incelebre in maritima Numidiae par oppidum

oppidum, Presbyter ibi a populo, sed invitus, electus est, ac ab Episcopo Valerio ordinatus a. 391., simul licentiam sermones ad populum habendi primus ab Episcopo accepit, quod Presbyteris antea in Ecclesiis Africanis, praesente Episcopo, non licuit. Nec tamen vitae Monasticae renunciavit, sed, Monasterio prope Hipponem erecto, in eo cum sociis vixit, ex quo varii postea exorti sunt Episcopi, inter quos est Alypius Thagastensis, et Erodius Uzalensis. Imo, ad hoc exemplum, multa alia per Africam exstructa ab eo tempore fuerunt coenobia: ita ut Augustinus fuerit habitus et celebratus institutor vitae Monasticae per Africam. Aurelio Episcopo Carthaginense electo, memorabilem illam scripsit ad eum Epistolam, quae est 22. in edit. Benedictin., qua eam hortatus est, ut comessationes Agapicas e medio tollat: quod et factum est. Inter alia notabilia occurrit quoque in ea Epistola locus de *oblationibus pro mortuis*. Scripsit etiam, dum hoc munere functus est, libros de *utilitate credendi*, et de *duabus animabus*, contra Manichaeos, qui alteram bonam, alteram malam, credebant homini inesse: ann. 392. Quo etiam publica habita est Augustini disputatio cum Fortunato, Manichaeorum Presbytero, Hippone de *geminis naturis aeternis et contrariis*: qua Fortunato dicitur os obstructum. Exstat ea disputatio inter Opera Augustini. Deinde a. 393. celebratum est, praeside Aurelio, concilium Hipponense, quod generale fuit totius Africae ad collapsam disciplinam instaurandam. Cujus etiam canones in primos Canones Ecclesiae Africanae sunt relati, Augustinus quoque, qui ei interfuit, disputationem tunc habuit de *fide et symbolo*, qua omnes articulos exposuit. Superest inter Opera ejus tom. VI. Praeterea scripsit, in eo munere versatus, multos alios tractatus, uti, de *Genesi ad litteram*, ubi, cum antea sectatus esset allegorica, litteram exponit contra Manichaeos, de *sermone Domini in monte*, ubi etiam morem memorat quotidie communicandi in Ecclesia Africana, *expositionem* quarundam propositionum

ex Epiſt. ad Romanos, in qua initium fidei, non a gratia Dei, ſed ab homine ipſo, repetit, ut Retractat. l. I. fatetur, poſtea meliora edoctus: ad quem locum tamen poſtea provocarunt Semi-pelagiani. Dein in *Epiſt.* ad *Galatas* commentatus eſt, tandemque de *Mendacio.* Laboravit quoque in Donatiſtis, quorum ingens erat numerus, refutandis ac convertendis, ſcripto quoque, praeter varias conciones, *Pſalmo*, dicto, a partibus quae cum litteris Latinis ſecundum alphabetum incipiunt, *Abecedario*, in quo hiſtoria Donatiſtarum traditur. Peſſimum deinde morem convivandi in coemiteriis et memoriis Martyrum, concilio Hipponenſi jam vetitum, feliciter abolevit in Eccleſia Hipponenſi, a. 395., ut docet epiſt. 29. ad Alypium, et Sermones ea de re habuit. Denique libros de *libero arbitrio* ſcripſit, et, mali originem inde eſſe repetendam, demonſtrat contra Manichaeos: in quibus viſus eſt praeluſiſſe Semi-pelagianis.

§. XXII. Munere per quinquennium ſummo cum adplauſu functus, Epiſcopus Hipponenſis, licet invitus, et Megalio Calamenſi, Numidiae Primate, repugnante, electus eſt, ope Valerii Epiſcopi, ipſique adjunctus ad vota populi, ab ipſo quoque Megalio, quem calumniae in Auguſtinum poenituit, ordinatus, a. 395. ut Proſper in Chron. refert. In quo cum canon Nicaenus, qui duos in una Eccleſia vetat Epiſcopos, fuerit migratus, Auguſtinus, de eo certior factus, aegre tulit. Geſſit ſeſe in hoc munere verum Epiſcopum et Paſtorem, omniſque virtutis ac continentiae exemplar praebuit; licet intus adhuc multis cum tentationibus fuerit luctatus, ſuaeque miſeriae tam vivum habuerit ſenſum, ut de fuga in deſertum aliquando deliberaverit. Quem animi ſui habitum Ipſe Confeſſ. l. X. ingenue depinxit. Ceterum in veſtitu, menſa, et tota converſatione externa, vitavit duo extrema, et medium feliciter tenuit. Veſte uſus eſt communi, prout moris erat, interiore linea et exteriore lanea, byrrho quoque cum Laicis geſtato, Vid.

Sermo ejus 356., ubi de vestimenti sui genere agit. Hospitalitatis studiosus mensam suam hospitibus et peregrinis fecit communem, sed ea lege, ut moderate agant, et neminem verbis lacerent, quem in finem mensa ejus praeferebat hos versus, ei inscriptos;

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Sed illud non est silentio involvendum, eum de domo sua fecisse coenobium: secum enim habebat Clericos suos habitantes, quibus omnia erant communia, quibuscum vivebat tanquam in monasterio, absque ut haberent aliquid proprii. Vid. Sermo ejus 355. et Possid. in ejus vita c. 25. Nullam unquam foeminam admisit in domum, de reditibus Ecclesiae, vel oblationibus fidelium, vivebant. Haereditates, sibi et Clericis suis legatas, si probrosae essent, aut Ecclesiis molestae, recusavit, aut haeredibus reddidit. Denique in concionando fuit adsiduus, saepe duas de die habens conciones, aliquando quinque diebus continuis sermones.

§. XXIII. In principio Episcopatus, ut labores et scripta ejus strictim recenseam, duos exaravit ad Simplicianum, Ambrosii successorem, libros, unum de quaestionibus in Paulum, alterum de illis in libros Regum: in quibus, superiore sententia de initio fidei ab homine mutata, fidem esse donum Dei, et non liberi arbitrii opus, statuit. Post eos collocavit Augustinus, in libris Retractat. eos recensens, opusculum contra Manichaei Epistolam, dictam *fundamentum*, ubi ipsa Manichaeismi principia refutat. Dein subjicit tractatum de *agone* Christiano, in quo nonnulla, ad haereticos et Donatistas pertinentia, occurrunt. Sequuntur libri de *doctrina Christiana*, postea completi. Sed composuit hoc quoque tempore celebres et utiles illos *Confessionum* libros, qui conversionem et vitam ejus complectuntur, et Pelagii errores jugulant: praeterea et alios scripsit libros con-

tra Manichaeos, licet vario tempore, uti contra Fauſtum, et Felicem. Recenſet mox librum de *cathechizandis* rudibus, nec non 15 tractatus de Trinitate, a. 400. inceptos, et 416. perfectos. Sed a. 397. aliquod cum Fortunio, Donatiſtarum Triburii Epiſcopo, habuit colloquium, in quo, inter alia, ſeſe a perſecutionibus declaravit alienum Vid. epiſt. 44. Ceterum celebrem quoque illum fecit annum ſuperſtitionis paganicae deſtructio per Orientem et Occidentem, juſſu Honorii et Arcadii; de quo vid. Ipſe Auguſtinus de *Civit. Dei* l. XVIII. c. 53. Deinde a. 400. tractatum ſcripſit de *conſenſu Euangeliſtarum*, et ad Januarii reſpondit quaeſtiones epiſt. 54., eo etiam nomine memorabili, quod de *conſuetudinibus*, et ritibus diverſis, in Eccleſia ibi haud pauca reperiantur: librum quoque ſcripſit de *opere Monachorum*, contra pigros et inertes inter eos, qui, pietatis praetextu, de alienis laboribus vivere malebant: in quod vitium multi, pro ſanctis habiti, jam inciderant. Praecipuam vero inpendit operam Donatiſtis refutandis, editis libris contra Petilianum ac Parmenionem, et de baptiſmo: ſcripſit etiam contra Jovinianum librum *de bono conjugii* ut, nuptias, licet virginitate inferiores, non eſſe damnandas, evincat, quo tractatus de *ſancta Virginitate* etiam tendit.

§. XXIV. Duo habita ſunt a. 401. concilia Carthagin. in quibus inter alia decretum eſt, ut Donatiſtae, qui ac Eccleſiam redierint, locum, quem in Clero habent, retineant, cujus ratio fuit penuria Clericorum Catholicorum in Africa. Scripſit mox a. 402. reliquos duos libros contra Petilianum, cujus calumnias modeſte refutat, ut et de *unitate* Eccleſiae. Dum autem Catholici in Donatiſtis reducendis occupati eſſent, libertatem quoque praedicationis urgerent, Donatiſtae traduntur omnia per Circumcelliones turbaſſe, Catholicos vexantes, Auguſtino ipſi et aliis ſtruentes inſidias, ita ut ad Inperatorem confugere, et ſeveriores leges contra Donatiſtas petere, coacti fuerint. Auguſtinus

nus in initio ab illis violentis mediis sese alienum declaravit, postea, aliorum rationibus ac autoritate conpulsus, consensit quidem, sed mitius cum iis agi voluit, ita ut insultus eorum tantum inhiberentur, salva libertate. Factum hoc est a. 404. Sed, antequam legati ad Inperatorem venissent, Lex Honorii contra eos jam lata erat, a. 405., qua Donatistis, sub mulctae et exilii poena, exercitium religionis suae interdictum est: unde multorum ad unitatem Ecclesiae secuta est conversio, August. ep 93. et 185. Quo exacerbati Donatistae vehementius furere, et per Africam ubique grassari, coeperunt, simul graviora passi sunt. Interea rem Catholicam non cessavit Augustinus ore et scripto promovere. Edidit a. 405. libros contra Cresconium, qui Laicus quidem, sed Grammaticus, Petiliani scripta, ab Augustino refutata, defendit. Scripsit etiam epist., quae est 87., ad Emeritum, Caesareensem eorum Episcopum, qui violentias suorum damnavit: nec non de *unico baptismo*. Repetitis dein a. 408. Catholicorum a Paganis, et Donatistis, persecutionibus, post mortem Stiliconis, qui iis obicem posuerat, de quo Augustin. ep. 97, et 100. agit, scripsit ad Donatum, Proconsulem Africae, hac super re, sed capitis poenam, Donatistis infligendam, deprecatur. Honorius quoque legem a. 409. latam, qua paganis et haereticis concessa est libertas, abrogavit, ad ipsorum Africanorum Praesulum petitiones, a. 410., et Collationem Carthagin. inter Catholicos et Donatistas habendam, quippe ab illis postulatam saepe, nec ab his repudiatam, indixit: quae celebris est collatio a. 411., de qua postea. Augustinus, cujus praecipuae in ea partes fuerunt, ante eam sermones habuit de *pace et charitate*, qui sunt 357. et 359., et post eam, *gesta* ejus, in compendium redacta, titulo *breviculi collationis*, scripsit. A quo tempore factio Donatistica coepit inminui; teste Augustino serm. 164.

§. XXV. Bello Donatistico, quo per 105 annos Africa misere fuerat concussa, ea ratione aliquatenus finito, aliud

mox cum Pelagio, ejusque adseclis, incepit, in quo aeq strenue, ac in superiore, decertavit Augustinus, et serm nibus et scriptis. Caelestio, Pelagii discipulo, damnato concilio Carthagin. a. 412., Augustinus, a Marcellino, q collationis istius Carthagin. fuerat moderator supremus, e citatus, libros de *peccatorum meritis et remissione*, seu pa vulorum baptismo, scripsit, absque ut Pelagium, aut ej adseclas, nominaverit: quod nec fecit alio in libro, hau diu post scripto, de *Spiritu et Littera*, in quo internai gratiam auxiliarem defendit, et, sine ea legem esse littera occidentem, adserit. Nec tamen dissentientes adpellavit ha reticos, contra, fraterne esse tractandos, declaravit: serm 294. Quid? quod Pelagium in Epist. ad eum honorific compellaverit et tractaverit. Vid. Epist. 146. et de *gest Pelagian.* c. 28. Cujus Christianae moderationis ipsum pos ea poenituit, cum vidisset, Pelagium factum fuisse per ea audaciorem. Interea cum Honorius severissimum in Don tistas promulgasset edictum, mulctae et exilii poena co stituta, Augustinus epist. ad eos scripsit a. 412., qua leg illas poenales defendit, sed cruenta inprobat supplici Imo, cum aliqui eorum grassarentur, tanquam latrones, manifesti homicidii haberentur rei, intercessit adhuc ap Marcellinum, ne capitis poena ipsis irrogaretur, Epist. 13 et 139. Scripsit etiam tunc tractatum de *fide et operibu* contra eos, qui *solam* putabant sufficere fidem ad salute et baptismum, sed et manum utilissimis illis libris *de Ci tate Dei* conscribendis admovit, tribus primis libris vulg tis, quibus postea alii sunt additi, donec a. 426. fuer absoluti. Scripti sunt contra Gentiles, qui Christianae r ligioni accepta ferebant mala, quibus Roma, a. 410. a G this capta, et Romanum Inperium, premebatur. Qui libi numero viginti duo, historiae et antiquitati illustrand multum conducunt, et varie, etiam seorsim, editi sur Accidit quoque hoc anno 413., ut Demetrias, nobilissin virgo, cum matre Juliana, et avia Proba, post Roma captan

captam, venerit Carthaginem, et ope Augustini eo fuerit permota, ut *flammeum*, virginitatis insigne, admiserit, sanctimoniam virginalem professa. Qua occasione, sicut ab Hieronymo, aliisque, ipso etiam a Pelagio, ad eam scriptae sunt Litterae, ita Augustinus composuit librum de *bono viduitatis*, ad Julianam.

§. XXVI. Cum vero Orosius ex Hispania venisset ad Augustinum, et de grassantibus haeresibus Priscillianistarum ac Origenistarum retulisset, librum mox iis opposuit, et per eum, qui Hieronymum visere volebat, duas ad Hieronymum misit epistolas, 166. et 167., quibus eum de *origine animae*, et sensu dicti Jacob. II: 10. *qui totam legem servaverit, et in uno deliquerit* etc. consuluit. Concinnavit praeterea librum de *natura et gratia*, contra Pelagii librum, et gratiam defendit, tanquam per quam natura liberatur, cum Pelagius naturae omnia tribuerit, loco non nisi nomine tenus relicto gratiae. Notatu etiam digna est epistola ejus 159. ad Evodium, eo anno scripta, qua, multa eo tempore, falsa et ficta visa, in vulgus emanasse, significat, et criterium quaerit, quo vera inter et falsa queat distingui. Scripsit etiam librum de *perfectione* hominis *justitiae*, in quo eos non audet damnare, qui, hominem in hac vita fieri posse inpeccabilem, contendunt, simul nos eo contendere debere demonstrat. Cum vero Pelagius a Synodo Palaestina esset absolutus, de quo postea, eaque re gloriaretur, acsi opinio sua ibi esset adprobata, Augustinus a. 417. librum vulgavit de *gestis Pelagii*, quo, errores ejus ibi esse damnatos, tantum Ipsum, quia illis renunciaverat, esse absolutum, evincere conatur. Historiam etiam Donatistarum, in Epist. ad Bonifacium, qui res Romanas in Africa tuebatur, contexuit, quae est 185. Sicut in ep. 187. inter alia exponit, quomodo infantes, licet ratione careant, Spiritum S. habeant. Protulit quoque in libris *de gratia Christi et peccato originali*, a 418. scriptis, veram circa haec capita Pelagii mentem, quam hucusque occultaverat, in lucem. Habuit etiam,

eodem anno Caesareae Mauritaniae sermonem de gestis cum Emerito Donatista, quem ad secum disputandum adducere non poterat; simul pugnam civilem ibi abolevit, quam *Catervam* vocant, qua cives, quasi in ludo, se invicem solebant occidere. Vid. de *Doctrina Christiana* l. IV: c. 24. Scripsit etiam de *animae origine* ad Optatum, quo se fassus est dubium haerere, num animae singulorum hominum sint a Deo per creationem, an per traducem. Notatu digna est Epistola ejus a. 419. ad Hesychium, Salonae, quae Dalmatiae est metropolis, Antistitem, qua diem ultimum, quem ille instare volebat, nec anxie esse inquirendum, nec definiri posse, disputat, simul enarrat, Africam ab innumeris adhuc incoli nationibus barbaris nondum conversis. In Libro de *nuptiis et concupiscentia*, tunc etiam exarato, contra eos, qui Augustinum, peccatum originale adstruendo, damnare nuptias arguebant, nuptiarum bona demonstrat, et a concupiscentia, vel libidine carnali, distinguit, quam a peccato derivat. Fluctuationem suam super opinione de animae origine deinde defendit, quatuor libris de *anima*, ejusque origine, occasione Vincentii Victoris, qui ejus opinionem dubiam refutaverat; duos quoque scripsit de *adulterinis conjugiis* libros, et unum contra *adversarios legis et Prophetarum*, in quo Marcionitas refellit.

§. XXVII. Cum Donatistae, vel tales habiti, a. 420. in se ipsi saevirent, forte prae desperatione, et sibi manus inferrent violentas, illudque minaretur Gaudentius, Thamugadensis Episcopus, Donatista, duobus libris eum refutavit. Quid autem Gaudentio, reliquisque Donatistis postea, usque ad Augustini mortem contigerit, ignoratur. Scripsit etiam hoc tempore librum contra *mendacium* ad Consentium, Hispaniae degentem, ut illud esse illicitum demonstret, in specie, in disputationibus cum Priscillianistis, dogmata sua occultare visis; secus ac visum erat Consentio, qui simulationem, qua quis se esse Priscillianistam fingit, ut eorum opiniones cognoscat, licitam esse putabat. Varios edidit

contra

contra Pelagianos tractatus, ut contra Julianum, de *nuptiis et concupiscentia*, quibus priorem suum librum defendit, nec non libros quatuor contra duas eorum Epistolas, et sex alios Juliani libros, a. 421., quibus, inter alia, doctrinam Catholicam a Manichaeismo vindicat, et de Patrum sententiis disputat. Conposuit etiam *enchiridion*, in gratiam Laurentii, fratris Dulcitii, in quo de *spe et charitate* differit; in usum Paulini Nolani vero de *cura pro mortuis gerenda* scripsit, ubi de orationibus pro mortuis agit, et, qua ratione, ac quantum, prosit sepultura apud memorias martyrum, inquirit. Denique ad octo Dulcitii quaestiones respondit.

§. XXVIII. Orta contentione vehementiore inter Monachos Adrumetinos, in Provincia Byzacena, de gratia et libero arbitrio, a. 427., occasione scripti Augustini de ea materia, perverse intellecti, acsi liberum tolleretur arbitrium, scripsit libros ad illos de *gratia et libero arbitrio*, quibus liberum arbitrium defendit, ita tamen, ut sine gratia nihil possit: cum vero inter eos esse intellexisset, qui, correptiones et admonitiones esse frustraneas, si gratia omnia efficiat, dicebant, librum scripsit de *correptione et gratia*; qui, propter praestantiam suam, solet adpellari *aureus*, et, quia ad universam ejus doctrinam de gratia et libero arbitrio parat aditum, *clavis*. Cum eodem tempore dubium de gratia praeveniente moverit Vitalis quidam in Ecclesia Carthagin , initium fidei ab homine repetens, ipsi duodecim, scripta epistola, quae est 217., proposuit sententias de gratia, eam dirimentes quaestionem, et gratiam praevenientem stabilientes. Scripsit quoque hoc ann. 427. *Retractationum* libros duos, intermortuus *epistolarum et sermonum* suorum recensioni: quem defectum supplevit Possidius. Id autem illis in libris praecipue agit, ut scripta sua secundum ordinem temporis recenseat, obscuriora explanet, ne male capiantur, errores etiam suos subinde adnotet, ut qui Semi-pelagianismum redolent. Alios cum non memoret, censendus non est palinodiam his libris canere voluisse; quod vox

retractationis quoque non requirit, cum nihil aliud ac recensensionem, et emendationem, seu secundam curam denotet. Concinnavit denique hoc anno *Speculum*, quo excerpta Vet. et Nov. Test. continentur, quibus aliquid claris verbis praecipitur aut prohibetur: unde quisque faciem suam queat recognoscere.

§. XXIX. Miserrima licet ab a. 428. fuerit Africae conditio, per irruptiones Vandalorum, omniumque fere animi essent fracti, Augustinus ab opere, et libris scribendis, non abstinuit. Ultima ejus opera fuerunt libri Retractationum, quorum duo jam prodierant, et opus *Inperfectum* in Julianum, Pelagianum, qui libros ejus refutare fuerat adgressus: quibus intermortuus est. Interea habitum est colloquium ejus anno illo cum Maximino Ariano, qui cum Segisvulto comite, contra Bonifacium misso, venerat in Africam; unde liber natus est, nomine *collationis cum Maximino*, et tractatus contra eum: unde Catholicorum et Arianornm opiniones peti possunt, ut et ex libro ejus contra *sermonem Arianorum*, diu antea scripto, a. 418., additis libris de Trinitate, supra memoratis. Cum vero de Semi-pelagianis certior esset factus ex litteris Prosperi Hilarii, scripsit adhuc contra eos de *Praedestinatione et dono perseverantiae*; adeo ut gratiam Dei contra vires et merita hominum, ad finem vitae usque, strenue defenderit. Denique ipsi inportuna Quodvultdei, Diaconi Carthaginensis, petitio extorsit librum de Haeresibus, a. 429., in quo Philastrio quidem usus est, et Eusebio, a Ruffino verso, sed Epiphanium maxime secutus.

§. XXX. Tandem cum Bonifacius, qui Vandalos evocaverat, contra eos, Placidiae reconciliatus, arma verteret, seseque, post infelix cum iis praelium, Hippone inclusisset, cincta est urbs obsidione a. 430. Qua durante, haud diu antequam capta est, Augustinus, qui oraverat, ut vel urbs liberaretur, vel ipse ante moreretur, posterioris voti compos factus, placida morte paulo ante in Domino obdormivit, teste Possidio, annos natus 76; quorum 30 in mune-

re

re triverat, primum Presbyter, dein Episcopus. Nihil reliquit, nisi Bibliothecam et libros, omnibus aliis *bonis* privatus. Etsi vero hostes solverint obsidionem, eam tamen, postquam Bonifacius, nova clade in praelio accepta, Africa deserta Italiam petiisset, ab incolis derelictam ceperunt, et incendio deleverunt, servata tantum Augustini Bibliotheca. Ita cursum finivit vir pietate et studio religionis, ac laboribus et scriptis, per omnia secula, huc usque celeberrimus, aestumatissimus. Insigne prorsus est elogium, quo eum ornavit autor libr. *de vita contemplativa* inter Prosperi *opera* l. III. c. 31. quod hic legi meretur, *sanctus Augustinus Episcopus*, inquit, *acer ingenio*, *suavis eloquio*, *secularis litteraturae peritus*, *in Ecclesiasticis laboribus operosus*, *in cotidianis disputationibus clarus*, *in omni sua actione compositus*, *in expositione sua fidei nostrae catholicus*, *in quaestionibus absolvendis acutus*, *in revincendis haereticis circumspectus*, *et in explicandis Scripturis canonicis cautus*. Quam modeste autem Ipse de se senserit, egregie ex Epist. 73. ad Hieronymum elucescit: ubi ingenue fatetur, se, propter Ecclesiasticas occupationes, non posse adcurato scripturae studio incumbere, nec *vacare diligentius studiis*, *quam quae populi audiunt instruendi*, adeoque se Hieronymo hac parte esse inferiorem. Vid. etiam epist. 143. Ceterum de opinionibus Augustini, cum postea suis locis agitur, hic obiter tantum observo, inter morales ejus opiniones fuisse, rem aliquam terrenam a nemine juste possideri, nisi vel *jure divino*, quo cuncta tantum sunt justorum, vel *jure humano*, quod Regum terrae potestati est subjectum. Ex quo colligit, Donatistas res suas non juste possidere, cum nec justi possideant, *et secundum leges Regum terrenorum amittere jussi essent:* ita epist. 93. ad Vincentium: et alibi serm. 50. ad Script. S. hanc ponit regulam, *quod juste non tractat*, *jure non tenet*. Praeterea, neminem adserit a nobis esse occidendum, ne quidem ne nos occidat: Epist. 47. ad Publicolam. Quam opinionem quoque Ambrosii fuisse et Cypriani, in notis observatur.

servatur. Hic ipse tamen Augustinus a persecutione haereticorum licita absolvi nequit: uti in historia Donatistarum tradam.

§. XXXI. Reliqui Scriptores, praeter illos, quorum mentio in historia Pelagianorum et Semi-pelagianorum facienda est, quibus hic locum dabo, fuerunt sequentes. *Paulinus* Nolanus, dignissimus cujus conservetur memoria, quippe pietate et charitate, prae reliquis, illustris, amplissimis dignitatibus, quibus functus est, nuncio misso, cum seculi vanitatibus, in Hispaniam secessit, et cum uxore Therasia, similis indolis uxore, vitam amplexus est Monasticam: dein Barcinone invitus factus presbyter, a. 393., et paucis annis post Episcopus Nolanus, a. 403. aut 404. ut Pagi ad Baron. demonstrat. Nola vero a Gothis capta, cum sese ob thesauros vexatum iri vereretur, orasse traditur Dominum: *Domine? non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim omnia mea sunt Tu scis.* Augustin. de Civ. Dei l. I. c. 10. Fabulam omnino sapit, quod Gregorius M. refert, eum, ad viduae alicujus filium captivum redimendum, sese vendidisse Vandalis, et in Africam abductum, coluisse agrum, donec innotuerit, et restitutus sit. Vid. Pagi ad Baron. a. 431. et Basnagius ad Gregorii M. dialogos, Graece a Zacharia Papa versos, in Antiq. Lect. Canisii vol. II. Opera ejus, lectu dignissima, sunt maximam partem Epistolae etc. novisime edita a Joh. Bruno. Plura de vita et scriptis ejus suppeditabit Chiffletius in *Paulino illustrato.* Mortuus est a. 431.

§. XXXII. *Leporius*, Monachus Massiliensis, cum epistola edita docuisset, Christum, in terra versantem, merum fuisse hominem, qui voluntate et merito suo in perfectam non tantum sanctitatem profecit, sed et divino titulo ac dignitate dignari meruit, quod Pelagianum et Nestorianum sapere credebatur, correptus ab Episcopis Gallis, et in Africam profectus, opera potissimum Augustini ad saniorem redactus mentem, edidit libellum *emendationis*, a 427., quo

errores

evocavit, et ad communionem admissus est. Qui iperest, apud Sirmondum Oper. tom. I. *Capreolus*, a sede Cathaginensi successor a. 430., qui Diaco-a Litteris ad Synodum Ephesinam, contra Nesto-cujus actis exstant, misit, mox post eam scripsit ad Vitalem et Constantium, vel Tonantium, His-responsoriam, qua Nestorianismum multis refutat: a cum epistola Vitalis ad eum, exstat apud Sirmon-it., indeque in *collectione maxima* conciliorum His-om. III. Notabilis est epistola Hispanorum, in alia dicunt, *se humiles servos provolutos genibus anctum Apostolatum* Capreoli, *ut informetis parvita-em in his, quod rectum habet fides Catholica* etc. multos ea haeresi infectos esse in Hispania, traditur. rgo Romani, ab aliis consulti, desinant propterea itate sua gloriari. Sub Theodosio a. 430. vel pau-, claruit quoque *Sedulius* Presbyter, natione Scotus ernus, in divinis, et secularibus, scientiis peritus, Franciam et Italiam, ac Asiam, aliaque loca, per-Varia et metro et soluta oratione scripsit. De . Usserius Antiq. Britan. c. XVI. *Euchaerius*, no-lus, primum Monachus Lerinensis, e proxima in-one, ubi degit, de *laude eremi*, a. 428., scripsit ium, postea Arelatensem Episcopum, deinde Lug-Episcopus, mortuus a. 449., familiaris Paulini No-viani, et aliorum, varia condidit opuscula, in Bibl., obvia, ut librum *formularum spirit. intelligentiae*, mysticis verborum significationibus, ad filios suos, n et Salonium, fuit enim uxoratus; qui ad calcem ript. *Flacii* etiam exstat. Commentaria tamen ad et libros Regum ejus non sunt. Vid. Savaro l. terea epistolam paraeniticam ad Valerianum, pro-suum, longe praestantissimam, de *contemtu mun-cularis Philosophiae*, etc. Ejus etiam sunt, non om-em, sed aliquae, ut observavit Savaro ad Sidon.

Apollin. homiliae, quarum quaedam nomen Eusebii Emiseni gerunt: nec non, ut nonnullis videtur, historia *passionis Mauritii* etc. Agaunensium martyrum Legionis Felicis Thebaeae, in initiis persecutionis Diocletianeae. De quo supra monui suo loco. Circa medium seculi etiam vixit *Maximus*, Taurinensis Episcopus, cujus aliquot homilias publicavit Mabillonius in Museo Italico tom. II., sicut et aliae inter Augustini et Ambrosii opera exstant: sed in quibus parum occurrit memorabile; tantum homilia 10*ma* meretur animadversionem, quia in ea nonnullos taxat haereticos, qui *indulgentias*, seu veniam peccatorum, *pecunia* dabant. *Presbyteri eorum*, inquit, *dicuntur habere mandatum*, *ut*, *si quis laicorum fassus fuerit crimen admissum*, *non dicat ei*, *age poenitentiam*, *deplora facta tua*, *desle peccata*, *sed dicat*, *pro hoc crimine da tantum mihi*, *et indulgetur tibi*. Quod ipse ibi acriter reprehendit.

§. XXXIII. *Valerianus*, Episcopus Cemelensis, in Alpibus maritimis, tempore Leonis M. Papae celebris, qui Synodo Arelatensi III. a. 455. adhuc interfuit, viginti homilias scripsit morales, a Sirmondo editas Oper. tom. I., ex quarum *decima* ejus Semi-pelagianismus pellucet, cum gratiam Dei, non praevenientem, sed subsequentem, statuat: licet eum absolvere conatus fuerit Theoph. Raynaudus in *Apologia* pro Ipso. *Prosper*, qui omnino cognoscendus est, insignis Pelagianismi oppugnator, gente Aquitanicus, ut eum adpellat Gennadius Scriptor. Eccles. c. 84., sive laicus sive presbyter, utique non Episcopus, ut multis probat Norisius hist. Pelag. l. II. c. 14., forte nec Presbyter, vid. Dupinius Aut. Eccles. in Prospero, notarius Leonis Papae, cujus Epistolas contra Eutychen, teste Gennadio, scripsit, floruit tempore Augustini et deinceps; cum Chronicon ad captam Romam a Genserico, a. 455., perduxerit, et ejus, adhuc superstitis, meminerit Marcellinus Comes ad a. 463. Multa ipsi adscribuntur, vel falso, vel incerto. Utique liber de *praedictionibus et promissionibus Dei*, qui ineptis scatet al-

legoriis,

legoriis, non est ejus, sed alterius Prosperi Africani, qualem sese clare prodit, licet ejusdem temporis. Libri de *vita Contemplativa*, bonae frugis pleni, quibus inter alia de virtutibus et vitiis, etiam Praelatorum et Monachorum, fuse differitur, eum quoque non habent autorem, sed Julianum Pomerium, celebrem Rhetora Arelatensem, hujus quoque seculi, de quo vid. Norisius l. cit. Denique libri de *vocatione gentium*, vel, qui verior titulus est, *omnium gentium*, male, ut nunc constat, Ambrosio tributi, num ejus sint disputatur. Contendit illud post Anthelmium Pagi ad Baron. a. 444., praecipue, quia apud Photium Bibl. cod. 54. habetur, libellos contra Pelag. esse a Prospero editos tempore Leonis Papae. Sed Vossius, hist. Pelag. l. I. c. 20. et Norisius l. cit., alienum esse scriptorem ex eo inprimis demonstrant, quod de gratia communi, aliisque capitibus, aliter loquatur autor ac Prosper in *carmine de Ingratis*, quod superest, vivo adhuc Augustino scriptum: oportet itaque vel librorum illorum autor non sit, vel multum de rigido zelo remiserit Prosper. Sed Quesnellius, differt. II*da* ad opera Leonis, pluribus, nec inprobabiliter, Leonem ipsum libros illos exarasse disputat, et quidem cum nondum esset Episcopus Romanus; praeterea autorem, in opinione de gratia, a Prospero non dissensisse autumat, et Vossii ac Norisii objectiones refutat. Quicquid ea de re sit, res enim tanti non est, ut rationes, quibus autores citati pro sua opinione singuli certant exhibeam, et examinem, videri etiam possunt apud Dupinium, illud certum mihi videtur, eum longe moderatius egisse Prospero, nec easdem fovisse opiniones rigidas. Vid. etiam Basnagius Hist. Eccles. l. XII. c. 4. De quo hic fusius differere a scopo alienum est. Tres tantum ejus theses memorabo, quae si obtineant, *nullius*, secundum ejus opinionem, *superesset causa certaminis, neque ultra necesse esset nos interminabilibus quaestionibus occupari*: sunt autem illae definitiones, ut ipse eas adpellat, quae occurrunt lib. II. c. 30., sequentes, *una*, ut ait

ipſe, *profitetur aeternum, et proprium eſſe divinae bonitatis, ut omnes homines ſalvos fieri velit, et in agnitionem veritatis venire. Alia ſimul praedicat, omnem, qui ſalvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari et regi, utque in fide, quae per dilectionem Dei operatur, permaneat, cuſtodiri. Tertia vero temperanter et ſobrie proteſtatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem, et multas divinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas* etc. Quibus ſi per omnia ſecula contenti fuiſſent Chriſtiani, tam funeſtae diſputationes, et diviſiones, eos non laceraſſent, et Chriſtianiſmum proſtituiſſent. Pro indubiis vero Proſperi operibus habentur 1. Epiſtolae ad Demetriadem virginem, contra Pelagii Epiſtolam ad eandem, a. 413., nec non ad Auguſtinum, qua eum de Johannis Caſſiani, aliorumque, qui poſtea Semi-pelagiani dicti ſunt, erroribus certiorem reddidit, a. 426. Exſtat inter Epiſtolas Auguſtini, et eſt 225. 2. Decem capitula de gratia et libero arbitrio, contra Semi-pelagianos, quae Caeleſtini Papae Epiſtolae ad Epiſcopos Galliae ſubnecti ſolent, Vid. Norifius Vind. Auguſtin. c. 8. Sed illa capitula nec eſſe Caeleſtini, nec Proſperi, verum Leonis, tunc adhuc Diaconi Romani, qui Caeleſtino Papae inſerviit, Idem Queſnellius ibid. differt. III. cenſet, eo inprimis nixus fundamento, quod idem ſit autor ac librorum de *vocatione Gentium*. 3. Ann. 433. ſcripſit contra Collatorem, ſeu Caſſiani collationes, et opiniones ejus de gratia, collatione XVI*ta* occurrentes, refellit, ſicut et mox ad *capitula Gallorum* reſponſiones, quibus Auguſtinum a calumniis defendit. 4. Capitula quoque Vincentiana 16, quae autorem habent Vincentium Lerinenſem, autorem *commonitorii*, de quo poſtea, et abſurda conſequentia doctrinae Auguſtini continebant, refellit, a. 434. Denique 5. ejus nomen praefert Chronicon. in antiquis *Lection.* Caniſii tom. I. et alibi, cujus quatuor diverſae memorantur editiones, *vulgaris*, quae Chronico Euſebii et Hieronymi Scaligerano ſubjungitur, et ann. 445. finitur;

Ducheſniana,

Duchesniana, quae annos decem ei addit, usque ad ann. 455.; *Labbeana*, quae ad eum annum exhibet Chronicon. *Quarta Pithaeana*, seu Imperatoria, quae ibidem exstat, additur quidem, sed non est Prosperi, sed ex illo ab alio autore contractum, forte Semi-pelagiano; quia haeresin, *praedestianam* dictam, memorat ex Augustini ortam scriptis. Vid. Anthelmius de genuinis Leonis et Prosperi scriptis. Reliqua vero Chronica eum habere autorem, communis licet sit opinio, quia ex Gennadio, aliisque, constat, Prosperum scripsisse Chronicon, ei tamen contradicit Garnerius, dissert. III*tia* ad Marium Mercatorem, nec sine ratione de eo dubitatur, cum Johannem Cassianum nimis honorifice tractet, quam Prosper videatur facturus. Nec tamen ei abjudicare ausim. Ceterum operum Prosperi nova editio est Benedictinorum, Paris. publicata.

§. XXXIV. *Claudianus Mamertus*, Ecclesiae Viennensis, cujus Episcopus fuit Mamertus frater ejus, Presbyter, simul vicarius, seu coepiscopus, *antistes in ordine secundo* propterea dictus Sidonio l. cit. ubi vid. Savaro, insigni ornatus elogio a Sidonio l. IV. ep. 3. c. 11. scripsit tres libros de *anima*, ad ejus spiritualitatem contra Faustum, de quo postea, demonstrandam; in Bibl. Patrum, quam valde laudavit Sidon. Apoll. l. V. ep. 2., nimis quidem, nec tamen prorsus inmerito. Defunctus est circa a. 470. *Sidonius Apollinaris*, cujus modo memini, Gallus, et illustris tum genere, ex Patre et Avo, praefectis praetorio, tum dignitatibus, quibus defunctus est, invitus a tribunali ad Arvernorum Episcopatum raptus, a. 473., ut demonstrat Pagi ad Baron., varia condidit opuscula, quae ex Epistolis et Carminibus constant, edita a Sirmondo Oper. tom. I., sed antea cum eruditis notis a Savarone. Circa idem fere tempus, post medium seculi, floruit in Africa *Vigilius Tapsensis*, in provincia Byzacena Episcopus, qui, tempore Hunnerici Vandali, pro fide Catholica dimicavit, et persecutione ejus coactus, patria deserta, CPolin petiit, ac contra Euty-

chen fcripfit. Opufcula ejus contra Eutychianos, Neftorianos, et Arianos collegit, et in lucem protraxit Chiffletius. Inter quae tamen male locum tenent libri de *Trinitate*, et contra Varimadum, quorum autor eft Idacius aliquis, circa medium feculi. Vid. Montfalcon. ad Athanaf. tom. III. *Alcimus Avitus*, Inperatoris Aviti nepos, Epifcopus Viennenfis, Patris fucceffor, in fine feculi celebris, Epiftolas, homilias, et carmina, in libros Mofis, aliaque, fcripfit, edita a Sirmondo Oper. tom. II. Exftat infigne ejus elogium apud Agobardum Oper. tom. I. p. 120. edit Balufii. Celebris in primis eft ejus collatio cum Arianis, coram Burgundionum Rege Gundobado, a. 501., qua confufi funt Ariani, multique converfi. Exftat ibid. apud Sirmondum, et in Actis Conciliorum Harduini tom. II. Incertum eft mortis tempus, tantum a. 517. eum adhuc in vivis fuiffe, ex concilio Epaunenfi, eo anno habito, cui praefuit, conftat.

§. XXXV. Inter Hiftoricos Latinos, quos fcriptoribus memoratis, pro more, fubjungo, primum ordine temporis locum tenet *Ruffinus* Aquilejenfis, de cujus lite cum Hieronymo fupra dixi: de Ipfo, qua praelufore Pelagii, poftea quaedam monebo. Ipfe, praeter verfionem Origenis Latinam, minus exactam, ut putatur, diffentiente praeter alios Sidonio Apollin. l. II. ep. 9., et Hiftoriae Ecclef. Eufebii, fed incompletam, duos condidit libros, qui vel 10. et 11*mus* Hiftoriae Eufebii, vel 1. et 2*dus* Ruffini, adpellantur; quibus hiftoriam Ecclefiaft. ab Arii initio ufque ad Theodofii M. obitum pertexuit: fed opus videtur tumultuarium, et autor Ipfe nimis eft credulus. Compofuit illos in gratiam Chromatii, Epifcopi Aquilejenfis poft annum 400., tefte praefatione. *P. Orofius* Hifpanus, et Presbyter Tarraconenfis, litibus cum Pelagianis famofus, ut poftea patebit, feptem confcripfit, hortatu Auguftini, libros adverfus eos, qui progreffui religionis Chriftianae adfcribebant defectum Inperii Romani, in quibus totius mundi tempora, calamitates,

iserias, ac bellorum inquietudines, replicans, verba
nadii de Scriptor. Cap. 39., ostendit, Christianae
acceptum esse referendum, quod Inperium Roma-
dum sit exstinctum. Sed singularem hoc opus prae-
um in multis Cod., et apud Veteres, quo *Ormesta*
vel Ormesta, aut *Hormesta* Mundi adpellatur. Quod
nominis incertum est, et varias peperit Doctorum
as, quarum multas exhibet Fabricius in med. et
atin. Bibliotheca. Respici ad orbis miseriam, vel
m, vel ex argumento ejus, ut illud Gennadius exhi-
tur probabile. Occurrit quoque vox *ormesta* pro mi-
oria, opposite ad parabolam, in Epistola Stephani
nsis ad Wilhelmum Rhemensem, Sec. XII. apud Ba-
i Miscellan. tom. I. p. 420., nisi vox sit corrupta.
esse Gothicam ab *arman*, misereri, unde *armst*
et cum latina flexione *armista* vel *ormista*, obser-
n Eckard. in Bibl. Brem. Cl. III. Ceterum opti-
ovissima est editio ab Havercampio adornata, ubi
a Orosii opuscula reperiuntur.

XVI. *Sulpicius Severus*, ab alio ejus nominis Bituri-
iscopo probe distinguendus, gente Aquitanus, pri-
hetor et causidicus, dein monachus et Presbyter,
muliaci, nunc Elusone, adeoque in Gallia Narbo-
legens, Martini Episcopi Turonensis discipulus et
r, cujus etiam vitam ac miracula conscripsit, ei et
Nolano valde familiaris, in senectute a Pelagianis
, et postea conversus ad fidem Catholicam, teste
o, incertum quo anno mortuus, nisi quod ultra ann.
non videatur vixisse, erat enim jam senex, teste
Gennadio, cum Pelagius haeresin incepit dissemina-
sit, praeter vitam Martini, dialogos et Epistolas,
aliquae sunt editae a Baluzio Miscellan. tom. I. et
in Spicilegio, vol. III., utilius et elegantius opus,
rerum, in orbe gestarum, a mundo condito ad
um Stiliconis, a. 400 complexum, multorum notis

et commentariis illustratum, sed fuit nimis credulus, et ordinis temporum negligentior. *Idacius* Lemicensis, in Hispaniae provincia Gallaecia Episcopus, sive, ut Sigebertus tradit, Lemicensis, sive uti alii Aquaeflaviensis, sed quae non videtur fuisse urbs Episcopalis, memoratus Leoni M. ep. 91. ad Thuribium, Chronicon Hieronymi continuavit, ab a. 373., ubi desinit Hieronym., ad a. 467. Quod una cum fastis Consularibus exstat integrum in Oper. Sirmondi tom. II., recusum in *collectione conciliorum* Hispaniae tom. II. Utitur autem, praeter aeram Abrahami, aera Hispanica, quae Christi natalem ann. 38. antecedit. Est magni pretii chronicon in historia Suevorum, Gothorum, aliorumque populorum barbarorum, qui Hispaniam tunc infestarunt, quod postea exscripsit Isidorus Hispalensis: sed aliis in rebus minoris pretii, nec sine erroribus. Ceterum ejus etiam censentur esse octo dialogi, Athanasio inscripti, in Oper. Athanasii tom. III. Denique *Victor*, non Uticensis, sed Vitensis, in provincia Byzacena, Episcopus, ab Hunnerico rege Vandalorum, tempore vigentis persecutionis, in exilium missus, scripsit a. 488. librum de *Persecutione Vandalica* in Africa, novissime a Ruinarto, cum notis et commentario de illa persecutione, editum; qui ingentem nobis in hac historia praebet usum.

DOCTRINA.

§. XXXVII. *Canon* Scripturae S., ut inde, pro more, ordiar, nec eodem modo distinctus, nec eosdem libros complexus est per omnes Ecclesias. Ruffinus in *expositione symboli* divisit in Canonicos, Ecclesiasticos, et Apocryphos, titulo Ecclesiasticorum insignitis libris, qui Protestantibus sunt apocryphi, qui ad aedificationem quidem praelegebantur, sed ad dogmata demonstranda non adhibebantur. Junilius quoque, de quo mox, cap. 7. tradit, *canonicos* esse *perfectae* autoritatis, Ecclesiasticos a nonnullis receptos, Hie-

ronymo

mo dictos Apocryphos mediae autoritatis, reliquos vero
ryphos nullius. Hieronymus in *prologo galeato* ad libros
uelis in Canonicos tantum et Apocryphos distinxit, apo-
hum quicquid extra canonem Hebraeum est adpellans,
ut Ecclesiasticos libros eodem apocryphorum nomine
iverit. Quod, vocis respectu, plane novum erat, nec
hasi, aut usui nominis apocryphi, congruum, erat enim
strictior significatio, qua libros *occultandos*, nec praele-
dos; adeoque nullius frugis, aut noxios, denotabat. Idem
praefatione ad libros Salomonis adfirmat, ubi eos libros
quidem ab Ecclesia dicit, sed non ad fidem confirman-
. Sic et Praefat. ad Tobiam et Judith ejus librum
ocryphis adnumerat, cum libro Judithae, uti pro *hagio-*
phis legi debere, observavit Pearson Vindic. Ignat. p.
. 4. Sed addit, Synodum Nicaenam librum Judith in
ero Scripturarum sacrarum *legi computasse*. Quod quo
damento adserit Hieronymus, non constat, cum ejus rei
quam exstet mentio. Nec ipse ei fidem obstrinxit, li-
m enim adcenset Apocryphis, nec ubi *legatur* tradit.
ronymum sequitur *Junilius de partibus Divinae legis*
. cap. 3., ubi Esther etiam accensetur non Canonicis,
et Paralip. 2. et Job. 1. Dein libris specie Proverbio-
dicit cap. 5. ab aliquibus adjungi librum *sapientiae, et*
tica Canticorum. Sed c. 6. librum *Ecclesiast.* inter ca-
icos refert. Theodoretus, praefat. ad Canticum Salo-
nis, recenset etiam libros Vet. Test. canonicos, quos
testantes adsumunt, sed eos ab Esdra, ex inmediata re-
atione, putavit, cum aliis, restitutos. Aliter vero distinc-
e in Canonicos et apocryphos usi sunt Africani, qui
onicis adscripserunt, quos Hieronymus Apocryphos,
ffinus Ecclesiasticos, adpellavit. Sic utique habet can.
us cod. Africani, in Synodo Carthagin. a. 419. cusus,
o inter scripturas Canonicas, quae in Ecclesia sub nomi-
divinarum scripturarum leguntur, Salomonis libri quinque,
bias, Judith et Maccabaeorum libri duo, comparent,

 Augus-

Augustinus Doctrin. Christ. l. II. c. 8. eodem modo instituit, nisi quod alios aliis praeferat, prout ab Ecclesiis omnibus, vel nonnullis, adsumuntur. Vid. etiam de Civit. Dei l. XVII. c. 20. de libro sapientiae et Ecclesiastico, ubi dicit: *non esse Salomonis non dubitant doctiores, eos tamen in autoritatem, maxime Occidentalis, antiquitus recepit Ecclesia*, scilicet Romana. Innocentius Epistola decretali ad Exuperium *tertia* quoque testatur, libris, qui recipiuntur in canone sanctarum scripturarum, accenseri in illa Ecclesia eosdem, in canone Carthagin. memoratos. Vid. et Augustinus ibid. l. XVIII. c. 36. de libris Maccabaicis. Addatur, Ecclesias Gallicanas fuisse offensas, quod Augustinus testimonium ex libro Sapientiae protulisset, teste Hilario epist. ad Augustinum, et Augustinum sese hac parte defendisse de *Praedestinatione* l. I. c. 14. Ceterum vocem *Canonici* libri in eo canone Carthag. latius sumi, in genere pro libro autoritatis Ecclesiasticae, supra ad sec. IV*tum* suo loco observavi, et ex ipso Augustino colligi potest.

§. XXXVIII. De Epistolis vero Jacobi, 2 Petri, 2. et 3. Johannis, Judae, ad Hebraeos, et Apocalypsi, cessavit fere hoc seculo dubitatio in Ecclesiis, aeque Orientis ac Occidentis, cum ubique tanquam divinae Scripturae citentur, nulla quoque Epistolarum Clementis, Barnabae, et similium, facta mentione. Nec tamen existimandum est, omnem ubique sublatam fuisse dubitationem. De quinque Catholicis Epistolis dicit Junilius cap. 6., *quamplurimos* eas pro canonicis habere. De Epistola ad Hebraeos nonnullos adhuc suo tempore dubitasse testatur Augustinus de *peccatorum* merit. et remiss., ut et Hieronymus ad Epist. ad Tit., qui etiam in ep. ad Evagrium dicit, *omnes Graeci, nonnulli Latinorum*, recipiunt Epistolam ad Hebraeos. Apocalypsin a multis adhuc fuisse in dubium vocatam Junilius, Africanus Episcopus, sec. VI. scriptor, in Bibliot. M. Patrum, testatur l. I. c. 4. de *partibus divinae legis*, ubi dicit, de *Johannis Apocalypsi apud Orientales admodum dubitatur*. Pressit

autem

n ipse vestigia Pauli, Doctoris scholae Nisibensis, ut
dicatione libri sui testatur: adeoque, quod de Orienta-
testatur, in dubium vocari nequit. De quibus etiam
ndus est Sulpic. Sever. Hist. l. II. ubi dicit, Apoca-
ı *a plerisque aut stulte, aut inpie, non recipi.* De Eccle-
ıyriae ad sec. IV. egi.
XXXIX. *Traditiones*, sicut seculo superiore, ad Scrip-
ı interpretandam, ritus Ecclesiae demonstrandos, judi-
ıt necessarias, absque tamen, ut dogmatibus fundandis
er Scripturam crediderint sufficere. Hieronymus in
:. ad Marcellam, de erroribus Montani, et in dialog.
ra Luciferianos, illud liquido adfirmat de traditionibus
libus, ut et Augustinus, cujus haec saepe occurrit re-
: *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum,
emper retentum est; non nisi auctoritate Apostolica traditum
sime censetur:* ita de baptism. II: 7. IV: 24. et V: 23.
:. 118., qui epist. 36. ad Casulanum dicit, *in his enim
, de quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos popu-
ei, vel instituta majorum, pro lege tenenda sunt.* Vin-
us Lirinens. in commonitorio normam Script. S. ex-
ndae, et fidei, seu haeresium refutandarum, regu-
ponit: *nil novandum, nisi quod traditum est, quod ubi-
quod semper, quod ab omnibus est creditum:* duo ag-
ıt principia, *divinae legis autoritatem, et Catholicae fidei
tionem.* Augustin. epist. 82. ad Hieronymum, et 93.
Vincentium, solis Scripturis canonicis, seposita homi-
autoritate, inhaerendum esse, egregie inculcat. Cyril-
quoque Alexandr. ad Joh. p. 559. *pro fide nequaquam
bi debere,* inquit, *quod in Script. S. non occurrit.* Eu-
es in Actis CPol., quae in actis Chalced. exstant, dixit,
*las scripturas scrutari, tanquam firmiores S. Patrum ex-
ionibus.* Quod vero ad Synodorum oecumenicarum de-
iones adtinet, Synodum Nicaenam, divinitus inspiratam,
tatem dogmatum tradidisse, adeoque ei stricte inhaeren-
esse, adserit Isidorus Pelusiota l. IV: ep. 99., ut et So-

 crates

crates H. I: 9. Denique Paparum Epiftolae decretales, quibus ad confulta refpondebant, aequatae jam funt in fin. feculi Scriptis Patrum, et aliquid majoris autoritatis nactae funt, fi decretum Gelafii, ex Synodo Romana a. 494. editum, fit adfumendum: de quo alibi.

§. XL. In Trinitatis dogmate nihil quoque innovatum eft, fide Nicaena facta et confervata publica Ecclefiae Catholicae: expreflerunt quoque mentem fuam doctores eodem fere modo, quo antea. Legi hanc in rem meretur confeffio fidei, ab Epifcopis Catholicis Africae, anno. 484. juffu Hunnerici regis Vandalorum confecta, apud Victorem Vitenfem, et in actis Conciliorum Harduini. In qua, quod notandum, occurrit locus 1 Joh. V: 7. de tribus teftibus in coelo. 1. Diftinctionem perfonalem ut fartam tectam fervarent, eamque, non obftante unitate Effentiae, locum tenere poffe explicarent et illuftrarent, ufi, ut antea, funt fimilitudinibus Patris et Filii, in quibus eadem eft effentia, et aliarum generationum creaturarum. Ita ex. gr. Auguftinus *contra fermonem Arianorum* c. 2. et 36., contra Maximinum Arianum l. III: 10, 15. Cyrillus dialog. I. de *Trinitate*, in Thefauro l. IX. et faepe alibi. Sic et fec. fequente Anaftafius Sin. in Hexaemeron. lib. VI. et X. Ne autem aliam unitatem in tribus perfonis divinis fe non ftatuere quis exiftimaret, ac in Angelis et hominibus, caverunt haud una ratione. Dixerunt enim α. non talem per omnia, fed arctiorem effe unionem; uti Auguftinus ad Pf. LXVIII. et Cyrillus Alex. dialog. l. VI. β. Imo μίαν, unam eandemque effentiam, infeparabilem aequalitatem, non tantum, fed et ταυτότητα *identitatem* tribuerunt tribus perfonis. Cyrillus Alex. contra Julianum l. X. Patrem effe unum cum Filio dicit ταυτότητι φυσικῇ *identitate naturali*, et in Johann. l. I. c. 3. ταυτότητα φύσεως *identitatem effentiae* adferit. γ. Tres naturas, effentias, Deos dici poffe, aut debere, abfolute negarunt. Cyrillus in Joh. l. IX. Ifidorus Pelufiota l. II. ep. 143., qui epiftolam his verbis concludit: *varias ac diffiden-*

tes

tes naturas docere, Gentilitium est, unam autem personam, seu hypostasin, *Judaicum: at personas in sanctam Trinitatem dilatare, atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac verissimum dogma est.* Sic et Hieronymus epist. 57. ad Damasum, et ipse Damasus apud Theodoret. in anathematismis l. V: c. 10. Vincentius Lirinens. in *commonitorio* c. 18., 19., ubi etiam p. 294. dicit, unam esse divinitatem in Trinitatis plenitudine, et Trinitatis aequalitatem in una atque eadem Majestate, adeoque *alium et alium* esse, et non *aliud ac aliud.* Denique 3., ne Patris praerogativam viderentur tollere, Patrem dixerunt esse Filii sui unigeniti *autorem*, sed qui Filium genuit, et gignendo ei dedit, ut Augustinus loquitur contra Maximinum l. III: 14. Qui tamen, quod dictis addendum est, et observari meretur, epist. 11*ma* ad Nebridium nimis Scholastice disseruit de Trinitate, adeo ut vera et realis personarum distinctio vix salva maneat; fere, ut postea scholastici de Patre, Filio, et Spiritu S. tanquam *Deo* et *idea* seu forma, ac *amore.* Utitur quoque epist. 169. similitudine *memoriae*, *intelligentiae*, *et voluntatis*; sed dissimilitudinem simul ostendit, quae personas relinquit integras, Vid. etiam Serm. 52. ad Scripturam oper. tom. V. Comparat quoque Antoninus in ep. mox citanda Trinitatem cum anima, ratione, et sapientia, cum sole, calore, et splendore etc. nec non fragmentum XVIII. ex libro Fulgentii contra Fabianum. Sed Theodoretus haeret. fab. l. V: 1. etc., veram divinitatem, et substantialitatem distinctam, salva Patris superioritate, et unitate principii, clare expressit. Sic et, ut illud addam, autor catholicus *commentar.* ad Epist. Pauli, ad calcem oper. Ambrosii, in 1. ad Cor. XVI: 27. 28. inquit, Christi subjectionem Patri explicans, *hoc dicit, quia, cum omnium Principum et Potestatum et dominationum fuerit pressa superbia, et adoraverint Christum, quasi Deum; tunc et Christus, propter unicam autoritatem Patris, Deum quidem se ostendit, sed de Deo, ut unius principii sublimis et ineffabilis autoritas maneat.*

§. XLI. Reliqua dogmata, de ſatisfactione Chriſti, gratia regenerante, et ſanctificante, de ſacramentis, et aliis materiis, cum ſuis locis poſtea, occaſione ſeſe offerente, expoſiturus ſim, verbum de ſtudiis Phyloſophicis Chriſtianorum ſubjungam. Placuit in primis Plato, ut ex Epiſtolis Sidonii Apollinaris eluceſcit. Viguerunt etiam juniores Platonici, quorum princeps fuit Proclus, de quo vid. Marinus in vita Procli, a Fabricio editus. Sed incepit quoque Ariſtoteles in pretio eſſe, cum quod Origeniſtae ac Pelagiani uterentur Platone, tum in diſputationibus, quae hoc tempore agitatae ſunt, diviſiones et diſtinctiones Ariſtotelis majorem praeberent uſum. De quo poſtea.

CULTUS.

§. XLII. *Objecti* cultus reſpectu, res eodem in ſtatu manſit, in quo fuit ſeculo praecedente, ubi de ſanctorum, reliquiarum, crucis, nimia, quin ſuperſtitioſa, veneratione fuſius diſſerui, nonnullis quoque hujus ſec. teſtimoniis productis, quare paucis defungar. Teſtati ſunt et hoc ſeculo Veteres, ſe unum ſolum colere et adorare Deum, nullas creaturas in coelo aut terra, uti praeter autorem *commentarii* in Matthaeum, inter opera Ambroſii, qui Hilarius Diaconus Romanus, Luciferianae ſectae, ut ſuo loco notavi, cenſetur, qui omnem qualemcunque ſanctorum cultum religioſum rejicit, et nos non indigere miniſtris Dei, ad ipſius favorem inpetrandum, demonſtrat, eoque ipſo fundamentum invocationis ſanctorum deſtruit, praeter ipſum, inquam, Hieronymus contra *Vigilantium*, Auguſtinus contra Fauſtum XX: 21. de Civitate Dei l. ult. c. 10. Serm. 273. de ſanctis et alibi. Leo M. Serm. XXVI. Cyrillus Alex. contra Julian. l. VI. Theodoret. contra Gentes Serm. VIII. et in epiſt. ad Coloſſ. Qui omnes, ſe ſanctos, aut martyres, aut reliquias eorum, adorare, diſerte negant, ut et ſe iis Templa erigere, aut ſacrificia offerre; declarant, ſe in

eorum

eorum memoriam, illum cultum Deo deferre. Notabilia sunt Augustini verba, de *vera religione* §. 108., quae non possum quin describam: *non sit nobis religio hominum mortuorum; quia, si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur meriti sui nos esse consortes: honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem: si autem male vixerunt, ubicunque sint, non sunt colendi.* Contradicit deinceps §. 110. cultui Angelorum disertissime, Vid. etiam epist. 17. ad Maximum Madaurensem, ubi declarat, *a Christianis Catholicis nullum coli mortuorum, nihil ut Numen adorari, quod sit factum et conditum a Deo, sed unum ipsum Deum, qui fecit et condidit omnia.*

§. XLIII. Hisce non obstantibus, in sanctis, eorumque reliquiis, nimium honorandis perseverarunt, adeo etiam, ut modum vix tenuerint. Mariam, et sanctos, non tantum summis ornarunt elogiis, sed et tanquam *intercessores* apud Deum venerati sunt, ac ab ipsis directe petierunt, ut efficace sua apud Deum adjuvarent intercessione. Vid. Ambrosius de *Viduis* c. 9. et ep. 22. ad Marcellinam de Gervasio et Protasio inventis. Meminit etiam in libro de *Viduis* invocationis Angelorum, custodum sanctorum. Quod nescio an aliquis ante ipsum fecerit. Basilius Seleuciensis, Metropolita Ciliciae, Orat. 39. εἰς εὐαγγελισμὸν, seu in *sanctam Dei genitricem Mariam*, modo ejus sit, de quo dubitari potest, cum Photius Bibl. cod. 168. ipsi tantum tribuat Orationes quindecim, sed addit Photius, ejus etiam alia circumferri scripta, post multa Mariae elogia, hanc precandi formulam praescribit: *ô sanctissima virgo! de qua quisquis praeclara omnia et illustria dicit, ut a veritate non aberrat, sic infra dignitatem praedicat, e coelo propitia nos respiciens, nunc quidem pacifice nos perducito, postea vero ad judicialem thronum securos, ac nullo pudore confusos, sistens, stationis ad dextram participes effice.* Exstat etiam tale quid in *sermone* Eleutheri Tornacensis Episcopi, *in annunciationis festum*, in Bibl. Patr.

[redacted]

tom. VIII. Occurrit quoque simile quid apud Augustinum, serm. de *adnunciatione Dominica*, qui est 194. in adpendice Oper. tom. V., sed, cum sermo nec sit ejus, nec hujus temporis, ut Benedictini ipsi agnoscunt, et demonstrant, eum missum facio. Petrum Cnapheum, Episcopum Antiochenum, instituisse, *ut in quacunque precatione Dei genitrix nominaretur, et divinum ejus nomen invocaretur*, tradit Nicephorus H. E. l. XV: 18. Theodorus Lector l. II: 48. unde hausit Nicephorus, posterius quidem non habet in edit. Valesii membrum, sed sensum, si illud addiderit, non adeo male expressit. Ipse Gregor. Nazianz. Orat. XVIII. in laudem Cypriani, Justinam virginem, a Cypriano ad stuprum incitatam, refert, Mariam virginem obsecrasse supplicem, ut sibi succurrat. Cujus rei in superioribus jam memini. De Martyrum intercessionibus, eorumque advocatione, ut apud Deum intercedant, earumque efficacia, luculenter agit Asterius, hujus et praecedentis sec. scriptor, *in encomio Martyrum*; ubi *legati et sequestri* orationum adpellantur, et haec formula invocationis unius eorum occurrit: *tu, qui propter Christum passus es, intercede pro passione, et morbo* etc. vid. etiam Orat. in S. Phocam, Basilius Seleuciensis in *laudatione* S. Stephani, et Theodoret. contra Graecos serm. VIII. Imo Valerianus, hom. XV. in operibus Sirmondi, ex more humano, quo per amicos et ministros aulae aditus patet ad Principem, illud illustrat, et demonstrat. De sanctorum intercessionibus etiam agit Hieronymus epist. 25. ad Paulam de Obitu Blaesillae, epist. 27. in epitaphio Paulae, et fuse in libro contra Vigilantium: Augustinus sermone 319., de *Stephano*, eum non magis adorari vult ac Angelus se a Johanne Apoc. XIX., sed commendari nos vult Stephano; *per conservum*, dicit, *beneficia sumamus; honorem et gloriam Domino demus.* Moderate etiam Petrus Chrysologus, Ravennas, cujus varii exstant sermones in Bibl. M. P. vol. VII., sermonem in S. Laurentium 135. his claudit verbis: *Martyrum merita, velut Dei*

dona,

dona, laudemus, amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram — — — — ferveat Oratio, et festum Martyris celebretur, sed, ut non sit inanis, qui celebrat, imitetur. Occurrunt quidem in sermonibus Augustini, hic illic, directae sanctorum invocationes, sed aut dubii sunt, aut falsi. Interea distinxit jam Augustinus inter *latriam*, seu cultum Deo debitum, et *duliam*, seu cultum inferiorem, sanctis deferendum, cum in hac vita, tum post eam; uti contra *Faustum* l. XX. c. 21. de Civit. Dei l. X: 1. et ad Ps. CXXXV. Angelos et sanctos nostra cognoscere quoque censuit, licet modum ignoret; in lib. *de cura pro mortuis.* Hieronymus ep. III., seu *Orat. funebri* in Nepotianum, illum res humanas ignorare indicat, sed contra Vigilantium, animas *sequi agnum* dicit, quocunque iverit, et sic quasi ubique esse, et terrestria cognoscere. Gregorius Nazianz. variis in Orationibus dubitanter loquitur. Habiti porro et adpellati sunt sancti *patroni* et civitatum Dei tutelares. Sidon. Apollin. l. VII. ep. 1, et 17. IX. ep. 16. Denique meritorum, vel praeclarorum sanctitatis operum cum aliis communicationem aliquam, ad eorum commodum, videtur admisisse Cyrillus Alex. de *adoratione in spiritu et Littera*, l. IV.

§. XLIV. Studium *Reliquiarum* fuit hoc quoque seculo generale et fervidum, in quibus conquirendis, adservandis, quaquaversum mittendis, honorandis per Templa, altaria juxta eas, preces, sacrificia, apud eas, denique in miraculis, per eas factis, fingendis et credendis, adeo fuerunt religiosi, ut summa religionis fere in iis sita fuerit censita. Loca varia jam congessit Petavius de *Incarnatione* l. XVI. Inter Veteres in eo totus est Theodoretus *contra Graecos* serm. VIII. Inter eos, quorum reliquiae sunt repertae, memorantur Stephani, protomartyris, corpus, revelante, ut putabatur, Deo, initio sec. V. Augustin. serm. XXV. Sirmondi. Vid. et Basilius Seleuciens. l. cit. Cujus miraculosa retectio, Luciano facta, exstat in Adpendice tom. VII.

Oper. Augustini. Memorat etiam Idatius in *Fastis consular.* Gervasius et Protesius narrantur Ambrosio monstrati, apud Ambros. ep. 22. ad Marcellinam, et Augustin. confess. l. IX: 7. Samuelis etiam prophetae reliquiae sunt solenni pompa, ipsis Augustis ductoribus, CPolin translatae: de quo vid. Hieronymus contra Vigilantium, et Chron. Alexandrinum a. 406. Mitto Barnabam Cyprium, et alios, vid. Theodorus Lector H. l. II. et verbo obsfervo, euangelium Matthaei, Barnabae manu descriptum, cum eo fuisse inventum, tradere Victorem Tununens. Invalescere etiam coepit opinio, sanctos sese hominibus subinde manifestasse, eorumque animas interesse rebus humanis. Vid. Augustin. *cur. pro mortuis*, et Synesius epist. 31. ad *Aurelianum.* Originem suam haec opinio debet Gentilibus. Vid. Clem. Strom. VI. c. 3. ubi tradit, animas mortuorum vocari etiam *daemones* a Gentilibus, et coli, tanquam potestate gaudentes, ut ad hominum *ministerium locum circa terram obeant.* Vid. et Apulejus de *Deo Socratis* De Angelis etiam illud testatur Antoninus, Constantiniensis in Africa Episcopus, in epist. ad Arcadium, tempore Vandalicae persecutionis exulem, in Bibl. M. Patrum, a. 435. scripta. *Quidam Christianus*, inquit, *dum pro fide in eculeo torqueretur, retulit, adstitisse sibi Angelum splendido vultu, cum linteo aqua perfuso, qui ei aquam in faciem spargeret, et linteo detergeret. Donec tortus est, Angelus non recescit, consolans eum, et refrigerans eum*, etc. De miraculis per reliquias Euphemiae Chalcedon. legendus est Evagrius H. II: 3. et Theophylactus Simocatta Hist. VIII: 14. ubi, quod, notandum, *sanguinis fluentis* jam prostat exemplum, nec non Augustinus, qui de Civit. Dei l. XXII: 8. miraculornm per sacramenta, orationes; et memorias martyrum contexuit catalogum, praeterea memorat *terram sanctam*, Hierosolymis delatam in domum alicujus, ibique ad malum averruncandum suspensam; imo terram inde adlatam dicit *adorari*, epist. 52. ad Severinum. Sic et corpus Simeonis Stylitae, de

quo

quo postea Antiochiam est translatum, ut urbi pro munimento esset, sicut ipsi dicunt apud Evagrium H. I: 13. nec aliter ea de re loquitur Chrysost. de *martyribus AEgypti* Oper. t. II. ac Isidorus Pelusiota l. I. ep. 226. ubi πολιῦχοι adpellantur Martyres. *Ego novi*, inquit Aeneas Gazaeus in *Theophrasto suo*, ex versione Lat. in Bibl. P. circa fin., *multa bonorum virorum corpora, quae etiam phalanges daemonum tantopere terrerent, quantopere ipsi vexabant hominem abs se captum, atque obsessum: itemque morbos innumeros, quibus curandis ars medica non sufficeret, ipsa facile curarent, perpurgarent, omninoque auferrent.* Omisi, pretiosam vestem Mariae Deiparae sub Leone M. Inperatore a duobus devotis peregrinatoribus inventam, in vico aliquo Galilaeae, apud foeminam Judaeam, inde furto sublatam, et Constantinopolin delatam, denique in Templo ad Blachernas repositam, multisque miraculis claram, et devotissime cultam, narrari ab anonymo sec. VIII. in Bibl. M. P. vol. XII. *Adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est*, inquit Hieronymus ad *Desiderium, et quasi recentia nativitatis, et crucis ac passionis, vidisse vestigia.* Solitos fuisse Christianos *pulverem e sanctis locis*, et *venerabilibus Ecclesiis, ac martyrum aedibus, quasi ad praesidium et benedictionem, domum asportare* tradit Severus Antiochenus apud Ephraem. Syr. ad 2 Reg. V. Oper. tom. I., ad exemplum Naamanis Syri, terrae portionem secum e terra sancta portantis. Sicut et devotae mulieres oleo solebant ungere in Templis adytorum cancellos, et martyrum thecas, ad exemplum Jacobi, lapidem ingentis, Gen. XXVII. teste Theodoreto quaest. 84. ad Genes. Paula et Eustochium, ep. inter Hieronym. XVII. ad Marcellam, *martyrum ubique sepulchra veneramur*, inquiunt, *et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Ipse Hieronymus ep. 53. ad Riparium dixit, *honoramus reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus, et ut veneremur eos, qui Templum Spiritus S. fuere.* Ceterum, ut illud subjungam, mercatura jam

 fuit

fuit cum reliquiis exercita. Hieronymus de *opere Monachorum*, *venditant*, inquit, *membra martyrum*, *ſi tamen martyrum*. Quo lex Honorii et Theodoſii in cod. Juſtian. l. I. tit. 2. ſpectat, *nemo martyres diſtrahat*, *nemo mercetur*.

§. XLV. De *cruce*, ejuſque ſigno tranſeunte manu facto, quae ſuperiore ſeculo adtuli, cum huc etiam transferenda ſint, nihilque, quod addam, habeam, niſi quod *cruces argenteae* jam in uſu eſſe coeperint, teſte Sozomen. H. II: 13. et crucis venerationem nomine *adorationis* expreſſerit Aſterius Orat. de S. *Euphemia*, hiſtoriam *imaginum* perſequar. Statuarum quidem nulla, ſed imaginum pictarum, uti ſeculo ſuperiore, indicia ſeſe offerunt, etiam in ipſo Templo, ſi Synodo Nicaenae II. fides ſit habenda, quae act. IV: ex Nilo Abbate citat teſtimonium, quo in epiſt. ad Olympiadorum Praefectum refert, ſe conſuluiſſe ei, ut crucis effigie, ac Vet. et Nov. Teſt. hiſtoriis, ornet Templum, ut qui *litteras neſciunt*, *neque Sacras litteras poſſunt legere*, *picturae contemplatione in memoriam revocent illorum praeclara facta*, *qui Deo ſervierunt*. Edita eſt haec ipiſtola inter Nili epiſtolas l. IV. ep. 61. Cujus rei apud alios nihil mihi occurrit. Imo Auguſtinus haud uno in loco imagines Chriſti et Apoſtolorum pictas inprobat. Sic de *conſenſu Euangel.* l. I. c. 10. eos errare dicit meruiſſe, qui Chriſtum et Apoſtolos, non in *ſanctis codicibus*, ſed in *pictis parietibus quaeſiverunt*. Vid. etiam de *Trinitate* l. VIII: 4. 5. et Serm. ad Pſ. CXIII. quo, contra Gentiles diſputans, omnia cujuſcunque cultus imaginum deſtruit fundamenta. Cujus ratiocinium Serm. 270. de *Tempore*, quo, quare Chriſtus ab oculis Apoſtolorum auferri debuerit, rationem dat, ut Spirituales fierent, contra imagines, earumque qualemcunque uſum, recte adhibetur. Interea ejuſmodi picturas jam ſatis frequentes fuiſſe hinc recte colligitur. Imo Ipſe Epiſt. 118. ad Januarium fatetur, ſe *multa hujuſmodi propter nonnullarum, vel ſanctarum, vel turbulentarum, perſonarum ſcandala devitanda, liberius inprobare auſum non fuiſſe*. Vid. et *ejus ex-*

poſitio

positio Epist. ad Galatas, §. 35. Quae doctorum timiditas et *συγκατάβασις* ac complacentia, multum per omnia secula adtulit damni, adfert per omnes societates Christianas etiamnum. Inter eos, qui Christi et sanctorum imaginibus se opposuerunt, est quoque Xenaias, alias Philoxenus, Episcopus Hierapolitanus, teste Theophane in Chron. ad a. 482. et Cedreno ex eo. Sed iis, qui in ipsa Templa introduxerunt picturas, adnumerandus est Paulinus Nolanus, ut ipse natal. IX et X. Felicis testatur. Eudocia vero, princeps foemina, ad Pulcheriam misisse refertur a Theodoro Lectore l. I. Hierosolyma imaginem Deiparae, a Luca pictam: qui, Christum raro et crispo capillitio rectius pingi, etiam tradit lib. I: 15. Ipse tamen imaginum religiosus cultus nusquam obtinuit, nisi apud inperitum et superstitiosum vulgus, ut diserte notavit et damnavit Augustinus de *moribus Ecclesiae* c. 34., ubi dicit, *novi multos*, scilicet inperitos, ut modo dixerat, *esse sepulchrorum et picturarum adoratores.* Aliud invalescentis apud plebem superstitiosae erga imagines devotionis documentum suppeditat Theodoretus, vel verus vel falsus, in hist. Religios. c. 26. in vita Simeonis Stylitae, ubi narrat, *Romae passim in officinarum propylaeis erectas fuisse sancti illius imagines, ut hanc sibi tutelam ac praesidium adjungerent.* Cui narrationi nescio num fidendum sit, maxime quia et autor est incertus, et ipse ex fama illud refert. Hisce addatur, statuas et imagines Inperatorum non sine scandalo fuisse hoc seculo adoratas quasi a populo, quare Theodosius Jun. expressa lege illud vetare debuit, in cod. Theodos. tit. V., ubi etiam dicitur, *excedens cultura hominum dignitatem superno Numini reservetur.* Quam nimiam venerationem, seu, ut lex citata habet, *adorationis ambitiosum fastigium*, Gentiles quoque objecerunt Christianis, et Doctores vel excusarunt, vel tolerarunt. Vid. Zachaei, scriptoris hujus seculi, et Apollonii Consultationes l. I. c. 20. in Spicilegio Dacheriano tom. II., ubi tamen de Apostolorum, aut Sanctorum, imaginibus

nihil adhuc occurrit. Huc etiam facit, quod Imperatores passim nimis, nec a superstitione liberis, ornati fuerint elogiis, et divinis quasi titulis. Adpellari utique solebant *sacratissimi et divinissimi*, eorum diplomata *sacrae*, *divinae litterae*, aula *sacrum palatium*, *domus divina*, ipsorumque *vestigia sacra;* mortui etiam οἱ ἐν ἁγίοις, ἐν ἀγγέλοις, *in sanctis*, *in angelis*, orbiculari quoque diademate, quo Dei gentilium fuerunt ornati, capita eorum in Nummis redimita: ne alia memorem.

§. XLVI. *Hymnorum* respectu, qui primam partem cultus religiosi constituebant, de quo nunc agere incipio, ante omnia notandum est, *trisagion* novam induisse formam, sed multorum simul motuum in Oriente praebuisse hoc et seq., seculo occasionem. Seculo superiore obtinuit quidem Trisagion, ut suo loco vidimus, quo nomine hymnus ille Seraphicus *sanctus*, *sanctus*, *sanctus Jehova Sebaoth* fuit insignitus, frustra renitente Meursio in Glossario, qui ἐπινίκιον ὕμνον putat fuisse adpellatum, a Trisagio distinctum, quippe quod discrimen recentiorum est temporum, non hujus, quantum constat, tradit quoque Amphilochius in vita Basilii M., eum in Templo Nicaeae *trisagium* pronunciasse carmen: sed hoc seculo hanc novam accepit formam, quae nomine *Trisagii* eximie venit, *sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus inmortalis*, *miserere nostri.* Incepit hoc trisagium tempore Theodosii Jun., et Procli, CPol. Praesulis, a. 446. et puero, in coelum rapto, traditur revelatum, quo tempore Byzantini cives ob gravem terrae motum supplicationibus solennibus defungebantur: uti refert J. Damascenus de *fide Orthod.* l. III. c. 10., et in epist. ad Jordanem Archimandritam, nec non Theophanes in Chronogr. Antiquius foret testimonium, si Litterae Felicis Papae, Acacii, et aliorum, ad Fullonem, in quibus illud reperitur, in collect. concil. Gener., genuinae forent: negat illud Valesius in diss. subjuncta Evagrio, et Le Quin in admonitione ad Epist. Damasceni citatam, sed Pagi ad Baron. a. 483. post

Cave

Cave Script. Eccleſ. in Felice, defendit. Meminit quoque divinae ejus originis Jobius Monachus ſec. VI. apud Photium in Biblioth. cod. 222. ſed, non puero, verum ipſi Proclo, hymnum ab Angelis eſſe revelatum, refert. Interea fabulam illam multis refutavit P. Allixius in tractatu de *Triſagio*, ubi, hymnum per multa ſecula fuiſſe in Occidente ignotum, quoque demonſtrat.

§. XLVII. Manſit vero hic hymnus, juſſu Theodoſii, per totum inperium, teſte Cedreno in Chron., uſitatus uſque ad Anaſtaſii Inperatoris, et Petri Fullonis, Epiſc. Antiocheni, tempora; quando, ſive Anaſtaſius, ut Evagr. H. III: 44. habet, ſive Petrus Fullo, ut Theodor. Lector I: 20. et J. Damaſcen. l. cit., ſive verius uterque ei inſeruit has voces, *qui crucifixus es pro nobis.* Quae cum Eutychianorum, ſeu Theopaſchitarum, errorem redolere viderentur, quia per hoc additamentum hymnus non, ut antea, ad Trinitatem, ſed ſolum Chriſtum, referri videbatur, et Deus pro nobis crucifixus indicabatur, graviſſima fuit CPoli orta ſeditio, acſi religio Chriſtiana funditus everteretur, ut narrat Evagrius l. cit. Quos motus ut compeſceret Calendio, Epiſc. CPol. poſtea factus, cum alii additamentum vellent ſervatum, alii ejectum, addidit has voces, *Chriſte Rex*, ut ſuperiora ad Trinitatem referantur, et additamentum ad Chriſtum, hoc modo: *ſanctus Deus*, *ſanctus fortis*, *ſanctus inmortalis*, *Chriſte Rex*, *qui paſſus es pro nobis.* Nec tamen in eo acquieverunt Catholici, qui verba adjecta inprobarunt. Vid. quae J. Damaſcenus epiſt. cit. hac de re diſputavit.

§. XLVIII. Obtinuit quoque mos canendi *Hallelujah*, voce illa iterum iterumque repetita, non tantum in privatis exercitiis, ut de *aratoribus* teſtatur Hieronym. ep. 18. ad Marcellam, de *Monachis*, qui hoc ſigno ad conventus Eccleſ. vocabantur, Id. ep. 27. in epitaphio Paulae, et de *remigibus*, ſe hoc ſigno excitantibus, teſte Sidonio Apoll. L. II. ep. 10., ubi vid. Savaro, ſed et certis temporibus in

Ecclesiae cultu publico, nec tamen ubique eodem modo. Omnibus temporibus, exceptis diebus jejunii, dici in Ecclesiis Hispanicis, tradit Isidor. Hispal. de Off. Eccles. I: 13. qui repetit morem ab Angelis, Apoc. XIX., in Africanis tantum *dominicis*, et 50 post pascha, adeo ut intermedio tempore a Paschate ad Pentecosten per 50 dies, caneretur Halleluiah per omnes Ecclesias, teste Augustino ep. 55. ad Januarium: qui ad Ps. CX. antiquam adpellat Ecclesiae traditionem. Singulare est, quod de Romano refert Ecclesia Sozomen. H. VII: 19., semel tantum in anno ibi cani, primo scilicet die Paschatis; unde juramenti formula fuit nata, *ita mihi alleluiah audire contingat:* quod Cassiodorus in historia *tripartita* confirmat: adeoque a Baronio male in dubium vocatur. Sub Damaso, suasu Hieronymi, morem Halleluia cantandi Romae incepisse, tradit Gregorius M. ep. l. VII., nisi illud de frequentiore usu quis intellectum velit.

§. XLIX. Hymnus, *Te Deum celebramus* etc. tribuitur quidem Ambrosio, cui, cum Augustinum baptizaret, divinitus fuisset inspiratus, in Chronico Dacii, Mediolanensis sec. sequentis Episcopi; sed est illud recentioris temporis, nec ullus Veterum ejus meminit; in aliis etiam Mss. adscribitur aliis. Conjicit vero Stillingflet. in Origin. Britannicis, autorem esse Nicetium Trevirensem a. 535., et mentio ejus haud diu post occurrit in Regula Benedicti et Caesarii Arelatensis; cui in antiqua hymnorum collectione apud Usserium de *symbolis* tribuitur. In duobus autem codicibus *breviarii monasterii montis Cassini* antiquis hymnus Sisebuto alicui monacho, tanquam autori, tribuitur, teste Quesnellio *in observationibus* ad illum codicem, insertis Theodori Cantuariensis capitulis, a Petito editis p. 328. Chronici autem verum autorem esse Landulfum, sec. XI., luculenter demonstravit Muratorius, in praefatione Chronici, inter *Scriptores Italiae.*

§. L. In reliquis cultus publici partibus, Lectione, Homiliis, Precibus, et Eucharistia, cum nihil peculiare, ali-

cujus

cujus momenti, hoc sec. fuerit introductum, cuncta in eodem manserint statu, nihil habeo, quod observem, praeter illud unum, symbolum Nicaenum, antea in baptismo usitatum, partem quoque Liturgiae hoc seculo fecisse, ac in quotidianis conventibus celebrari coepisse, in Ecclesia Graeca. Petrus Fullo, Episcopus Antiochiae, primus hunc usum traditur introduxisse, ut in singulis collectis recitaretur, Theodor. Lect. l. II. c. 48. a. 471., quod idem CPoli fecit Timotheus, Episc. CPol., ibid. Sed cum Theodorus paulo ante dixisset, Timotheum fuisse primum autorem, alius oportet sit additamenti ejus autor. Transiit haec consuetudo ex Oriente in Occidentem, primum in Hispaniam et Galliciam, rogatu Reccaredi Regis, per Synodum Toletanam III*tiam* a. 589. teste canone ejus *secundo*, ut contra Arianos munirentur Ecclesiae. Imitatae deinceps sunt quaedam Ecclesiae Gallicanae, sub Carolo M., Ecclesia vero Romana seculo IX. instituit symboli lectionem inter sacra, et sec. XI. ejus decantationem: uti observavit Martene de *antiquis Ecclesiae ritibus* l. cit. cap. IV. Vid. quoque de hac re Vossius de symbolis, et Mabillon. de Liturg. Gallicana l. I. Caelestinum instituisse, ut 150 Psalmi Davidici, ante sacrificium psallerentur antiphonatim, cum antea tantum recitabantur Epistolae Pauli Apostoli, et sanctum Euangelium, et sic missae fiebant, traditur in *Vitis* Pontificum Anastasii Bibliothecarii in *Caelestino*. Ceterum, ut illud obiter observem, quoad ritus sacros, legi meretur Augustinus epist. 55. ad Januarium, de ritu *lavandi pedes*, ad exemplum Domini, alibi usitato, alibi non, et a quo tempore: qui etiam ibid §. 35. utilissimam ponit, in ritibus sacris observandam, regulam, ne nimio prematur onere Ecclesia, quam Christus liberam voluit, eosque carpit, qui ritus pluris faciunt, quam praecepta moralia. De *thuris et incensi* usu dicam ad sec. sequens, et obiter adnoto, coepisse hoc seculo jurari per *corpus Christi* in eucharistia, teste Augustino epist. 151.

§. LI. De Baptismi ritibus, cum hoc seculum nihil peculiare suppeditet, omnia quoque huc pertinentia seculo superiore produxerim, ad Veterum opiniones de utroque sacramento, et vero conspectu, enarrandas pergo. Perstiterunt in eadem sententia de unione divinae naturae cum elementis Baptismi et Eucharistiae, salva eorum substantia, indeque orta virtute vivificandi, quae cum communicantibus, quoad animam et corpus, sese unit, qualis fere in carne Christi fuit, cum natura divina personaliter unita. Quae sententia ex nullo hujus seculi clarius, quam ex Cyrillo Alexandrino, elucescit, quippe qui eam ubique, in primis in Comment. ad Johann., explicuit et ursit. Panem et Vinum non dixit ipsam esse Christi carnem substantialiter, sed efficaciter, quatenus eandem habet vim vivificandi per unionem cum λόγῳ divina natura, qua pollet caro Christi; quae vis elementis indita corpus communicantis prorsus occupat, secum miscet, et sua replet efficacia, ac semen fit inmortalitatis in ejus corpore, qua ratione Christus in nobis est, non tantum secundum Spiritum in animo, sed et carnem in corpore. Vid. ad Joh. VI: 52. XV: 1. XVII: 20, 21. XIX: 23. et ubique. Sic et in Anathematismo XI*mo*, ejusque defensione contra Orientales, et contra Nestorium l. IV: 5. aliisque in locis pluribus. De Baptismo unico defungar loco ex comm. ad Joh. III: 6., cujus haec sunt verba. *Quemadmodum infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit; sic et sensibilis aqua, virtute spiritus, in divinam et ineffabilem quandam vim* μεταστοιχειοῦται *transelementatur, eosque, in quibus fuerit, sanctificat.* In quam eandem mentem se explicuit Proclus, CPol. Episcopus, in fragmento de *traditione divinae Liturgiae* apud Perron. de Eucharistia l. II., modo sit genuinum, *Per has preces*, haec ejus sunt verba, *exspectabant adventum Spiritus S., ut sacra sua praesentia panem propositum, et vinum aqua mixtum, efficeret ac redderet ipsum illud corpus ac sanguinem Christi.* Eodem modo mentem exposuit Nilus Monachus

epist.

epist. XLIV. lib. I., ubi inter alia dicit, *ante sacerdotis verba et Spiritus S. descensum, nudum esse* panem et vinum, *at, post tremendas illas invocationes, et adorandi, et vivifici, et boni Spiritus adventum, non esse amplius nudum panem et commune vinum, sed corpus et sanguinem pretiosum, et inmaculatum Christi, universorum Dei, ab omnibus sordibus eos mundantia, qui cum timore et desiderio multo illorum participes fiunt.* Est itaque, manetque, *panis*, sed non *nudus*, verum divinitate plenus, sicut Christi corpus. Vid. et l. III. ep. 39. ubi nos dicit in pane mystico sumere carnem et sanguinem *Dei verbi*. Notatu in primis digna sunt ejus verba in *sermone dogmatico de Trinitate* cap. V. fin. *manducamus ejus carnem, et bibimus ejus sanguinem, participes effecti adsumtionis humanitatis, ac vitae sensibilis verbi, et sapientiae: carnem quippe et sanguinem adpellat omnem suum mysticum adventum, et connotavit doctrinam, quae constat ex activa et naturali, ac Theologica vita, per quam nutritur anima.* Eandem fovit opinionem Theodoretus in Dialogis, ubi proprie dictae Transsubstantiationi aperte etiam contradicit, ex. gr. Dialog. I. dicit, Christum, adpellatione corporis et sanguinis, *non mutasse naturam panis et vini, sed gratiam naturae adjecisse.* Sic de baptismo quaest. XXVI. ad Genes. dicit, *adpellatur aqua salutis, non quod alia sit aqua, sed quia per baptismum gratia Dei operatur salutem.* Denique, ne plura congeram, Trinitatis ἐπικλήσει *advocatione* dicit, ad 1 Cor. VI, *sanctificari aquae naturam, et exhiberi peccatorum remissionem.* Spiritus divinus, inquit Isidorus Pelusiota l. I. ep. 109. et 313., facit *panem et vinum corpus et sanguinem Christi.* Illustre quoque est testimonium Ephremi Antiocheni, apud Phot. Bibl. cod. 229., ubi eodem fere modo, quo Chrysostomus, ut superiore seculo exposui, comparationem inter unionem divinae et humanae naturae in Christo, et divinae cum eucharistia et baptismo, instituit. Hesychius, presbyter Hierosol. ad Levit. l. II., qui panem substantialiter manere clare indicat, haec de eucharistia habet verba:

nisi Christus ipse, rogatus ore sacerdotum, venerit et coenam sanctificaverit, et initiaverit ea, quae aguntur, nullatenus sacrificium Dominicum fiunt: qui etiam ibid. in pane quid agnoscit, quod Angelis et nobis est inperceptibile. Addatur lib. VI., qui locus totus est legendus, ubi mentio etiam fit *sermonis, ab ipso Christo prolati super dominicum sacrificium, quo divinum quid et spirituale fit.* Idem in *sermone de temperantia et virtute, centur.* I. §. 100. eam animi adfectionem indui debere in usu eucharistiae dicit, *ut ignis divinus, nempe corpus domini nostri Christi, peccata nostra, et tam magnas, quam exiguas sordes absumat.* Denique Theologos Syros laudat Renaudotus de Liturgiis p. 89. dicentes, *descendere Filium Dei, unireque sibi elementa panis et vini, ut corpori in quo incarnatus est unitus fuit.* Quod in nostram de Veterum opinione sententiam recte quadrat: et male a Benedicto in *Antirrhetico altero* p. 49. praemisso tom. II. Oper. Syr. Ephraemi Syri, reprehenditur.

§. LII. Hieronymus, ut ex Latinis quaedam proferam, in epist. ad Evagrium, *ad preces Episcopi,* inquit, *conficitur corpus Christi:* quod generalius est; ad Tseph. III. dicit, quod paulo specialius est, *ad eucharistiam Domini inprecantur adventum sacerdotes.* De Spiritu S. cum baptismo conjuncto vid. *dialogus* Hieronymi Orthodoxi, et Luciferiani, ubi inter alia dicit, *neque enim aqua lavat animam, sed prius ipsa lavatur a spiritu, ut alios lavare spiritualiter possit. Spiritus, inquit Moses, Domini ferebatur super aquas,* etc. Gelasius quoque Cyzicenus in hist. actorum Nicaenorum l. II. c. 30., nomine Synodi, dicit, *aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam — — — per sacram invocationem, plenas sanctificatione spiritus et ignis divini aquas considera.* Vid. etiam Prosper Aquitan. in ep. ad *Demetriadem* virginem, et Caesarius Arelatensis hom. V. *de Paschate,* etc. Quo etiam facit, quod baptismo virtutem morbos sanandi adscripserint; ut exemplum docet apud Augustin. Civ. Dei l. XXII: 7. Quid? quod foetidus Judaeorum

odor

odor fuerit baptismo ablutus, ut credebatur. Vid. Fortunat. l. V. carm. 4. *Abluitur Judaeus odor baptismate divo.* Clarius Augustinus de Trinit. l. III. c. 4. *Corpus et sanguinem Christi adpellamus illud, quod ex fructibus terrae acceptum, et prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis dominicae passionis, quod — — — non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei* etc. Alibi Transubstantiationi haud obscure contradicit, uti serm. 134. ubi ait, *solet similitudo capere nomen ejus rei, cujus est similitudo*, uti pictus homo adpellatur homo, et clarius serm. 227. ac 272., sed quid plus, quam nudum signum esse, innuit de Trinit. l. cit. c. 10., sic et serm. 87. de *Diversis: non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi.* De baptismi natura, et efficacia, mentem clarius exposuit, quod recte ad eucharistiam applicatur, quia eadem utriusque sacramenti hac parte est, secundum Veteres, natura. *Sacramento divina virtus adsistit*, inquit de *Baptismo* l. III: 15. *sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium*: ut et l. IV: 3. Sic, baptismum habere vim regenerantem, innuit l. I: 13. sed effectum non habere ad salutem, *si in homine sit obstaculum*, ib. §. 18. Imo, si vel ipso baptismi tempore remittantur peccata, perire tamen eam remissionem redeuntibus peccatis, §. 19, 20. et III: 18. IV: 17, 30. et alibi: remitti vero omnia peccata praecedentia, statuit de *Civit. Dei* l. I: 27. ubi Vid. Vives et Coquius. Ex quo, quid de *necessitate* sacramentorum censuerit, facile patescit: esse scilicet ea ad salutem et remissionem peccatorum necessaria, excepto casu necessitatis, quo fides et conversio sufficit: de *baptismo* l. IV: 29, 32. quare baptismo adplicuit dictum Christi Joh. III. *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu* etc., et eucharistiae Joh. VI., *nisi manducaveritis carnem Filii Dei* etc. Quod dogma eousque extendit, quae et aliorum hujus et seq. sec. Veterum fuit cruda opinio, ut infantes, sine baptismo mortuos,

 aeternis

aeternis poenis cruciari dixerit: uti multis probavit Noriſius *Vindic. Auguſtin.* c. III. §. 5. Leo M., ut reliquorum de Euchariſtia effata verbo adtingam, epiſt. 23. inquit, *virtutem coeleſtis cibi accipientes in carnem ipſius, quia caro noſtra factus eſt, tranſimus.* Notabiliora ſunt Gelaſii Papae verba in tractatu de *duabus naturis* contra Neſtorium et Eutychen, quibus panis et vini elementa comparat cum unione duarum in Chriſto naturarum, et dicit, *panem et vinum in divinam tranſire naturam, permanente tamen in ſua proprietate natura,* quemadmodum res ſeſe cum duabus in Chriſto naturis habet.

§. LIII. Euchariſtiam, ut de *miſſa*, ſenſu Catholico-Romanorum, aliquid ſubjungam, nondum crediderunt hoc ſeculo verum eſſe ſacrificium expiatorium, ſed ſacrificii crucis repraeſentamen et commemorationem, uti egregie docet Auguſtinus contra Fauſtum l. XX. c. 21. *Hujus ſacrificii* (crucis) *caro et ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur; in paſſione Chriſti, per ipſam veritatem reddebatur; poſt adſcenſionem Chriſti per ſacramentum memoriae celebratur.* Fuit quoque *ſacrificium corporis Chriſti*, quo Eccleſia, tanquam corpus Chriſti myſticum, ſe ipſa obtulit, Auguſt. de *civit. Dei* l. X. c. 6. 20. Verum, ſicut in fide praeced. ſec. hac parte perſtiterunt, ita in hyperbolicis locutionibus, et opinione de effectis ſalutaribus euchariſtiae, perſeverarunt, adeo etiam, ut viam ad Miſſam, ſic dictam, magis magiſque muniverint. Graecis paſſim euchariſtia audit ἀναίμακτος, ζωοποιὸς, θυσία *incruentum et vivificum ſacrificium*, Cyrill. Alex. in declaratione anathematiſmi *undecimi*, et Iſidor. Hiſpal. l. III. ep. 75. imo τὸ περὶ ἁμαρτίας *pro peccato.* Cyrill. Alex. in *Glaphyris* Oper. tom. I. p. 351. Ex Latinis ſimilia produxit Petavius de Incarnat. l. XII. c. 14. Effecta quoque prorſus mirabilia ei adſcripſerunt, vivis non tantum ſed et mortuis eam prodeſſe ſtatuerunt ad remiſſionem peccatorum, nec non vim divinam ei ineſſe, ſeſeque in miraculoſis ſanationibus, ali-

iſque

iſque mirabilibus exſerentem: quarum ſat prolixum texuit catalogum Auguſtinus de Civit. Dei l. XXII: 8. Oblationes vero pro *defunctis*, alias miſſae pro mortuis dictae, fieri ſolebant in exſequiis eorum non tantum, ſed et aliis temporibus. De euchariſtia funebri notabilis exſtat locus Auguſtini, confeſſ. l. IX. c. 12. quo, in exſequiis matris Monicae, dicit, ſacrificium eſſe celebratum pro ea, *jam juxta ſepulchrum poſito cadavere.* Sic et Poſſidius in vita Auguſtini, idem eſſe in funeratione ejus factum, tradit. Nec ob commemorationem mortuorum, in ſignum communionis cum ipſis, illud tantum fuit peractum, ſed et *maximum animarum levamen*, ut Cyrillus Hieroſol. alibi loquitur. Sic et Ambroſius epiſt. 39. ad *Fauſtinum*, eum hortatur, *ne moeſtificet ſororem mortuam lacrymis, ſed potius oblationibus animam ejus Deo commendet.* Baſilius quoque Seleucienſis, in homilia de *Lazaro ſuſcitato*, conſolationem autumat adferri *mortuo etiam in peccatis, ſi pro eo eleemoſynae dentur, et ſacrificium altaris offeratur.* Sed expreſſe et diſtincte de eo diſſerit Auguſtinus in libello de *cura pro mortuis.* Plura hac de re dixi ad ſeculum ſuperius. Commemoratio mortuorum in Miſſa diu in Eccleſia duravit, donec ſec. XII*mo* forte in deſuetudinem venerit, ut ex Heriberto, Monacho Tornacenſe, obſervat Martene *ant. Eccleſ. rit.* l. I. part. I. c. 4. Ceterum haec commemoratio et repraeſentatio mortis Chriſti ſymbolica eo tetendiſſe videtur hoc tempore adhuc, ut vim et meritum precibus pro defunctis adderet, cum euchariſtia nondum conſpectum ſacrificii pro peccatis tulerit; ut modo notavi. Erant utique adhuc oblationes, quae mortuorum nomine fiebant, quas ipſi mortui per Eccleſiam facere cenſebantur, adeoque unde eandem percipiebant, ut putabatur, utilitatem, quam habent vivi, et habuiſſent, ſi vivi fuiſſent; cum ipſi fuerint exiſtimati facere, quod eorum nomine ab Eccleſia fiebat.

§. LIV. De *Locis* ſacris, ſeu Templis, cum nihil habeam, quod ſuperiore ſec. dictis addam, de *Aſylis*, quod ad

reverentiam Templorum pertinet, quaedam distinctius tradam. Interiores Templi partes videntur in principio hoc habuisse privilegium, sicut *ἄσυλος τράπεζα altare*, hac praerogativa praeditum, apud Synes. ep. 68. et alios occurrit. Sed limites refugii hoc tempore, per legem Theodosii Jun. superiore seculo citatam, in Cod. Theodos. l. IX. tit. 45. sunt hoc seculo ampliati, ita ut quicquid intra Ecclesiam, et exteriores muros, interjacebat, hoc honore fuerit donatum, adeoque ipsae etiam aedes Episcopi, et Clericorum, areae, balnea, in primis baptisteria, quorum mentionem facit Evagrius H. II: 8. Ceterum non eo spectabat hoc privilegium, ut maleficis, in fraudem legum, praeberetur patrocinium, sed oppressis quid refugii esset, et tempus in reorum causa inquirendi, ac pro iis intercedendi, quod Episcopi facere solebant, concederetur: adeoque hac praerogativa minime gaudebant publici debitores, qui publicos defraudarant reditus, ne quidem privati Judaei, qui, in fraudem creditorum, fide Christiana simulata, ad Ecclesiam confugiebant, licet, hoc casu excepto, cum reliquis hoc asylum ipsis pateret, quo soli haeretici et apostatae, pejores Judaeis, pro antiquo illo zelo, habiti, destituti erant, quippe lege Theodosii et Valentiniani *ab omni consortio segregati*, in Cod. Theodos. l. XV. tit. de *Apostatis*. Sed nec servi sese Dominis suis per hoc privilegium subtrahere, nec denique graviorum criminum rei eo se defendere poterant, ut homicidae, adulteri, violatores virginum, et similes. Opposuit sese quidem huic privilegio Eutropius, et legem ab Arcadio inpetravit, qua abolita sunt asyla, quae in Cod. Theodos. superest, sed contra quam Patres, ut Chrysostomus homil. in Eutropium, vehementer declamarunt, quaeque deinceps est abolita. Socrat. H. l. VI. c. 5. et Sozomen. H. VIII: 7. Docuit tamen experientia, summum privilegii abusum suo tempore in Ecclesiam irrepsisse, ut ex legibus Canonicis Gratiani, et Paparum Decretalibus, patet.

§. LV.

§. LV. *Festorum* respectu parum novi seculum suppeditat, nulla nova quoque instituta sunt festa, nisi unum alterumve in Oriente, uti *Palmarum*, in memoriam gloriosi introitus Christi Hierosolymam, quo jejunium quadragesimale est interceptum, et a quo ultima hebdomadis austerum fuit distinctum jejunium: quod in fine seculi incepit; uti Asseman. in praefat. tom. III. Oper. Ephraemi Syr. observavit. Praeterea in usu esse coeperunt festa *Sanctorum* nonnullorum, jam ante hoc seculum in Oriente, licet non fuerint Martyres; uti de Palaestinis tradit Sozomen. H. III: 14. Dormitionem Antonii ab Hilarione esse celebratam refert Hieronymus in vita Hilarionis. Sed in Occidente mos iste serius invaluit. Vid. Bona rer. lit. l. X, c. 15.

§. LVI. De *Jejuniis* quoque paucis absolvere potero. Mentio jam hoc seculo fit *quatuor temporum*, quae quatuor statis anni temporibus fiebant: 1. *vernum* Mens. Mart., quod idem ac quadragesimale. 2. *aestivum* Mens. Jun., alias jejunium Pentecostes dictum. 3. *autumnale* Mens. Septembr. 4. *hyemale* Mens. Decembr., alias jejunium natalis vel adventus Domini. Vid. Leo M. in sermonibus *septimi et decimi* Mensis, et Philastrius in Bibl. Patrum. Quae jejunia non causa ordinationum Clericorum sunt instituta, cum postea demum invaluerit, ut ordinationes in iis factae sint; uti tempore Gelasii Papae, qui ejus rei in Epist. 9. ad Episcopos Lucaniae meminit, sed ut Deo pro ea anni parte grates agerentur, et precibus ac jejuniis nova pars pie ac decenter inciperet. Vid. Leo M. l. cit. Tantum tradit Isidorus Hispal. de *Officiis Eccles.* l. I. c. 40. jejunium Calendarum Januarii originem debere superstitiosis ac turpibus Gentilium ritibus, quibus ille dies celebrabatur; quibus hoc jejunium fuit oppositum, ut Ecclesia tunc lugeret.

§. LVII. *Litaniae*, et Rogationes, seu solennes supplicationes, quibus populus ad unamquamque petitionem respon-

debat κύριε ἐλέησον *Domine miserere*, χριστὲ ἐλέησον *Christe miserere*, qua formula priore Graeci utebantur, Latini utraque, alternatim repetita, increbuerunt non tantum hoc seculo, sed et cum *processionibus* conjunctae sunt, et certo tempori adligatae, festo aliquo Rogationum instituto. Fuerunt quidem Litaniae, seu solennes preces ac supplicationes, seculo superiore in usu, ut supra suo loco retuli, sed magis vagae, tepentes et infrequentes. Mamercus vero earum solennitatem invenit et fixit; teste Sidonio Apollin. l. V. ep. 14. Mamercus scilicet, Episcopus Viennensis in Gallia, quo tempore civitas illa multis terrebatur prodigiis, triduanum indixit jejunium, proxime ante festum Adscensionis, quod maxima frequentia per litanias et processiones est celebratum; uti refert Gregor. Turonens l. II. c. 34. et Avitus Viennensis in homilia de Rogationibus. Quare Sidonius Apollin. l. VII. ep. 1. ad Mamercum, ubi ejus rei meminit, eum *autorem Rogationum* adpellat. Sicut ep. modo citata dicit: *quarum nobis*, scilicet rogationum, *solennitatem primus Mamercus Pater et Pontifex*, *reverendissimo exemplo*, *utilissimo experimento*, *invenit*, *instituit*, *invexit*. Quod exemplum multae Ecclesiae imitatae sunt, quae ab hoc potissimum tempore hosce ipsos rogationum dies ante adscensionem Domini, et Litanias, maxima solennitate celebrare instituerunt. Vid. Avitus l. cit., Eucherius de Litaniis, et Caesarius Arelatensis hom. in adpendice Oper August. tom. V., qui addit, *illos dies regulariter in toto mundo celebrari ab Ecclesia.* Quod idem adfirmat Gregor. Turon. l. cit., sed paulo restrictius Avitus l. c. pene per orbem. Deinde decreto Synodi Aurelianensis I. sec. VI. illud stabilitum est, ut ex canone ejus 12*mo* patet. Romae tamen litaniae rogationum demum institutae sunt a Leone III., teste Anastasio, et Orderico Vitali, Hist. Eccles. l. II. In Hispania quoque tempore Isidori Hispalensis forte non obtinuerunt, quia earum nulla apud Ipsum in libris de *Devinis Officiis* fit mentio. Quod plane novum, et a vetere

disciplina

disciplina alienum est institutum, quia a Paschate ad Pentecosten, toto illo tempore, illicita erant jejunia.

§. LVIII. Ceterum *Processiones* erant supplicationes, quas, instructo agmine procedentes, faciebant in aprico campo. Cujus consuetudinis exempla superiore seculo jam occurrunt, ut ex Palladio vit. Chrysost. c. 15. liquet, sed hoc tempore maxime invaluit, eoque spectavit, ut misericordiam Dei solenniter inplorarent, ad quaevis mala averruncanda, et bona inpetranda. Eucher. de Litaniis, et Gregor. M. ad calcem homiliarum in Euangel. Oper. tom. I. Verbum vero *procedere* generatim significat domo exire, et ad aliquid agendum progredi; unde apud Ecclesiasticos, jam antea, ut Tertull. ad Uxorem l. II. c. 4., adhibitum est, pro *adire* Ecclesiam sacrorum causa, in specie ad missam. Quae processio vel simplex erat, sine comitatu solenni, vel solennis in comitatu Episcopi et Cleri: solebat enim populus et Clerus Episcopum, ad Ecclesiam euntem, comitari. Unde postea processiones extra Ecclesiam, sed superstitiosae, sunt ortae. Vid. de vocis usu Brissonius *de Verborum significat.* et Bona rer. Lit. l. II. c. 32. Notari adhuc meretur, nullum in processionibus locum habuisse reliquiarum usum, nullam eucharistiae ad adorandum expositionem, nullas preces ad sanctos, aut Angelos: tantum *crux* praeferebatur. Sic in novella Justiniani 123. vetatur, processiones a populo fieri sine Episcopo, et cruces honorandae, quibuscum ingrediebantur, jubentur in venerabilibus locis reponi. Quod ipsum in nocturnis precationibus, a Chrysostomo, ut se Arianis opponeret, institutis, jam obtinuisse, ex Socrat. VI: 8. et Sozomen. H. VIII: 8. elucescit, ubi memorantur cruces argenteae, cum cereis, quae anteibant. Erant itaque hae processiones haud absimiles illis, quae in exsequiis fiebant, quando funus inter hymnos ducebant. Adcessit postea, quod discalceati, nudis pedibus, cinere et cilicio induti, poenitentiae testificandae ergo, incesserint Clerici et Laici, ut Canon 33. Concilii Moguntini a. 813. praecepit.

REGIMEN.

§. LIX. Cum de *jure plebis* nihil habeam, quod observem, ad Presbyteros et Episcopos, qui clerum majorem constituunt, mox pergo. *Presbyterorum* respectu duo suppeditat hoc seculum observata, *unum*, eorum dignitatem in Ecclesia Africana crevisse, ipsis potestate in Ecclesia, praesente Episcopo, concionandi concessa, cujus primum est in Augustino presbytero exemplum, ut in ejus vita narravi; sed in Romana eam fuisse paulisper imminutam per decretum Gelasii Papae, in tom. IV. Concilior., quo presbytero vetatur, praesente Episcopo, vel orare, vel sedere, vel abstinere facinorosos, vel tractare mysteria, nisi expresse jusserit Episcopus. *Alterum* est, mentionem jam fieri *Archi-presbyterorum*, qui primi erant presbyterorum, et proxime post Episcopum praeerant Ecclesiis, iisque absentibus omnia curabant. Erat autem in singulis Ecclesiis unus tantum, quem Episcopus pro arbitrio eligebat. Primus eorum meminit Hieronymus in Epist. 4. ad Rusticum; postea Socrat. H. VI: 8. Petrum memoravit Alexandrinae Ecclesiae proto-presbyterum, et Liberatus in *breviario* Proterium Archi-presbyterum. Ceterum cum presbyteris Cardinalibus non sunt confundendi, quippe qui ante Gregorium M. non fuerunt, nec unus, sed plures, in singulis Ecclesiis. De quo postea.

§. LX. De Episcopis, Metropolitanis, et Patriarchis, quae superiore sec. dixi, et huic sufficiunt: quare, quod ibi promisi, de nominibus parochiarum, dioecesium etc., ac Romani Episcopi territorio et potestate, quaedam distinctius tantum proferam. Prima Ecclesiarum divisio, respectu unius Episcopi ditionis, est in Dioecesanam, et Parochialem, sed nominibus illis non secundum antiquam, verum recentiorem, significationem sumtis. Tribus enim prioribus seculis voces παροικία *paroecesis* et διοίκησις *dioecesis* ejusdem fuere usus, et Ecclesiam civitatis, cum subjectis oppidis ac villis,

villis, seu ditionem Episcopi, significarunt. Quo sensu *paroecia* Romana, Alexandrina, et Antiochena, apud Euseb. in hist. Eccles., saepe pro tota Episcoporum illorum ditione, seu dioecesi, occurrit. Uti et in Epistola Alexandri apud Socrat. H. I: 6. Epiphanii ad Johannem Hierosol., et can. IX. Antiocheno, etc., adeo ut sec. IV*to* ille παροικίας *paroeciae* sensus nondum obsoleverit. Quo seculo idem significasse διοίκησιν *dioecesin*, scilicet Ecclesiam Episcopalem cum subordinatis Ecclesiis, sive ruri, sive in civitate, ex multis locis codicis Africani, et Collationis Carthaginensis, manifestum est: quem ipsum habet usum in Epist. Synodi Arelatensis ad Episcopum Romanum in initiis sec. IV., in qua is *majores* dicitur tenere *dioeceses* h. e. episcopatus. Subjectos vero pagos et villas, et non tantum loca civitatis contigua, signavit nomen προάστειον *suburbium*; sic ex. gr. Canopus vocatur *suburbium* Alexandriae in actis Chalcedon., et Daphne Suburbium Antiochiae apud Sozom. H. V: 19. Sed sec. IV. et deinceps vox παροικία *paroecesis* strictiorem nacta est significatum, quo Ecclesiae rurales, et Episcopali subjectae, designantur. Sic canon 17. Chalcedon. ἀγροικικὰς παροικίας *rurales* memorat *paroecias*, et occurrit apud Theodoret. ep. 113. Sulpic. Sever. dialog. I., et alibi, licet alter usus subinde quoque adhuc obtinuerit. Ceterum Ecclesiae parochiales, voce stricte accepta, adpellatae quoque sunt *tituli*, vel quod Ecclesiae essent, quae proprios suos habebant presbyteros, et diaconos, quae propterea titulum, et titulum beneficii curialis, habere dicebantur, eamque denominationem conferebant presbyteris; vel quod *titulo*, ex. gr. Martyris, crucis, aut alio signo, munitae fuerint, ut ab aliis distingui possent, more a Romanis tracto, qui sepulcris et monumentis inscripserunt titulos, ut et praediis titulos et nomina sua praefixerunt, ut de dominio constaret. Unde postea Ecclesiae *titulatae* sunt natae, et adpellatio illa ad bona Ecclesiastica est extensa, Ecclesiae, vel officio, destinata, quae quis suo jure, virtute officii, habe-

bat. Vid. Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. V., et de titulis quoque J. Fronto ad calcem Philastrii Fabricii. Ecclesiae itaque distinctio in *dioecesanam et parochialem* est in Ecclesiam Episcopi, et Ecclesias inde dependentes, tum in ipsa civitate, tum oppidis civitati subjectis. Adpellata quoque est Ecclesia Patriarchalis *μεγάλη Magna*, ut et *ἡ καθόλου* Catholica, Vid. Valesius ad Theodor. Lector. l. I. c. 13.

§. LXI. Origo Ecclesiarum parochialium non est longe arcessenda. Cum enim credentes aliqua in urbe multiplicarentur, ita ut in una aede conventus non possent agere, adeoque eucharistia, singulis dominicis celebrari solita, ab omnibus in una Ecclesia participari non posset, aliae debuerunt erigi Ecclesiae, in quibus id fieret. Quae ipsa ratio *rurales* produxit parochias, cum ibi esse incipiebant Christiani. Unde, pro diversa Ecclesiae propagatione, citius vel tardius conditae sunt tales parochiales; nec non pro varia ditionis civitatis extensione, urbisque amplitudine, plures paucioresve erant parochiae, quarum aliae in urbe, aliae extra eam in ejus territorio, erant, omnes ab Ecclesia Cathedrali, seu Episcopali, dependentes. Sed inter parochias intra et extra urbem Episcopalem haec erat differentia, quod hae proprios habuerint presbyteros et diaconos, illae vero nonnunquam a presbyteris urbis in commune per vices fuerint administratae: quare Alexandrinum morem, quo singulis Ecclesiis suus erat praepositus presbyter, tanquam peculiarem et extraordinarium, notavit Epiphanius haeres. 69. Vid. etiam Valesius ad Sozomen. H. I: 15. Distinctio vero inter presbyteros rusticanos et urbicos exstat in Concilio Neo-caesareense can. 13*tio*. Ceterum, quod obiter observo, Ecclesiae parochiales aliquatenus respondent *Curiis* Gentilium, seu Romanorum, in quas divisus fuit populus Romanus, quae singulae habuerunt Sacrorum ministrum, *Curionem* dictum, unde parochi Gallis adpellantur *Curez*, et parochiae *Curiae*. Vid. quoque Boehmer. de *Origine parochiarum*.

§. LXII. Reliquae divisiones ab Episcoporum subordinatione dependent, secundum quam alii fuerunt Episcopi, alii Metropolitae, alii Patriarchae, de quibus hic parum habeo, quod observem. Nomen *Patriarchae* jam usu fuisse receptum, ex actis Chalcedonensibus satis patescit, in quibus *sanctissimorum* cujusque 'dioecesios Patriarcharum fit mentio, et in specie Leonis Patriarchae. Potestas quoque Patriarchalis in tribus Synodis Oecumenicis fuit distincte definita, ut CPol. can. 2*do*, Ephesina a. 431. act. 7*ma*, et Chalcedon. act. 1*ma*, ubi epist. Theodosii Jun. recensetur, qua ad Synodum Ephesinam a. 449. evocatur Patriarcha Alexandrinus, secum sumtis decem Metropolitis, sub ejus dioecesi. Fuit quoque jam in usu, utique in Ecclesia Romana, unctio materialis in ordinatione Episcopali; ut observavit Quesnellius ad Leon. M. serm. II. Cum vero prae reliquis Patriarchis eminere coeperint CPolitanus et Romanus; de illis speciatim quaedam sunt dicenda. CPolitanus Thraciam tantum sibi in initio habuit subjectam, uti can. 2*dus* CPol. concilii I. decrevit: deinde patriarchalem exercuit potestatem in dioecesi Pontica et Asiatica, tanquam Patriarcha Patriarcharum Caesareensis et Ephesini. Quod primum consuetudo introduxit, dein can. 28*vus* Chalcedonensis sanxit: quo etiam canones 9. et 17. ejus Synodi pertinent, qui CPol. Episcopo adpellationes recipere permittunt ab Exarchis dioecesium Ponti et Asiae. Sed Chrysostomus istam in eas dioeceses jam ante illud concilium exercuit, ut ex Theodoret. H. V: 28. constat. Tempore vero Attici CPol. ab a. 406. ad 425. Theodosius expressa voluit constitutione, ut quaestiones de canonibus Ecclesiast. etc. in Illyrico Orientali non deciderentur a Synodo Dioecesios, nisi consulto antea Patriarcha CPol. Vid. Cod. Theodos. l. XVI. tit. II. lege 45. et ibi Gothofr.

§. LXIII. De Romano Episcopo gravior, eaque duplex, est quaestio, *una* de Patriarchali ejus territorio, *altera* de universali in omnes totius orbis Ecclesias, secundum mul-

torum Pontificiorum sententiam. Episcopus Romanus, Romam cum subjectis locis, usque ad centesimum lapidem, gubernavit qua *Episcopus*, Provinciam Romanam, quae octo vel decem continet provincias civiles, vicario urbis obnoxias, qua *Metropolita*, totam Italiam qua *Exarchus*, totum Occidentem qua *Patriarcha*, denique universum orbem Christianum, qua *Oecumenicus* Patriarcha. Sed ex mea opinione dioecesis Romani Episcopi ultra decem provincias, Vicario urbis subjectas, non fuit porrecta, nec alias agnosco in Romano Episcopo dignitates, quam Episcopi urbis, Metropolitae provinciae, et Patriarchae, seu Exarchi, dioeceseos, modo definitae. Quae sententia sequentibus innixa est rationibus. 1. Ruffinus, cui, quippe Italo, et Aquilejensi presbytero, ejus ignota censeri nequit jurisdictio, Hist. Eccles. l. I. c. 10., summam canonis 6ti Nicaeni enarrans, dicit, statutum esse, ut Alexandrinus AEgypti, Romanus *suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat*. Cui aliquatenus respondet pervetustus codex Vaticanus, qui can. VItum Nicaenum ita legit: *ut episcopus urbis Romae habeat principatum, ut suburbicaria loca, et omnem provinciam suam solicitudine gubernet*. Quae phrasis ulterius, quam ad ditionem Vicarii urbis, seu decem provincias, extendi nequit; cum nusquam non tantum Occidens, sed nec Italia tota, eo nomine veniat. Dubium tantum esse potest, num *suburbicarii* vox ad *Praefecti*, an *Vicarii* urbis, ditionem pertineat. Praefecti urbis territorium sese ad centesimum lapidem extra Romam extendit, et has quatuor comprehendit regiones. 1. Campaniam Latinam, seu Latium inde suburbicarium dictum, 2. Tusciam suburbicariam, ab annonaria distinctam. 3. Picenum suburbicarium, itidem ab annonario diversum, et 4. Valeriam. Sed Vicarii urbis ditio sese multo latius porrexit, et has decem, ex Constantini M. divisione, complectitur provincias. 1. Campaniam, 2. Tusciam et Umbriam. 3. Picenum suburbicarium 4. Valeriam 5. Samnium 6. Apuliam, et Calabriam 7. Lucaniam et Bruttios 8. Siciliam,

um. 9. Sardiniam, et 10. Corsicam. Priorem sententiam
agni viri tuentur, Gothofredus, Salmasius, Caveus, et
ii; posteriorem vero ex Catholico-Romanis Sirmondus et
Valesius, qui tamen inter Ecclesias et Regiones suburbica-
as distinguunt, et illas ad totum extendunt Occidentem,
x Reformatis Blondellus Diss. ad can. VItum Nicaenum,
iserta libris de *Primatu Ecclesiae*, qui Romano Episcopo,
ua Metropolitae, tribuit ditionem Praefecti urbis, et qua
atriarchae eam Vicarii urbis, sed rectius priorem ditionem
psi, qua Episcopo, posteriorem qua Metropolitae et Pa-
iarchae, dari existimaverim, cum ditio ejus semper fuerit
adem, et diversi tantum tituli ipsi dati sint: plane quem-
dmodum Alexandrino contigit, qui qua Metropolita ean-
em habuit ditionis extensionem, quam qua Patriarcha.
Est vero hoc nomen recentius, et, cum in provincias est
ivisum Inperium Romanum, iisque dati sunt Metropoli-
ae, is, qui plures regebat provincias, dictus est hoc se-
ulo vel Patriarcha, vel Exarchus, quae nomina hoc sec.
idem recidunt, qui antea Metropolita fuerat adpellatus.
e quo quicquid sit, canon Nicaenus VItus neutiquam per-
ttit, sicut superiore sec. demonstravi, ut tam arctis limi-
us circumscribatur Episcopi Romani potestas, ut sese
a centesimum lapidem non extendat, nec ab altera par-
ultra decem memoratas provincias, cum propter nomen
rbicarii, tum alias rationes, prorogari potest. Quare
ius statuitur, ejus, qua Metropolitae seu Patriarchae,
statem terminis Vicarii urbis fuisse conclusam. Sicut
m Suburbicaria loca dicta sunt, quae Praefecto urbis
ant, ita, Vicario urbis introducto, eodem nomine
ari potuerunt regiones Ipsi subjectae.

LXIV. 2. Jura Patriarchatus in Ecclesias Italiae, cu-
atriarcha erat Antistes Mediolanensis, qui septem pro-
s., ad Vicarium Italiae pertinentes, gubernabat, nec
alliarum, Hispaniae, et Africae, etsi saepe ambierint
, obtinere non potuerunt, nisi contra eorum volunta-

tem,

tem, et post multas contestationes, partim hoc seculo, partim sequentibus. Mediolanensis et Aquilejensis se invicem adhuc sec. VI. ordinarunt, Paparum nulla habita ratione, uti ipse Pelagius fatetur epist. 17*ma* in tomis Conciliorum; nec nisi post ejus tempora Papae sibi illud adrogarunt, ut Gregor. M. in aliqua Epist. indicat. Vid. P. Marca Concord. Sacerdot. et Inper. l. VI. c. 4. Gallicanae Ecclesiae suos quoque ipsae ordinarunt Metropolitas, ut can. VII*mus* Aurelianens. II. a. 533. demonstrat, nec nisi sero admodum adpellationes ad Papas admiserunt, ut probavit Baluzius praefat. ad librum Anton. Augustini de *emendatione Gratiani*. Africanae Ecclesiae in hoc suo jure defendendo, et ambitione Paparum repellenda, strenue admodum egerunt. Adpellationes ad Episcopum Romanum sine ulla exceptione prohibuit, sub gravi censura, concilium Milevitanum. II. can. 22*do*: quod patres Africani in epist. Synod. ad Caelestinum Papam acriter tuentur. Vid. cod. African. c. 135. etc. Primas quoque Carthagin. semper pro Independente ab exteris Ecclesiis habitus est, teste novella 131. Justiniani. Quod idem de Britannicis Ecclesiis ex iis, quae sec. seq. proferam, constabit.

§. LXV. 3. Orientales denique Ecclesiae universalitatem Episcopatus Romani nunquam admiserunt, et jura sua contra Papas strenue sunt tuiti. α. Egregius plane hanc in rem est canon 28*vus* Chalcedon. concilii Oecumenici, cum quod throni Romani dignitatem non ab aliqua autoritate divina, sed sola urbis excellentia repetat, tum sedem CPolitanam ei hac parte prorsus aequet, tum denique utrique sedi *τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς*, et non *τῆς ἐξουσίας* *honoris* et non *potestatis* praerogativas prae reliquis sedibus Patriarchalibus adsignet: ut ad eum can. recte notavit Beveregius. Episcopos CPol. et Roman. tanquam geminos Apostolorum principes esse, dicit Avitus epist. 7. ad Symmachum. β. Idem ejusdem concilii canones 9. et 17. confirmant. Conceditur enim sedi CPol. major in Oriente praerogativa, quam ab ullo concilio

ſque acceperat Romana. Permittitur utique, ſi
i Provinciae Metropolitano negotium habeat, ut
chum dioeceſios, vel thronum CPol., adeat; quo
ellationes ad Epiſcopum CPol. prima conceduntur
Quos canones a contortis Nicolai Papae inter-
ibus praeclare vindicavit Beveregius. Qui cano-
m alieni fuerint Orientales ab univerſali Paparum
u, clare demonſtrant. De quo continuae duarum
dium de πρωτοκαθεδρία concertationes, quarum ali-
nſpectum dedit Cave hiſt. Litt. ſec. IV., quoque
. Denique γ. totum non tantum concilium illud,
Papae Leonis legatis, et uno alterove alio, Papis
in id conſenſit, ſed et ſua autoritate illud confir-
nperatores: uti Leo leg. 16ta cod. de *ſacro ſanc-
tis*, Marcianus in edicto, in actis Chalcedon., et
eodoſius quoque eaſdem in Oriente praerogativas
riarchae CPol., quas in Occidente habebat Roma-
l. Cod. Theodoſ. l. XVI. tit. II. leg. 45. δ. Quo
endit modus controverſias, inter Epiſcopos ortas,
i; in ſingulis ſcilicet provinciis per Metropolita-
in per Patriarcham, unde nulla erat provocatio;
ovellis Juſtiniani 123, 137. conſtat: quae conſtitu-
. a Photio in Nomo-can. tit. 9. refertur. Unde
et, praerogativam, ſedi CPol. a concilio Chalce-
us modo memini, conceſſam, vel non eſſe poſtea
m, vel reſtricte intelligendam, nec ad omnes Ori-
leſias extendendam. Ad dioeceſes Ponti et Aſiae
Dupinius diſcipl. Eccleſ. diſſert. II.

VI. 4. Concertationes de poteſtate adpellationum
. Romanam inter Papas et Africanos, Gallos ac
s, Papas hoc jus ſibi jam adrogare coepiſſe, quod
i fecerant, evincunt quidem, ſed ſimul, reliquas
illud non agnoviſſe, et acriter repuliſſe. De
meretur M. Ant. Capellus, Franciſcanus, in diſ-
ſa cum notis a Pfaffio introduct. ad hiſt. Theo-

log. p. III. et Dupinius discipl. Eccles. diss. II. Ad Innocentium Papam cum provocasset Celestius, Pelagianus, a. 412., Africani, qui eum condemnaverant, id flocci fecerunt, nec constat admissam fuisse a Papa adpellationem: cum vero Zozimus, ejus successor, recepisset, Africani se opposuerunt, et Papam, rectius instructum, ab eo proposito avocarunt. Sed gravior dein exorta est contentio, causa Apiarii presbyteri, ab Urbano, Siccensi Episcopo, depositi, et ad Zozimum adpellantis, ac ab ipso recepti. Zozimus, ejusque successores Bonifacius et Caelestinus, hanc sibi competere potestatem acriter quidem contenderunt, sed Africani non minus animose repugnarunt. Quae historia prolixior est, quam ut hic enarretur. Habita Synodo Africana universali a. 419., scripta est inde Epistola ad Bonifacium, quam supra memoravi, qua Africani jus suum tuentur. Notatu dignum est, legatos Papae isto in concilio, ut Paparum jus defendant, provocasse, non ad jus divinum, aut antiquam superiorum temporum consuetudinem, sed unice ad concilium Nicaenum, acsi illud adpellationes ad sedem Romanam concessisset, et Sardicense cum Nicaeno confudisset: Sardicensis enim canon, cujus supra suo loco sec. IV. mentionem feci, ab ipsis productus est. Regesserunt Africani, se tale quid in Actis Nicaenis non habere, attamen inquisituros, num in genuinis ejus actis exstet. Qua durante inquisitione, cum de fraude nondum constitisset, benignius quidem tulerunt adpellationes, licet non probarint, quo Augustini epist. 209. ad Caelestinum de Antonio Fussalensi, ab ipso deposito, et ad Papam adpellante, spectat, si genuina sit, quod non putem. Vid. Du Pin differt. histor. et de scriptoribus Eccles. Cum autem fraudem postea detexissent, et Sardicensem Canonem Nicaeno esse substitutum deprehendissent, fortius sese, occasione secundae Apiarii depositionis, et repetitae adpellationis, ambitioni Paparum opposuerunt.

§. LXVII. Iisdem concertationibus cum Ecclesiis Gallicanis

nis exortis, Praesules Gallicani Paparum ambitionem quoque retuderunt. De quo legendus est Quesnellius Diss. V. apologetica pro Hilario, ad calcem operum Leonis. Zozimus causam Proculi Massiliensis ad se quidem trahere, eumque de sede deturbare, conatus est, sed operam lusit, renitente Patroclo Arelatense. Acrior fuit inter Hilarium Arelatensem et Leonem Papam contentio, causa Celidonii, Viennensis provinciae Episcopi, qui ab Hilario depositus ad Leonem confugerat, quae in honorem sedis Romanae finita est. Leo enim Celidonium ad communionem admisit, Hilarium jure Metropolitico privavit, et a Valentiniano inpetravit edictum, ad illud executioni mandandum, Hilario tamen constanter renitente: ut ex ejus vita, ab Honorato Massiliensi, ut videtur, scripta, constat. A quo tempore autoritas Papalis haud parum crevit, maxime per Valentiniani edictum a. 441. in quo ea mire extollitur. Declarat enim inter alia Inperator, Pontificis sententiam *etiam sine inperiali sanctione per Gallias valere debere, et tanti Pontificis autoritati nihil non licere in Ecclesia:* interea non divino, sed Ecclesiastico, jure superstruuntur Papae data privilegia. Exstat in Novellis constitut. Theodosii. tit. 24. de *Episcopi ordinationibus*, ad calcem totius Cod. Theodos. In Illyricum vero potestatem sibi in primis adrogarunt Papae, sed renitentibus Episcopis, a CPolitano adjutis: unde longa est inter sedes Romanam et CPol. orta contentio, ad cujus dioecesin pertineat Illyricum. Theodosius vero a. 413. lege data Illyricum *secundum pristinos canones Ecclesiasticos regi praecepit, si quid dubietatis emerserit, adeundum voluit CP. antistitem.* Prostat lex in cod. Theodos. *de S. Ecclesiis*: et renovata est a Justiniano novell. 11. et 131. Quam tamen effectu caruisse disputat P. Marca concord. Sac. et inper. l. IV. et ibi Baluzius, qui Photii expositionem, quae legem illam Theodosii nimis extendit, refutat.

§. LXVIII. Crevit praeterea in Galliis, et Illyrico, potestas Papalis per *Vicarios*, illis in regionibus a Papis consti-

tutos, qui communicationis Eccleſiarum, cum Epiſcopo Romano, tanquam nimium remoto, exercendae ergo quidem in initio ſunt introducti, ſed jura et poteſtatem Paparum brevi poſt promoverunt. Qualis hoc ſeculo fuit Rufus Theſſalonic., primus hoc vicarii titulo ornatus a. 421., et poſtea Anaſtaſius Theſſalonicenſis. Sed antea tales ibi per Illyricum Orientale Acholius et Anyſius a Damaſo et Siricio Papis conſtituti fuerunt: quod Tillemontius in Damaſo *innovationis nomine* reprehendit, propterea a noviſſimo Operum Damaſi editore, in praemiſſa diſſertat. de *geſtis Damaſi*, injuria perſtrictus, cum falſo fundamento univerſalitatis Epiſcopatus Romani id faciat. In Galliis vero potiſſimum tales habuerunt Vicarios, ut Patroclum Arelatenſem, et alios, quibus poteſtatem dederunt concedendi *litteras formatas*, concilia dioeceſana convocandi, de cauſis Epiſcoporum cognoſcendi, et eas ad ſedem Romanam evocandi. Vid. Blondellus diſſert. de *Vicariis Galliarum*, inſerta libris de *Primatu Eccleſiae.* Sunt, qui putant, vicariatum ad ipſam ſedem Alexandrinam extendiſſe Papas, quia Caeleſtinus in Epiſt. ad Clerum CPol. dicit, ſe *vicem* ſuam in Synodo contra Eutychen demandaſſe *fratri ſuo Cyrillo;* ſed mens ejus non eſt, Cyrillum fore ſuum vicarium, verum, ut amicum amici, ita eum Papae partes quoque in concilio acturum eſſe, jure procuratorio. De quo poſtea. Ceterum Vicariatus multum ad papalem contulit poteſtatem promovendam, cum eo ipſo Eccleſiae illae fuerint Romanae ſedi ſubjectae, nec Metropolitani amplius ſuo, ſed vicariatus jure, omnia egerint, quae alias ſuo potuiſſent, denique fundamentum ita ſit jactum monſtroſae opinionis, quae deinceps invaluit de *plenitudine poteſtatis* ſolis Papis competente, cum reliqui Epiſcopi, in partem ſolicitudinis a Papis vocati, eam accipiant. Vid. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. I. tit. 7.

§. LXIX. Orientales, etſi nullam Paparum in ſe autoritatem aut poteſtatem agnoverint, eorum tamen ambitionem

nimis

imis foverunt, et potestatis ampliandae occasionem prae-
uerunt haud unam, cum quod nimia cum autoritate sese
ebus Orientis inmiscere permiserint, tum quod illi, qui
njuria erant adfecti, ad eos in primis confugerint, eorum-
que opem inploraverint, non quidem acsi eos pro univer-
alibus habuerint, sed pro praecipuae sedis patriarchis, qui
prae reliquis pollebant autoritate. De Paparum in dispen-
ationibus canonum autoritate, in Occidente non solum, sed
et Oriente, disseruit P. Marca concord. sacerd. et Inper.
. III. c. 14. Sed qua Universales id non egerunt, verum
primariae sedis Episcopi, nec pro plena potestate, verum
pacis et unionis conservandae ergo. Quaestiones de fide
cum Romano Episcopo communicare, *longa Ecclesiarum con-
suetudo suadet*, inquit Cyrillus Alexandr. epist. ad Caelesti-
num Oper. t. V. p. II. Eadem quoque ratione ad Roma-
num Episcopum provocarunt, tanquam unum ex majoribus
Patriarchis, nec ad ipsum solum, sed et reliquos, ad eum
praecipue. Eutyches, a Flaviano damnatus, ad Episcopum
Romanum et reliquos Patriarchas provocavit. Ipse Flavia-
nus, in Synodo Ephesina, dicta deinceps latrocinali, dam-
natus, *libellum misit ad Apostolicam sedem*, et ad *omnes Epis-
copos Occidentis*, ut causa sua integro concilio retractaretur:
uti ex Epistola Valentiniani, ejusque matris Gallae Placi-
diae, ad Theodosium, patet. Theodoretus quoque, eo in
concilio proscriptus, ad Papam se contulit, non ut juridi-
cam de causa sua sententiam ferat, sed ut ejus consilio
juvaretur; petit enim quid sibi agendum sit, num Synodi
decreto stare, an ad concilium Occidentalium provocare?
Epist. 113. ad Leonem; quae et eo nomine notabilis est,
quod ex ea elucescit, quanta praerogativa fuerit Romanae
sedi tributa, et quare, ob urbis scilicet, et sedis Pauli ac
Petri, excellentiam, ac fidei puritatem. Sic et in Epist.
ad Renatum Romanum, ad Anatolium, non a Papa tan-
tum, sed concilio Occidentalium causam suam examinari pe-
tit. Qualia sunt exempla plura similia.

§. LXX. Agnovisse praeterea passim videntur primatum et principatum sedis Romanae, non quidem potestatis et jurisdictionis, sed dignitatis et autoritatis, et magnifice saepe ea de re locuti sunt. Ruffinus, ut nonnulla proferam testimonia, *invectiva* II. in Hieronymum, Romanam Ecclesiam vocat, *omnium Ecclesiarum caput.* Augustinus, *principatum apostolicae cathedrae*, ait ep. 162., *semper in Romana Ecclesia viguisse;* et contra duas epist. Pelagii ad Bonifacium dicit, *communem esse omnibus episcopatum, sed in eo praeeminere ipsum celsiore speculae pastoralis fastigio.* Hieronymus epist. LVII. ad *Damasum*, dicit, *ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, si quis in arca Noae non fuerit, peribit regnante deluvio.* Sedes ergo Romana est ipsi centrum verae fidei et Ecclesiae. Theodoretus epist. 116. ad Renatum presbyterum mire extollit sedem Romanam, tanquam quae multis nominibus principatum Ecclesiarum habeat in orbe, et in primis ab haeretica tabe semper inmunis manserit, qui Petrum quoque *primum Ecclesiae fundamentum* adpellat Haeret. fab. l. V. c. 28. Caelestinum *totius orbis Archiepiscopi* titulo insignivit Cyrillus Alex. homil. in *Mariam Deiparam* oper. t. V. p. II. Ipsa Synodus Chalcedonensis, in epist. Synodica ad Leonem Papam, in Actis Synodi p. III. dicit, Papam esse *voce Petri omnibus constitutum Interpretem;* porro, eum in Synodo omnibus per Legatos *praefuisse, sicut membris caput.* Sozomenus H. III: 8. omnium Episcoporum curam tradit ad Episcopum Romanum pertinere διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου *propter throni dignitatem:* et l. V: 22. refert, controversiam de Spiritus S. divinitate motam, *et ab Ecclesia Romana definitam*, mox cessasse. Scribit quoque Socrat. H. l. II. c. 8. *regulam Ecclesiasticam vetare, ne, absque consensu Pontificis Romani, quicquam in Ecclesia decernatur.* Quod c. 17. repetit. Sed talis canonis nusquam reperitur

tur indicium. Collegit forte hoc ex praerogativa Julio data a concilio Sardicensi. De quo ad sec. superius egi. Petrus Chrysologus Ravennatensis ep. 23. inter Leonis M. epistolas inquit, *beatus Petrus, qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* Vincentius Lirinensis in Commonit. p. 323. Romanam Ecclesiam adpellat *caput orbis*, scilicet Occidentis, et ejus latera Africam et Mediolanum. Sed adulatorie valde ad Papam Hilarium scripserunt Hispani, cum dicunt, *se Deum in Ipso adorare, et ad fidem recurrere Apostolico ore laudatam, inde responsum quaerentes, unde nihil errore, nihil praesumtione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.*

§. LXXI. Ad haec omnia Paparum accessit ambitio, qui, his opinionibus et elogiis abusi, cristas erexerunt, ac omnes intenderunt nervos, ut universales fierent Episcopi. Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniae apud Harduinum in collect. Conciliorum tom. II. jactavit, Papas de omnibus judicare, ipsos a nemine, praeterea canones voluisse, ut de qualibet mundi parte ad eos adpelletur. Leo ante eum in sermonibus suis hanc universalem Episcopatus Romani dignitatem ubique ursit, et ex Petri primatu derivavit. Caussas Africanas primus tractare coepit, tanquam Episcopus universalis, ut ex epist. I. ed. Quesnell. patet, occasione Ecclesiarum illarum per Vandalos turbatarum. Romanam quoque Ecclesiam, *per tot secula, docente Spiritu S.*, adserit, *nullam haeresin violasse*, serm. 93. Imo primus super verbis Christi Matth. XVI. *tu es Petrus, et super hanc petram* etc. Romanae Eccclesiae primatum fundavit, serm. in *anniversar. die adsumtionis*: vid. et serm. 94. ac epist. 5. ubi Petro concessum dicit primatum, *in remunerationem fidei ejus.* Sed notanda est regula, quam serm. 3. praescribit, *manet Petri privilegium, ubicunque fertur ex ejus aequitate judicium.* Unde Gallicani colligunt, Paparum decretis non esse standum, si ab hac regula discesserint. Vid. P. Marca concord. sacerd. et Imper. l. IV. c. 6. Ipse Leo ep. 93.

ad *Theodoretum*, fidem, a sede Papali definitam, agnoscit firmitatem, et plenam persuasionem, acquirere per Ecclesiarum consensum. In Praefatione denique *canonum Ecclesiae Romanae* habetur, Ecclesiam Romanam nullis Synodorum decretis, sed voce Domini Matt. XVI. esse praelatam, et canon Nicaenus hoc praefert adsumentum: *Ecclesia Romana semper habeat primatum.* Legati Papae, ut hoc addam, in Synodo Chalcedon., Papam *omnium Ecclesiarum caput* esse, declararunt in prima actione et adlocutione Synodi, sententiam in Dioscurum in haec verba dixerunt primi: *Leo — — — per nos et praesentem S. Synodum, una cum ter beatissimo et laudatissimo beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido Catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum* etc. In Synodo quoque Ephesina Oecumenica Legatus Papae declaravit, se a Papa, tanquam Petri, Apostolorum Principis, et Ecclesiae Catholicae fundamenti etc., *ordinario successori et vicario*, ad Synodum esse missum. Ante hoc seculum, Papas sese *vicarios* Petri eo sensu adpellasse, non constat.

§. LXXII. *Innocentius*, ut historiam Paparum breviter pertexam, singularia, et scopo nostro congrua, tantum enarraturus, anno 401. sedem capessivit, natione Albanensis. Cujus epistolae quaedam decretales supersunt, in quorum una occurrit, causas Clericorum, aeque superioris ac inferioris ordinis, ab Episcopis provinciae esse judicandas, sed sine praejudicio Ecclesiae Romanae, *cujus in omnibus causis debet reverentia custodiri.* In alia ad Exuperium Tolosanum *coelibatus* legem in sacerdotibus confirmat, et librorum *sacrorum* codicem exhibet. De quo supra suo loco. In alia Sabbati jejunium sanxit, cum antea fuisset consuetudo. Ceterum ad hunc Papam se contulit Chrysostomus, bis a Synodo CPol., ope Theophili Alexandrini, depositus, et judicio Papae, ejusque conciliorum, absolutus est. Vid. Palladius in vita Chrysost., et epist. Honorii ad Arcadium, apud Baronium a. 404. Fabulosum vero est, quod nonnul-

li

li tradunt, Arcadium cum Eudoxia ab eo fuisse excommunicatum; cum epistolae ejus et Arcadii mutuae, apud Baronium, sint fictae, quarum primus meminit Georgius Alexandrinus sec. VII., unde Glycas et Nicephorus habent. Decessoris autem sui secutus exemplum, vicarium suum instituit Thessalonicensem Episcopum Rufum, in Epist. apud Holstenium in *collectione Romana*; ubi ipsi Ecclesiarum illarum curam committit, salva earum primatu, et, quicquid ad Papam necesse fuerit mitti, illud, ut per Vicarium fiat, decernit. Primus denique Novatianos instituit persequi, Ecclesias iis adimendo. Socrat. H. VII: 9. De actis in causa Pelagii postea agam.

§. LXXIII. *Zozimus*, natione Graecus, qui ei a. 417. successit, et sedem tantum unum annum et aliquot menses tenuit, Celestium et Pelagium quidem in initio absolvit, sed dein, ab Africanis rectius instructus, damnavit, scripta ad omnes Episcopos, etiam Orientales, prolixa epistola, quae *tractatoria* dicitur. Controversia inter Arelatensem et Viennensem Episcopos de jure Metropolitico orta, primatum Arelatensi, in favorem Patrocli, concessit. Vid. epist. 8. ad Hilarium Narbonens. et 5. ad Episcopos Galliae; quam a Launoio in dubium vocatam vindicavit Quesnellius dissert. Apologet. pro Hilario. Denique usum *stolae*, ut liber Pontificalis refert, concessit Diaconis. Erat autem stola, ut id in transitu observem, quae humeros latitudine sua tegebat, cujus *ora*, collum ambiens, tantum est recentioribus temporibus retenta. Venit autem nomine *orarii*, quod proprie est linteum, ori tergendo destinatum: unde vox ad pannum oblongum, brachio inponi solitum, laciniam manualem, alias λᾶρον dictam, transiit, cujus usus est in sacris, et Episcopis alias ac Presbyteris proprius, ut habent canones Laodiceni. Vid. Casaubonus ad Vopiscum, et Beveregius ad canones Laodicenos.

§. LXXIV. *Bonifacio*, natione Romano, in ejus locum electo, minor Cleri pars schisma fecit, Eulalio Archidiacono

no electo, cui Symmachus, Urbis praefectus, favit, et ejus suasione ipse Inperator Honorius, sed qui, meliora edoctus, Bonifacium mox confirmavit. Ex quo Honorius, et dein Italiae reges, sese coeperunt Paparum electionibus inmiscere: qua occasione lex ab Inperatore lata est, ut cum duo per ambitum essent electi neuter esset Episcopus. Inpetravit Papa per Honorium, ut Theodosius decretum, quo Illyricianas Ecclesias Episcopo CPol. adjudicaverat, rescinderit, si genuina sit Epistola Theodosii ad Honorium, in *Collectione Holsteniana:* durarunt utique contentiones, et Episcopi Illyrici, coacta Synodo Corinthi, causam Perigenis, Metropolitae Corinth. a Papa constituti, retractarunt, spreto quoque vicariatu Rufi; quod indigne tulit Bonifacius, teste epistola ejus ad eos apud Holstenium. Ceterum, ipso sedente, viguit maxime dissidium inter Ipsum et Africanos de adpellationibus: de quo supra egi. Impetravit quoque ab Honorio edictum contra Pelagianos, quo illi non tantum, sed et qui eos non detegunt, in exilium pelluntur, omnibus etiam Episcopis inperatur *subscriptio* damnationi Pelagii et Celestii: quod primum est subscriptionis inperatae, et ab omnibus flagitatae, qui vel Synodis non interfuerant, exemplum. Vid. Garnerius diss. III. ad Marium Mercatorem de Pelagianis.

§. LXXV. *Caelestinus*, gente Campanus, ipsum, post trium annorum et 8. Mens. episcopatum, excepit. Quo sedente, Pelagiani non tantum urbe, ad 100*mum* lapidem usque, uti sub Bonifacio, sed Italia sunt pulsi a. 421., teste Prospero contra Collatorem c. 41. Misit quoque Germanum Autisiodorensem, et Lupum Trecensem in Britanniam ad Pelagianos exturbandos, ut Prosper in Chronico refert, a. 429., et Palladium Diaconum ad Scotos, sive Hibernos, eumque, iis conversis, praefecit Episcopum, eodem ibid. teste, qui primus est Scotorum Episcopus a. 431. Nestorianorum haeresi tunc ortae sese mox inmiscuit, accepta a Cyrillo Alexandr. epistola, in qua dicit, veterum Ec-

clesiarum

clesiarum consuetudinem, ut modo notavi, ejusmodi rei communicationem suadere, nec sine ejus consensu sese a Nestorio separare audere. Quod mutua non tantum Ecclesiarum communio, sed autoritas quoque sedis Apostolicae, exigebat, absque ut ejus potestatem, aut autoritatem, desideraret. Haud diu post Papa Nestorium in Synodo Romana a. 430. damnavit, et Cyrillo vices suas commendavit, legatosque misit ad Synodum Ephesinam a. 431., ut sententiae papalis exsecutionem procurarent; uti commonitorium ejus habet apud *Baluzium*, de quo postea. Certior praeterea de Semipelagianismo in Gallia factus per Prosperum et Hilarium, acrem ad Episcopos Galliae scripsit epistolam, qua eos propterea reprehendit: exstat in tomo *secundo* Conciliorum. Denique in Novatianis vexandis secutus est Decessoris exemplum, Socrat. VII: 11. qui, quod notandum, observat, *episcopatum Romanum ultra sacerdotii fines progressum jam olim in dominationem degenerasse*, sicut et Alexandrinum. Sedit annos 9. Mens. 10., mortuus a. 432. *Ad Sixtum* III. successorem ejus, et in Pelagianismo oppugnando imitatorem, narrantur adpellasse Helladius Tarsensis, et Eutherius Thyanensis, Metropolitae, de Cyrillo Alexandr. et Synodo Ephesina conquesti, unde Orientalium adpellationes ad Papas firmant Pontificii. Sed, praeterquam quod nihil de adpellatione, tantum de auxilii imploratione, hic occurrat, lubricum est fundamentum, quo historiola illa nititur, unice situm in epistola, eorum nomen praeferente, quae in *Synodico contra tragaediam Irenaei* exstat, et haud uno nomine est suspecta; ut videre est apud Dupinium de Disciplina *Eccles.* Denique jus suum ursit in Illyricum, non obstante, quod Theodosio esset a Valentiniano III. donatum a. 437., cum filiam ejus Eudoxiam in matrimonium accepit; constituit ibi Anastasium vicarium Thessalon. et, ad universos Episcopos ibi in unum coactos scripta Epistola, vetuit, ne, vicario inscio aut invito, aliquis ordinaretur, aut quid ageretur: exstat in *collectione Holsteniana*.

[redacted]

§. LXXVI. Successit *Leo* a. 440., natione Tuscus, munere Diaconus: solebant enim ut plurimum eligi Diaconi, et rarius Presbyteri, quia populo notiores erant, clero gratiores, et Ecclesiasticarum rerum notitia instructiores. Praestitit sese acerrimum haereticorum oppugnatorem, et Pontificiae potestatis promotorem insignem; unde *Magnus* est adpellatus. Manichaeos, libris eorum combustis, contrivit, et Priscillianistas, eorum adseclas habitos, erroribus ac moribus eorum publicatis; teste epistola ejus ad Turibium: de quo in Priscillianistarum historia dixi. Pelagianos et Eutychianos debellavit, de quo postea. Praecipuam in sedis Romanae jurisdictione tuenda ac promovenda posuit operam: cujus specimina quaedam supra jam protuli. Jus a Sardicense Synodo Papae datum, de quo Sec. IV. exposui, non tantum exercuit, sed et supergressus est. Primam enim causarum Metropolitanorum cognitionem ad se pertinere, et adpellationes a Synodo Provinciae a se Romae audiri posse, ursit: Orientalium quoque adpellationes adsumsit. Opposuerunt quidem sese Gallicani et Africani, ut ex Hilarii Arelatensis ac Lupcini Africani historia patet, sed succurrit Ipsi Valentinianus Inperator, a quo hoc obtinuit rescriptum a. 446. in cod. Theodos. tit. 24. de *ordinandis Episcopis* obvium, *decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum, contra veterem consuetudinem liceat, sine viri venerabilis Papae urbis aeternae autoritate, sed illis, omnibusque, pro lege sit, quicquid sanxit, sanxeritque Apostolicae sedis autoritas.* Quae tamen lex in Occidente non obtinuit, nec in Gallia est observata. Leonis quoque successores adpellationes causarum, in provinciis judicatarum, tantum ad se traxerunt, solosque Metropolitas a se immediate judicari posse statuerunt usque ad Vigilium et Pelagium, qui ulterius processerunt. De quo postea. Orientales qua ratione sese in concilio Chalcedon. opposuerint, supra notavi. Habuit tamen Leo in fide contra Eutychen adserenda praecipuas per Legatos partes, et epistola ejus ad

Flavia-

Flavianum ibi summis celebrata est laudibus, tanquam norma et tessera fidei. Pati tamen debuit, licet contradixerit, canonem 28*vum* in honorem sedis CPol. condi. Denique originem dedit, quod notari meretur, *nunciorum* sedis Apostolicae, in aula Inperatoris perpetuo degentium, ut omnia ibi vice Paparum peragant, quales jam antea fuerunt Orientalibus in usu, adpellati *apocrisiarii*. Talem legatum, seu vicarium, Leo constituit Julianum, Episcopum Coënsem, de quo in epist. 84. ad Marcianum, a. 453. data, dicit: *vicem ipsi meam contra temporis nostri haereticos delegavi, atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi.* Occasionem quidem praebuit metus Nestorianismi et Eutychianismi, ne, Anatolio CPol. Patriarcha remissius agente, vires rursus acquirerent; ut ex epist. ejus 86. ad Julianum patet, sed praecipuus scopus fuit, inpedire, ne Episcopus CPol. nimiam acquirat autoritatem. Ceterum nuncupati sunt Legati Pontificis a *latere* h. e. e comitatu et familia. Quo titulo jam usus est Liberius in epist. apud Hilarium, fragmento IV. nov. operum editionis. Vid. quoque notae ad Gregor. M. l. V. ep. 31. Sedem tenuit Leo ann. 21. Mens. 1. Papa non tantum rebus gestis, sed et scriptis, illustris, quae praecipue sunt *Epistolae et Sermones*: habuit enim, quod Papis alias non erat suetum, varios ad populum sermones, Sozomen. H. VII: 19. Optima operum ejus editio est a Quesnellio adornata, quae altera vice prodiit Lugduni 1700. in Fol.

§. LXXVII. *Hilarus*, non Hilarius, ut Onuphrius ad Platinam observavit, natione Sardus, ex diacono Papa in ejus locum factus, a. 461. *decretales* per orbem misit, quibus tres Synodos, Nicaenam, Ephesinam, et Chalcedon., seu tomum Leonis, confirmavit, sed simul autoritatem et principatum sedis Apostolicae, ut tradit *liber Pontificalis*. Synodos singulis annis celebrari jussit in Gallia, ita tamen, ut in gravioribus causis dirimendis Apostolicae sedis sententia

consuleretur, et ad Gallicanos Episcopos causam Leontii Arelatensis remisit. Exstant etiam decreta et Epistolae ejus ad Tarraconensis Provinciae Episcopos, in tomis conciliorum Harduini, quibus praecipitur, ne quis sine consensu Metropolitani ordinetur Episcopus, nullusque ab una Ecclesia ad aliam transeat etc. Ceterum ipsum componi curasse a Victorio Aquitano canonem Paschalem 532. annorum refert Baronius: sed illud accidit cum Archidiaconus esset a. 457., ut ex Victorii praefatione patet. De quo cyclo in Prolegomenis egi. Praefuit ann. 6. M. 3., mortuus a. 468. *Simplicius*, natione Tiburtinus, ejus successor, Leoni Inperatori, canonis Chalcedon. de privilegiis sedis CPol. confirmationem petenti, animose restitit, misso legato Probo, Episcopo Canusino, ut Gelasius tradit ep. 13. ad Episcopos Dardaniae. Vices suas in Hispania commisit Episcopo Hispalensi, concesso quoque Primatu, qui ad a. 681. duravit, licet Hormisdas Tarraconensem constituerit vicarium a. 517, teste epist. ejus 24*ta*. Curavit quoque res Orientis, seseque Basilisco Inperatori, qui Euthycianos restituerat, uti Timotheum Aelurum in sede Alexandrina, et Petrum Fullonem in Antiochena a. 476., fortiter opposuit, scriptis litteris non tantum, sed et Petrum Fullonem, ob addita verba *Trisagio*, de quo supra, Synodo Romae coacta a. 478., condemnavit, sicut et Acacius CPol. fecerat. Dispensavit quoque de Canonibus, Calendionis electionem Antiochen., contra canones factam, adprobando. Adpellasse etiam ad eum traditur Johannes Talaia, Episcopus Alexandrinus, a Zenone Inperatore suasu Acacii CPol. depositus, ab eo etiam susceptus, scriptis quoque pro ejus restitutione ad Acacium litteris, licet sine effectu. Ceterum in tempore ordinandorum Clericorum aliquid accidisse per Simplicium mutationis putatur, adeo ut, cum antea factae fuerint ordinationes Mense Decembr., ille fecerit Januar. Sed Papae censiti fuerunt temporibus minus adligati, et exempla ordinationum aliis temporibus prostant. Vid. Pagi in ejus vita.

vita. Tradit denique Platina, ipsum instituisse, *ne Clericus ullus possessionem beneficii a laico recognosceret: illudque postea a Gregorio et aliis Pontificibus confirmatum esse.* Sedit ann. 15., defunctus a. 483.

§. LXXVIII. *Felix* III., patria Romanus, ejus successor, accepto libello criminum Acacii CPol. a Johanne Talaia, postulavit quidem, missis ad Zenonem Imperatorem legatis, ut Acacius Romam causam dicturus mitteretur, Evagr. H. III: 18. sed eum non solum sprevit Acacius, verum ipsi Legati, qua minis, qua blandimentis Zenonis, eo sunt adducti, ut cum Acacio, et Petri Mongi apocrisiariis, communicarint. Quo exacerbatus Papa Legatos munere privavit, et Acacium excommunicavit, Synodo coacta Romae a. 484. Quod iterata vice factum est a. 485., cum Acacius, Calendione expulso, Petrum Fullonem in sedem Antiochenam evexisset. Denique Henoticon Zenonis, de quo postea, nec recepit, nec damnavit. Sedit a. 8. M. 11. successorem nactus *Gelasium*, natione Afrum a. 492., haud uno nomine celebrem. Epistolam contra Pelagianos, in Dalmatia et Piceno reviviscentes per Senecam Episcopum, qua de peccato originali et gratia differit, scripsit. Exstat in actis conciliorum Harduini tom. II. Ordinationes Clericorum *quatuor* illis temporibus, de quibus supra, adligavit in epist. ad Episcopos Lucaniae can. XI. Litaniae, ut die purificationis Mariae fierent, instituit; missarum ordinem digessit, et primus condidit Missalia, quae Gregorius M. postea perfecit; vid. Johannes Diaconus in vit. Gregorii I. II. c. 12. Adtribuitur quoque Ipsi Codex Sacramentarius, tribus constans libris, a Tomasio editus. Lupercalium superstitionem abolevit Romae, et refutavit scripto tractatu, qui in tomis Conciliorum exstat, ubi etiam alius reperitur, quo, inter alia, probare conatur, ea tantum acta Chalcedonensia esse rata, quae sedes Apostolica adprobavit; inscribitur, *de anathematis vinculo.* Manichaeos Roma expulit, et eorum libros publice combussit, uti in *vitis* Pontifi-

cum Anastasii etiam habetur. Sed memorabilis est canon ejus apud Gratianum de Consecrat., contra eos, qui solo pane, sine calice, utebantur in Eucharistia, *quia*, inquit, *divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest evenire.* Denique autor est operis *de duabus naturis* contra Nestor. et Eutych. in Bibl. Patrum, quod inmerito ipsi abjudicatur a Baronio, et aliis nonnullis Pontificiis, cum melioris notae MSS., autores coaetanei, ut Fulgentius Ruspensis in tractatu de quinque quaestionibus ad Ferrandum, et alii, Gelasio Papae vindicent: nec aliquid a Gelasio alienum contineat. Sed *breviculus historiae Eutychianistarum* ejus nomen mentitur, cum partim ex Liberato Diacono, partim ex Gelasii epistolis, sit excerptus. Ficta forte quoque est narratio de canone Scripturae definito, et aliis ordinatis in Synodo Romana a Gelasio a. 496. Canon Script. ibi exstat, qualem Ecclesia Catholico-Romana agnoscit, et canonicis accensentur Tobias, Judith, et Maccabaeorum liber unus: praeterea ordo Patriarcharum ibi est stabilitus, Roman. Alexandr. et Antiochen., quatuor concilia Oecumenica recepta sunt, et quorundam Patrum opera recensita, apocryphorum quoque addita notitia. Singulare est, quod in Decreti initio reperitur, *Romanam et Apostolicam Ecclesiam nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis esse praelatam, sed euangelica voce Domini, Tu es Petrus, et super hac petra* etc. De quo alio loco agitur. Sedit ann. 4. M. 8. Successit *Anastasius* II., et ann. 1. M. 11. tantum sedit, a. 498. mortuus, nulla re clarus, nisi quod sub ipso conversio contigerit Clodovei, Francorum Regis, de qua postea, a Papa litteris gratulatoriis celebrata, quae exstant in Spicilegio Dacher. tom. V. Notatu tantum digna est epistola ejus ad Anastasium Inperatorem, qua inter alia declarat, de mortuis non esse temere judicandum, contentionem esse vitandam, malos sacerdotes, bona administrando, sibi tantum nocere, nec Ecclesiae sacramenta commaculare, Inperatorem denique obtemperare debere Apostolicae sedis decretis.

§. LXXIX.

§. LXXIX. De Clero minore nihil habeo, quod superiore sec. dictis addam, nisi de *Archidiaconis*, quorum hoc sec. frequens fit mentio. De quibus, et eorum officio, praeter alios, consuli meretur Zieglerus de *Diaconis* etc. cap. XVII. Fuerunt autem Diaconorum principes, Episcoporum fere in singulis Ecclesiis vicarii, proximi utique ministri et pedissequi, qui illis in munere opem ferebant, eorumque voluntatem explicabant et exsequebantur. Erant autem Episcopis coram altari praecipue ad manus, dispensandis Ecclesiae reditibus praeërant, ut et ordinandis clericis inferioribus, iisque poena Ecclesiastica infligenda sublevabant Episcopum: ipsas conciones loco Episcoporum frequenter habebant. Erant itaque summae dignitatis viri, qui Episcopis passim in Episcopatu succedebant. Tradit quidem Eulogius apud Phot. Bibl. cod. 182. *statutum fuisse* jam sec. III. tempore Cornelii Papae *Romae*, *Archidiaconum succedere Pontifici*, sed illud verum tantum est, quoad consuetudinem sequentium temporum. Hieronymus, ad hanc respiciens dignitatem, inquit, comment. ad Ezech. c. XLVIII., *certe qui primus fuerit ministrorum*, *quia per singula concionatur in populos*, *et a Pontificis latere non recedit*, *injuriam putat*, *si presbyter ordinetur.* Erant autem antiquis hisce temporibus e Diaconorum ordine: ut Hieronym. notissima illa ad Evagrium epist. tradit, dicens, *aut diaconi eligant de se*, *quem industrium noverint*, *et Archidiaconum vocent.* Quae tamen electio ad Episcopi fiebat arbitrium. Passim quidem, senior in munere, si aptus esset, eligebatur, sed non semper; nam Episcopus de eo disponere poterat: ut habet canon Agathensis sec. VI., et exemplum est in Athanasio, referente Theodoret. H. I: 26. sed postea ex ordine Presbyterorum fuerunt, uti ex Hincmari capitulis, *Archidiaconis Presbyteris* datis, sec. IX. patet, in tomis conciliorum. Ceterum omnem potestatem exercuerunt nomine Episcoporum, tanquam eorum vicarii, sed progressu temporis eam, tanquam sibi propriam, vindicarunt. Unus autem erat in singulis

gulis Ecclesiis, uti Hieronym. ep. 4. ad Rusticum indicat, dicens: *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi.* De tempore instituti Archidiaconatus nihil certi constat, nisi quod aetate Hieronymi jam obtinuerit, ut ex disertis ejus testimoniis, modo prolatis, dubio caret: sed num antea in usu fuerit, pro certo adfirmari nequit. Utique Cornelius Papa in epist. apud Euseb. H. VI: 43., ubi ordines recenset, nullam ejus fecit mentionem, nec etiam usquam Cyprianus: tantum Athanasius a Theodoret. H. I: 26. *princeps ordinis diaconorum* adpellatur, et Archidiaconi meminit Isidorus Pelusiota l. I. ep. 29. et 177. et Caecilianum eo titulo insignivit Optatus Milevitanus.

§. LXXX. Respectu *coelibatus* Clericorum res in eodem fere statu mansit. Siricii Papae legem de coelibatu renovavit et confirmavit Innocentius in epist. ad Victricium Rothomagensem, et Exuperium Tolosanum. Canon concilii Arausicani I., in Gallia, habet, *non deinceps ordinandos esse diaconos conjugatos, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem;* additur canone sequente depositionis poena, si cum uxore sua incontinens inveniatur. Concinit canon Arelatensis II. et hinc explicandus; qui habet, *adsumi non posse aliquem ad sacerdotium in vinculo conjugii constitutum, nisi primum fuerit promissa conversio,* scilicet ad *castitatem* et abstinentiam a conjuge. Leo quoque Papa non tantum sancivit coelibatum, sed et ad subdiaconos extendit. Denique canon 70*mus* cod. Africani Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, abstinentiam ab uxoribus absolute praecipit, cui concinit canon Telensis a. 428. apud Baluzium in *nova collect.*; sed Graeca canonis Africani versio aliquam addit restrictionem, ubi jubetur abstinentia, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους: quae verba quid sibi velint, dubium est. Scholion aliquod apud Beveregium ad can. cit. habet, tempore administrationis sacrorum eos abstinere debere. Quo etiam trahi posset canon Illiberitanus, ad sec. IV. suo loco supra citatus, quia Clericis, *in ministerio positis*, interdicitur tantum

usus

ſius uxoris. Verius forte eſt, *proprias definitiones* intelligi, non a Synodo aut aliis inpoſitas. *Epiſcopi, presbyteri, diaconi*, inquit Hieronymus in *apologia* adverſus Jovinianum in fin., *aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt ſacerdotium in aeternum pudici.* Quod ipſum deinceps epiſt. LX. contra Vigilantium de Orientis Eccleſiis, nec non AEgypti, et ſedis Apoſtolicae adfirmat. Interea in Eccleſia Graeca, ſeu in Oriente, eadem, quae antea, obtinuit libertas, nec in Eccleſia Latina apud omnes lex illa obſervata eſt, nec deſunt uxoratorum Epiſcoporum exempla. Vid. Calixtus de *conjugio Clericorum;* et Queſnell. ad Leonis epiſt. 2. et 12., ubi de *ſecundis* etiam nuptiis agit, et varia Eccleſiarum conſuetudine, reſpectu *ſubdiaconorum* et aliorum. Concilium Andegavenſe, in ordinatione Talaſii Epiſcopi poſt medium ſeculi celebratum, et a Baronio in lucem emiſſum, habet can. 11. *non niſi unius uxoris viri, iidemque virginibus copulati, Diaconi vel Presbyteri ordinentur.* Synodus quoque Turonica a. 461. decrevit, ut *ſacerdos, vel Levita, a filiorum procreatione non deſinens ad altiorem gradum non adſcendat, neque ſacrificium Deo offerre, vel plebi miniſtrare praeſumat; ſufficiat his tantum*, additur, *ut a communione non efficiantur alieni.* Digamos non fuiſſe vetitum ordinari, refert quoque Theodoret. ep. 110.

§. LXXXI. Inperatorum poteſtas circa ſacra eadem manſit, quae ſuperiore ſec., ut ex Socrat. H. l. V. in prooemio, ex ipſa hiſtoria et conſtitutionibus eorum ſatis conſtat. Ipſi Papae quoque hanc autoritatem in genere agnoverunt. Bonifacius ep. 1. ad Honorium, *precamur*, inquit, *ut in perpetuum ſtatui univerſalis Eccleſiae conſulatis:* ſic et Caeleſtinus ep. 12. ad Theodoſium Jun., et Leo M. ep. 9 ad Theodoſium, *pro integritate fidei Catholicae*, dicit, *Chriſtianiſſimum principem oportet eſſe ſolicitum.* Attamen tempore Zenonis, eum fidei formulam praeſcripſiſſe, et Henoticon introduxiſſe, et eo nomine aegre tulerunt, quod ab Inperatore profectum ſit. Gelaſius quoque, ep. 4. ad Anaſ-

tasium in tomo II. Conciliorum Harduini, inter Ecclesiasticam et secularem potestatem ita distinguit, ut in Spiritualibus Inperatores sint Pontificibus subjecti, hi illis in secularibus, adeoque seculares praeesse non debeant rebus divinis. Ipse quoque Honorius in ep. ad Arcadium Oper. Chrysost. tom. III. p. 525. dicit, *ad Antistites pertinere rerum divinarum interpretationem: ad nos*, addit, *religionis spectat obsequium.* Theodosius etiam et Valentinianus in *sacra* ad Episcopos in Synod. Ephesin. declarant, *nefas esse, qui Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis consultationibus inmisceri*, Candidianum itaque Comitem ad Synodum ea lege mitti, *ut cum quaestionibus circa fidei dogmata nihil commune habeat.* Definitis porro a Synodo vim legis addere erat Inperatorum, qui etiam edicto vetare solebant, ulterius contra ea disputare et docere, sub poena quoque corporali. Vid. edictum Valentiniani et Marciani in Actis Chalcedonens. Vulgata jam fuit doctrina, in secularibus obsequium praestare debere Ecclesiasticos Inperatoribus, sed in Ecclesiasticis hos illis. Vid. Savaro ad Sidon. Apollin. l. VII. ep. 17. Unde patescit, viam jam fuisse ad potestatem Papalem, et eximie sic dictam *Hierarchiam*, stratam.

DISCIPLINA.

§. LXXXII. Disciplina Ecclesiastica nihil, quod praeter superiore sec. prolata, observari meretur, habet, nisi illud unum, quod ad censuram Clericorum pertinet, *communionem peregrinam*, cujus prima reperitur mentio in concilio Rhegiensi a. 439., in Gallia Narbonensi cap. 3., et de qua diversae exstant opiniones, eandem fuisse, ac qua *peregrini* gaudebant, litteris commendatitiis non instructi, qui ad communionem non eucharistiae, sed alimentorum, admittebantur, adeoque in eo fuisse sitam, ut talis Clericus, eucharistia et muneris officio privatus, reditibus Ecclesiae adhuc

huc frueretur: in eo autem, inter alia, a communione *laica* differebat, quod Clericus, ad hanc redactus, in Clerum nunquam restitui potuerit, quod per poenitentiam licebat in communione peregrina: ut canon Agathensis in eadem Gallia sec. VI. in initio habet. Ita cum Alexandro quodam Episcopo egit Synesius, teste epist. 66. ad Theophilum, et Chrysostomus cum Monachis AEgyptiis, Socrat. H. VI: 9. Sozomen. VIII: 13. Hanc fuisse *communionem peregrinam* agnoscunt ex Catholico-Romanis plures: uti Albaspinaeus Observ. l. I. c. 3. Bona Liturg. l. II: 19. M. A. de Dominis de *communione peregrina*. Sirmondus de Poenitentia: alii.

SYNODI.

§. LXXXIII. Cum suprema Ecclesiae potestas in fide definienda, et condendis canonibus, fuerit non penes Papas, sed Synodos Oecumenicas, quibus sicut omnes Patriarchae, ita et Papae, fuerunt obnoxii, quod ipsi Papae hoc et sequentibus seculis agnoverunt, ut Ecclesiae Gallicanae libertatis vindices abunde demonstrarunt, uti Launoius in Epistolis, Dupinius discipl. Eccles. diss. VI. Richerius hist. Conciliorum, alii; earum Synodorum notitia omnino est tradenda. Fuerunt duae hoc seculo Synodi Oecumenicae, una Ephesina, altera Chalcedonensis. *Ephesinae* historia, ut et Nestorii, cujus causa fuit habita, partim ex Actis, partim ex Epistolis, ad eam pertinentibus, petenda est. *Acta* exstant Graeca et Latina in tomis conciliorum; Latina vero versio, qua Ecclesia occidentalis semper usa est, novissime post Contium edita est a Baluzio in *nova collectione*. *Epistolas* vero variorum Patrum, ad Synodum spectantes, primus in lucem emisit Lupus, dein Baluzius ibid. sub titulo *Synodici adversus tragoediam Irenaei*, nec non Garnerius in *auctario* Theodoreti: cujus autor vixit post Justinianum, et Afer, ac defensor trium capitulorum, videtur fuisse, sed

Neſtorii adverſarius, qui ſcripſit contra Irenaeum, Neſtorii ſtudioſum, autorem libri ſub titulo *tragoediae.* De quo Baluzius in praefat. legendus eſt. Hiſce monumentis addendi ſunt ex Veteribus Socrat. H. l. VII. Evagrius H. l. I. Liberatus in Breviario, et Theophanes in Chronogr., ex recentioribus praeter Petavium Dogm. Theol. t. I. l. IV. et Lupum in ſcholiis ad canones concil., Garnerius diſſ. II. ad Marium Mercatorem: ne alios, ſatis notos, memorem.

§. LXXXIV. 1. Cauſa efficiens eſt Theodoſius Inperator, cujus juſſu convocata eſt Synodus, et non Papa, ſicut ex epiſtolis ejus convocatoriis, membrorum Synodi confeſſione, aliiſque teſtimoniis bene multis, extra dubium collocavit Launoius l. VI. ep. 3. 2. Impellens fuit Neſtorius, ejuſque haereſis, imo Ipſe haereſiarcha, qui Inperatorem ad id incitavit. De quo poſtea. 3. Locus eſt Epheſus, celeberrima Joniae maritimae civitas, Aſiae metropolis, et ſedes Patriarchalis, ubi in Templo Mariae virginis celebrata eſt, in qua Ipſa θεοτόκος *Deipara* declarata eſt. Vid. Epiſt. Cyrilli ad Clerum, populumque Alexandrinum, et acta Concilii. 4. Tempus eſt a. 431., quo Synodus, a. 430. indicta, convenit, die 22*do* Jun., licet ad diem Pentecoſtes, ſeu 7. Jun., convocata; ut epiſtola Synodica ad Theodoſium ſignificat: qui annus eſt 24. Theodoſii Jun. 5. Membra fuerunt ingente numero, qui varie ab autoribus initur. Marius Mercator alibi 193, alibi 274, numerat, Creſconiana collectio, a Baronio citata, 200, aut circiter. Quod tanti non eſt, longe majoris, in praeſidem et praecipuum directorem inquiſiviſſe. Eum fuiſſe Cyrillum Alexandrinum, omnes quidem conſentiunt, ſed vicem Papae, qua talem, geſſiſſe, contendunt Paparum patroni, quia act. I. concilii tenuiſſe dicitur Caeleſtini locum. Sed illas partes jam diu antea, in initio motuum, ipſi demandaverat Papa, ut ſuum ea ratione conſenſum cum Cyrillo declararet, in Synodo autem, qua ejus vicarius, neutiquam praeſedit, quod nuſquam traditur, ſed qua Patriarcha Alexandrinus, cui poſt

CPol.

CPol. hic honor competebat; erat autem ipse Nestorius Patriarcha CPol. Praeterea aderant legati Papae, qui ejus vicibus fungebantur, Arcadius et Projectus, Episcopi, et Philippus Presbyter, ad Synodum missi, ut sententiam Papae, quod notatu dignum est, exsecutioni mandarent, et acta Synodi confirmarent, sicut ipsi legati in Synodo dixerunt. Exstat vero commonitorium Papae, ipsis traditum, apud Baluzium in *nov. collect.* Ante itaque Synodum Cyrillus suo et Papae nomine sese Nestorio opposuit, nec non in principio Synodi, antequam Legati advenissent, qui non nisi post Nestorium damnatum comparuerunt, ut sese autoritate Occidentalium muniret, et Nestorium, quod unice intendebat, damnaret. Legatis vero praesentibus nomen Papae amplius non adhibuit. Addiderunt recentiores autores figmentum, de *phrygio* ipsi a Caelestino misso, ut majore cum autoritate praesideret. Phrygium autem fuisse *mitram*, ita dictum, quod peculiare esset apud Phrygas ornamentum, et tegumentum capitis, observavit Norisius hist. Pelagian. l. II.

§. LXXXV. Patres statim ac Ephesum venissent, ut 6. acta Synodi enarrem, in duas divisi sunt communiones, dum pars Nestorio, major Cyrillo adhaereret, cujus praecipuus erat Memnon, Ephesinus Episcopus. Cyrilliani Pentecosten in primaria Ecclesia Deiparae celebrarunt, Nestoriani vero, idem in Basilica Johannis tentantes, inpediti sunt a Memnone. Cum vero Johannis, Antiocheni Episcopi, adventum aliquandiu exspectassent, ipseque, ut acta concilii tradunt, studio moras traheret, simul nunciatum de ipso esset, ne diutius tardarent, congregati sunt die 32*di* Jun. Sed illa de Johanne relatio unice nititur Cyrilli testimonio in epist. ad aliquos de clero CPol., et verba Johannis ad Synodum haec tantum referuntur, *si tardavero, quod facturi estis id faciatis.* Quae si vel vera forent, id non dicunt, quod Cyrilliani inde collegerunt, cum non tardaverit, sed citius venire non potuerit: uti ex ipsa Johannis relatione liquet, quae exstat in auctario epistolarum Theodoreti, oper. tom.

V. Ex quibus epistolis, ut id obiter anticipem, liquet, multos inperitos et turbulentos homines adfuisse Cyrillo et Memnoni, multaque violenta, et canonibus adversa, fuisse pertractata, eo etiam usque, ut lapidati aliquando fuerint Orientales, nec ibi tuti. Excusavit quoque Johannem Evagrius H. I: 3. eumque citius venire non potuisse tradit. Protestati quoque contra Synodum sunt supra 68 Episcopi, postulantes, 1. Synodum Nicaenam esse observandam, quam per capitula Cyrilli contendebant everti. 2. adventum Johannis cum suis esse exspectandum, quippe qui intra triduum adfuturus sit. 3. in gradum non esse restituendos, qui a legitimo Episcopo antea sunt depositi. Nestorius enim aliquos urbe expulerat, *ut in Synodico adversus tragoediam Irenaei* traditur. Hac protestatione, quae in Synodico citato apud Baluz. in *nova collect.* exstat, non obstante, inchoata est prima sessio die 22*do* Jun., adeoque. 16. diebus post diem ab Inperatore indictum. Frustra quoque protestatus est Candidianus Comes, legatus Inperatoris ad Synodum; qui etiam refert, se *sacram* Inperatoris in initio recusasse tradere, postea, cum urgeretur, communicasse eam: in quo inprudenter egit, cum sine ea, qua Synodus convocatur, haberi non posset. In Synodo vero Orientalium sub Johanne declaravit, se id coactum fecisse, ne *turbae aut seditionis occasio* praeberetur, addit, Episcopos a Nestorio ad Synodum missos, fuisse expulsos, et se quoque coactum fuisse discedere.

§. LXXXVI. Sententia in Nestorium, licet absentem, comparere enim nondum voluerat, lata est die sequente 23. Jun., posteaquam scripta, eo spectantia, essent lecta. Excerpta quidem ex sermonibus Nestorii sunt praelecta, sed in verum eorum sensum non est inquisitum, nec, quae ipse eum in finem addiderat, prolata sunt, praeterea non est ad Synodum citatus Nestorius, nisi ut *poenitentiam confiteretur, et veniam peteret*, ut ipse Cyrillus in epist. ad *nonnullos de Clero* CPol. loquitur. Fundata denique fuit sententia

in

in *fide Nicaena*, et *Cyrilli epiſtola* ad *Neſtorium*, S. Scripturae nulla facta mentione, et his verbis, minime modeſtis, concepta eſt: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem ſuis ille blasphemis vocibus inpetivit, per ſanctiſſimam hanc Synodum, eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, et ab univerſo ſacerdotum conſortio et coetu alienum eſſe definit.* Quae ſententia a pluſquam ducentis epiſcopis, ut fertur, lata, Neſtorio fuit poſtridie intimata, cum hac probroſa inſcriptione; *Neſtorio novo Judae:* ſimul definitum, Mariam eſſe θεοτόκον Deiparam, etc. Cum vero ſinguli Epiſcopi vota dediſſent, omnes ſimul clamarunt, *anathema Neſtorio, et qui eum non anathematizat* etc., cum vero publicata eſſet ſententia, ingens eam excepit plebis adclamatio, in ſignum adprobationis. Quinto die poſt latam ſententiam, ſeu 27. Jun., venit Johannes Antiochenus Epheſum, eodemque die mox ſeparatum habuit concilium, cui quadraginta tres interfuerunt Epiſcopi, in quo in Cyrillum et Memnonem depoſitionis ſententia eſt lata, et alia membra communione ſunt privata; cujus rationes dantur, quod opinio eorum ſit haeretica, et tumultus ab iis ſint ſuſcitati. Imo Cyrillum, dicit Synodus orientalium in Epiſt. ad ſenatum CPol., ut et ad populum CPol., *collecto ex nautis AEgyptiis et Aſiaticis ruſticis ſatellitio tyrannice egiſſe.* Vid. etiam epiſt. ad Eccleſiam CPol. Sed in Synodi Cyrillianae epiſt. ad clerum CPol. dicitur, Neſtorium eſſe damnatum, *juſta S. Trinitatis ſententia et divino Patrum judicio.* Sed genium horum hominum in apricum protulit homilia Rhegini, Conſtantiae Cypri Epiſcopi, habita Epheſi poſt depoſitionem Neſtorii, in Actis Synodi; quae Satanica magis eſt quam Chriſtiana. Theodoſius hiſce de motibus certior factus, et Candidiani Comitis, Neſtorio faventis, relationi fidens, omnia reſcidit acta, et de novo omnia tractari voluit. Interea utriuſque partis ſe invicem diffamarunt, in ſpecie ſibi mutuo inputarunt Pelagianiſmum. Cyrilliani Orientalibus, ſola ducti ſuſpicione, quia inter fautores Neſtorii quoque erant Pela-

giani. Figmentum vero est, a Baronio et aliis adoptatum, adfuisse Johannis Antiocheni conventui Episcopos aliquos Pelagianos, ut recte adfirmavit J. Basnagius Annal. Polit. Eccles. a. 431. Sed, quid orientales moverit, non constat. Inter acta vero Synodi orientalium vulgo reperitur canon Pelagianus, sed qui postea fuit a Pelagiano insertus, ut demonstravit Norisius hist. Pelag. l. II. c. 9. ubi orientales ab hac labe purgat.

§. LXXXVII. Actione *secunda*, 6. id. Jul., cum legati Papae advenissent, lectae sunt Litterae Caelestini Papae, omnesque Episcopi mox in has adclamationes, pro more istius temporis, satis singulari, eruperunt; *novo Paulo Caelestino*, *novo Paulo Cyrillo*, *Caelestino cum Synodo concordi*, *Caelestino universa Synodus gratias agit*, *unus Caelestinus*, *unus Cyrillus*, *una fides Synodi*, *una fides orbis terrarum*. Deinde actione *tertia* lecta sunt acta condemnationis Nestorii, et a Legatis adprobata, simul relatio est ad Inperatorem missa, qua inter alia quoque, pro more Zelotarum, petunt, ut *libri Nestorii*, *ubicunque locorum reperti*, *comburantur*. Actione *quarta* rescissa sunt acta Synodi Orientalium contra Cyrillum et Memnonem, et Johannes Antiochenus ter, ut se sistat, vocatus est; cumque comparere recusaret depositus act. *quinta*, habita 17. Jul. Interea Inperator jusserat, tres esse depositos, Cyrillum, Memnonem et Nestorium, ac novam indicendam Synodum. Sed antequam Johannes, Comes sacrarum, cum his mandatis, advenerit Ephesum, habita est actio *sexta*, die 22. Jul., in qua symbolum Theodori Mopsuesteni damnatum, et Nicaenum adprobatum, simul vetitum, est, aliud in posterum cudi symbolum, sub excommunicationis et depositionis poena. Denique act. *septima* et ultima, die ultimo Jul., alia quaedam ordinata, et sex canones, ad causam Nestorianam spectantes, conditi sunt, in Pandectis Beveregii quoque obvii. Cum deinceps Johannes Comes advenisset, et in Episcoporum utriusque factionis animis conciliandis operam lusisset, Inperator utriusque

partis legatos ad se in urbem regiam evocavit, sed orianos audivit Chalcedone, ubi eos subsistere jussit, lianos secum duxit CPolin, ipsam quoque Synodum rmavit, Nestorio aliisque in exilium missis. Edictum riale saevissimum est, quo libri Nestorianorum flammis ;untur, et omnis eorum lectio severe interdicitur, is conventus occultus etiam prohibetur, denique ipsi niani jubentur adpellari, et poena confiscationis bono- infligenda statuitur transgressoribus edicti. De quo a suo loco differam, ut et de reconciliatione Orienta- cum Cyrillo, et Orthodoxis. Illud hic addo, scenam avorem Cyrilli contra Orientales fuisse mutatam per s, quibus devotus erat Theodosius Inperator, a Cy- corruptos auro et muneribus, teste Acacio, Beroeense copo, epist. ad Alexandrum, in *Sylloge Lupi*.

LXXXVIII. Alterum concilium oecumenicum est *Chal- ense*, in causa Eutychetis Archimandritae habitum: cu- historia ex Actis ejus, Epistolis Synodicis plurimorum ropolitarum, quae *codicis encyclici* nomine vulgo veni- et apud Baluzium in *nova Collect.* exstant emendatiores, nda est. Acta vero in tomis concil. prostant Gr. et , sed vetus versio Latina apud Baluz. ibid. 1. Synodum ocavit, non Papa Leo, sed Marcianus Inperator, alio n quam iste voluit loco: ut multis comprobavit Lau- r p. VI. epist. 4. Papae nullae partes fuerunt, nisi quod, aliis Episcopis Orthodoxis, Synodum ab Inperatore erit. Ipse Leo ep. 87. dicit, Synodum esse coactam ex cepto Christianorum Principum, tantum addit, *ex con- Apostolicae sedis*. 2. Causa movens fuit Eutyches, et odus Ephesina, dicta *latrocinalis*, qua Eutyches erat ab- tus, Flavianus damnatus, quin occisus: de quo postea. ocus primum fuit designatus Nicaea, dein Chalcedon, locum in Italia frustra petente. Chalcedon autem post- st electa, ut Inperatores Marcianus et Valentinianus, ynodi petitionem, commodius adesse possint, quia CPoli

erat propinquior: uti ex eorum epistola in Actis Synodi patet. Erat enim ex adverso Byzantii, solo Bosphoro intermedio. Celebratum vero est in Basilica Euphemiae martyris in suburbio urbis. 4. Tempus est a. 451., Marciani 2, ab VIII. Id. Octobr. ad Kalendas Novembr., per sedecim actiones, ut ex Actis Synodi, Marcellino Comite, aliisque testimoniis, satis constat.

§ LXXXIX. 5. Membra Synodi fuisse 630., constat inter omnes: tantum de Praeside quaeritur. Primae ex Ecclesiasticis partes fuerunt Legatis Papae Leonis Paschasino et Lucentio Episcopis, ac Bonifacio Presbytero, et post eos Anatolio, Episcopo CPol., qui praesidere non poterat, quia de Synodo CPolitana contra Eutychen erat agendum. Ceterum, quod notari meretur, Legati Papae, Episcopus CPol., et alii praecipui, sederunt ad *sinistram* superiorum Moderatorum, argumento, locum illum, et non ad dextram, tunc temporis habitum fuisse honoratiorem, quod singulare fuit, nec unde ortum mihi constat. Potuit peculiaris fuisse ratio, nunc ignota: nec conjecturis indulgemus. Savaro ad Sidon. Apollin. l. I. 11. cum autores, sitne in mensa locus sinisterior an dexterior honoratior, dissentire demonstrasset, subjungit, illos non diversa sentire, sed diversa ratione dextram et sinistram accipere, ut *antica et postica* Arnob. Vid. etiam Sirmond. ad Sidonium l. cit. Moderatores autem illi, et summi Rectores, fuerunt Senatores et Comites, a Marciano delegati, qui cum autoritate et inperio praesederunt; ut ipsa epistola Synodica ad Leonem habet. Marcianus ipse non nisi sexta actione venit in Synodum, ut ex actionibus praecedentibus, et Liberato in *breviario*, patet, ubi Inperator declarat, *se ad confirmandam fidem, non ad potentiam ostentandam venisse.* 6. Actiones ipsae fuerunt *sedecim* totidem diebus absolutae. *Tribus* prioribus Dioscurus Alexandrinus, variorum criminum, non in fidem, sed in canones Ecclesiasticos, ut ex actione *quinta* patet, reus actus, communibus suffragiis est depositus, quia post trinam

cita-

citationem comparere noluerat: praeterea, praeter Nicaena et CPol. symbola, lectae sunt epistolae Cyrilli, et Leonis Papae de *Incarnatione*, et unanimi consensu adprobatae. Leo M. in epist. ad Synodum plane non vult, ut disputatio de fide instituatur, sed fides simpliciter secundum litteras suas ad Flavianum confirmetur. Quod etiam factum est, cum omnia vota huc collinearint, epistolam Leonis esse Synodis, Nicaenae, CPolitanae, et Ephesinae conformem, nulla facta Script. S. mentione expressa. Ceterum prima actio valde fuit turbulenta, cum quod Dioscurum adesse noluerint Legati, in primis quia Synodum habuerat sine consensu Papae, tum Theodoretum recusarent praesentem AEgyptii, quae contrariae declamationes eo usque processerunt, ut *Gloriosissimi Judices, et Amplissimus senatus, dixerint, adclamationes istae populares, neque Episcopos decent, neque partes juvant*, tum denique occasione praelectionis actorum Synodi Ephesinae latrocinalis; adeo ut Orientales et AEgyptii inportunis adclamationibus contrariis sessionem turbarint. Excommunicatus tamen est Dioscurus, cum praecipuis sociis, quia Flavianum fuisse injuste condemnatum clamarunt multi Episcopi, qui Synodo Ephesinae interfuerant, seseque coactos consensisse dixerunt. Deinde *tertia* actione, cum, variis libellis contra Dioscurum lectis, quibus tanquam sceleftissimus mortalium depingitur, raptor bonorum, innocentium oppressor, infamis libidinibus, homicida etc. esset accusatus, nec tamen ter citatus se stitisset, degradatus est, non ergo ob haeresin, cujus nulla fit mentio, sed ob facinora et contumaciam. Quod ipsum Anatolius Episcopus CPol. palam professus est, act. V. dicens, *propter fidem non est damnatus Dioscurus*, sed *quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni, et tertio vocatus est, et non venit, et ideo damnatus est.*

§. XC. *Quinta* actione cum fidei definitio contra Eutychen praelecta, et a majore parte adprobata, esset, intercesserunt cum aliis Legati Papae, contendentes, eam esse

mancam, eique verba Leonis Papae ex ejus epiftola effe inferenda: unde ingens orta eft contentio. Reclamarunt enim maximam partem Epifcopi, *definitio eft Orthodoxa, Spiritus S. eam dictavit, qui non fubfcripferit haereticus eft.* Sed alii contra clamarunt, tenentes, haerefin Eutychianam non clare fatis per eam jugulari, quia tantum habebat, *confitemur, Chriftum effe ex duabus naturis poft adunationem*: quod ab Eutyche etiam dici poterat. Synodo hac ratione fciffa, Marcianus, de eo certior factus, novam juffit cudi definitionem, quae praelecta omnium meruit calculum. Verba itaque ex Leonis epiftola, Senatu id fuggerente, et Legatis inftantibus, addita funt, quibus dictum eft, Chriftum non tantum ex duabus naturis effe, fed et in duabus, feu effe in eo *duas naturas unitas inconfufe, inconvertibiliter, indivifibiliter*, Gr. ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Legitur quidem in Graeco textu ἐκ δύο φύσεων, fed legi debere ἐν δύο φύσεσιν *in duabus naturis* multa comprobant, et jam occupatum eft. Hanc fecundam formulam Inperator cum actione fequente praefens confirmaffet habita oratione, ei varie a Patribus Synodi adclamatum eft. Sequentibus actionibus variae lites de jurifdictionis limitibus inter Epifcopos difcuffae et definitae funt, ex. gr. inter Maximum Antiochiae, et Juvenalem Hierofolymae, Caffianum quoque et Stephanum de Epifcopatu contendentes, Eunomium Nicomedienfem et Anaftafium Nicaenum. Theodoretus quoque ad Synodum admiffus eft, fed non nifi poftquam Neftorium damnaffet, ut in ejus vita narravi, et Ibas Edeffenus, de quo poftea, omnibus haereticis dicto Anathemate. Vid. Norifius de Synodo V*ta* cap. 11. Tandem ultima actione triginta funt conditi canones, Difciplinam Ecclefiafticam concernentes, et regimen; fed abfentibus Legatis Papae, qui fedis CPol. privilegia, hic decreta, renuerunt agnofcere. De quo fupra fuo loco egi. Leo M. canones de praerogativa fedis CPol. recufavit admittere hoc praetextu, quem in Epiftolis faepe dedit, quod canonibus

Nicaenis

Nicaenis adverſentur, quibus ordo Epiſcopalis ita eſt definitus, ut poſt Romanum ſequatur Alexandrinus, et dein Antiochenus, quibus CPolitanum pati non potuit praeferri.

§. XCI. Praeter has duas Oecumenicas, ingente numero aliae ſunt habitae particulares, in cauſa Pelagii, Neſtorii, Eutychetis, et aliorum, de quibus in eorum hiſtoria agam, praeterea in cauſa regiminis, diſciplinae, et morum, quarum praecipuas recenſebo, ſed ſtrictim quantum ſcopo ſufficit. In fine praecedentis, et initio hujus ſeculi, variae ſunt Carthagine celebratae, ad collapſam diſciplinam inſtaurandam, et in cauſa Donatiſtica, quas memorare nimis longum foret. Praecipui canones exſtant in *codice Canonum* Eccleſiae Africanae, a Juſtello, et aliis, edito et illuſtrato, etiam a Beveregio in *pandectis*, in primis a Schelſrate in *Eccleſia Africana.* In ſpecie adtentionem meretur, quae a. 499. habita eſt, qua legatio eſt decreta ad Honorium, qua contra Paganiſmum petita ſunt edicta, ut templa, idola, ſimulacra, convivia, ludi, ſpectacula, et ſimilia, e medio tollantur: unde multae Honorii leges ortae ſunt. Anno 403., ut ad aliarum regionum Synodos pergam, *Chalcedonenſi* I. Synodo coacta, praeſide Theophilo Alexandrino, contra Chryſoſtomum 29 capita accuſationum ſunt prolata, quibus alia 17 poſtea ſunt addita, et ipſe depoſitus eſt. Exſtant capita accuſationis apud Photium Bibl. cod. 59. *Ptolemaidenſe* concilium in Libya a. 411. habitum eſt contra Praefectum Andronicum a Syneſio, in quo ob varia crimina eſt excommunicatus, memorabile etiam ob excommunicationis formulam, in Epiſt. 57. et 58. Syneſii. Miſſo *Bracarenſe* in Hiſpania, in quo articuli memorantur conditi contra gentiles, Arianos, et alios, in tomis Concil. obvii, quippe fictitio, uti inter alios demonſtravit quoque Pagi ad Baron. a. 411., celeberrimum concilium *Carthagin.* praeſide Aurelio, a. 418., notatu dignum eſt, in quo de adpellationibus ad ſedem Romanam eſt actum, quas Papae, praetextu canonum Nicaenorum, ſibi adrogabant. Cum vero Sardicenſes, et non

Nicaenos, esse deprehendissent Africani, adpellationes eas spreverunt: de quo supra. Dederunt acres hac de re litteras ad Caelestinum Papam, quibus eum a praetenso jure dehortati sunt mittendi hisce in caussis legatos, inter alia, *ne typhum seculi in Ecclesiam Christi — — — inducere videatur*. Exstant acta, epistolae, et canones in *codice Africano*.

§. XCII. *CPoli* a. 426. Massaliani sunt damnati a Sisinnio CPol., et Theon, quod notandum, Episcopus proclamavit, poenitentiae locum non futurum, si quis re vel verbo in hujus sectae vel suspicionem venisset, licet millies poenitentiae poenas luere vellet. Phot. Bibl. cod. 52. In concilio *Regiensi*, in secunda provincia Narbonense, praeside Hilario, Arelatense Metropolita, a. 439., praeter abolitam Armentarii episcopi ordinationem, conditi sunt octo canones, in tomis Concilior., sicut a. 441. in *Arausicano* Galliae Narbonens. triginta ad regimen et disciplinam pertinentes, et a. 442. in *Vasense* ibidem decem canones. *Romae* habita est a. 442. a Leone Papa Synodus contra Manichaeos, qua eorum dogmata et facinora sunt damnata, vid. Leonis ep. 2. ad Italos, et sermo 5. de Jejuniis. Quod idem in *Asturicense* in Gallaecia a. 446. factum esse, refert Idatius in Chron. In concilio *Antiocheno* a. 447. absolutus est Ibas Edessenus a criminibus, ipsi a Clero ejus inpactis; actorum fragmentum reperitur in concilio Calcedon. act. X. Quae accusatio, sed et absolutio, renovata est in concilio *Tyrio* et *Berytensi* a. 448., in quibus se quoque a Nestorianismo, et aliis criminibus, purgavit: ibid. in act. Chalcedon. act. IX. In concilio *Arelatense* II. in Gallia, ante annum 445., ut ad eum annum demonstrat Pagi, conditi sunt 56 canones, ex Arausicano et Vasense maximam partem desumti: sicut in *Andegavense* in Gallia Lugdunensi, in causa ordinationis Talassii Episcopi coacta, canones 12 a. 453. Habita est, ut censetur, a. 459. *Constantinop.* V. Synodus sub Gennadio Patriarcha contra Simoniacos, cujus epistola circularis

exstat

extat in tomis conciliorum. *Turonensis* vero in Lugdunensi III. a Perpetuo Episcopo a. 461., in qua 13 canones sanciti sunt, ad restaurandam disciplinam, barbarorum incursionibus collapsam: sicut 26 canones in concilio *Venetico* in Aremorica, seu Britannia minore, a 465. Reliquis missis, duae supersunt memorandae Synodi, una *Carthagin.* a. 484., ex omnibus Episcopis Africae, convocata ab Hunnerico rege, ad rationem fidei reddendam, cujus gesta exstant apud Victorem vit. in persecut. Vandal. Altera est Romana, sub Gelasio a. 499., in qua, ut putatur, libri Canonici, Ecclesiastici, et spurii sunt definiti. Quod decretum, cum ipso concilio, pro ficto habent ex reformatis Cave hist. Litt., Pearson. Vindic. Ignat. p. I. c. 3. alii, defendunt ex Catholico-Romanis Pagi, Mabillon. de cursu Gallic. p. 358. alii: qui sese in primis fundant in epist. Hormisdae ad Possessorem, ordine 70*ma*. Sed ibi quidem traditur, libros veteres esse definitos, verum nec Gelasii, nec decreti illius, ulla fit mentio; nemo quoque ante sec. IX. ejus meminit. Dionysius Exiguus, autor aequalis, qui decreta Romanorum Pontificum collegit, quoque non memoravit. Videtur itaque ab Isidoro Mercatore profectum, qui epistolas decretales plures finxit. De quo postea.

VITA ET MORES.

§. XCIII. Quod ad *Monachatum* adtinet, de quo, pro more, primum agendum est, Theodoretus, sive verus, sive fictus, in Philotheo c. 27. diversas vitae Monasticae formas recenset, dicitque, alios esse *coenobitas*, quorum innumerabiles sunt coetus, alios *eremitas*, qui vel in tuguriis, vel in speluncis et foveis, vel sub dio, degunt, sive semper stent, sive statione et sessione diem dividant, alii neminem ad colloquium admittunt, alii omnium congressus, etc., imo memorat aliquem arca cancellata inclusum, et incurvatum: foeminarum quoque innumeram per totum orbem celebrat tur-

mam, idem vitae Monasticae, seu eremiticae, genus sectantium. Tria Monachatus externa dicit Isidor. Pelus. l. I. ep. 92. esse signa, τρίβωνα, ὑπήνην, βακτηρίαν *pallium*, *barbam prolixam*, *baculum*; sed alibi duo priora memorat tantum ep. 220. Fuit utique Monachorum hoc seculo incredibilis copia, Monachatus viguit insanum plane studium, et de meritis ejus, ac Monachorum miraculis, opinio nullum tenuit modum. Theodoretus vit. Patr. c. 30. testatur, infinita, numerumque excedentia, istiusmodi philosophiae exstitisse gymnasia per Orientem, et in Europa universa. De insulis maris Etrusci, vel Tyrrheni, illud etiam testatur Hieronymus ep. 30. ad *Oceanum*, et de Capraria in specie, Monachis plena, Rutilius Numatianus, Gentilis, in Itinerario lib. I., his notabilibus versibus.

Processu pelagi jam se Capraria tollit;
Squalet lucifugis insula plena viris.
Illi se Monachos Grajo cognomine dicunt.
Quod soli nullo vivere teste volunt.

Autor *paradisi*, seu Monachorum Aegypti, in prooemio testatur, se *inmensam Monachorum vidisse multitudinem, quae sub numerum cadere nequit, constantem omni aetate, in desertis, et in regionibus, tantam, ut non tantum possit terrenus Inperator adeo ingentem sibi exercitum cogere.* Addit, *non est villa neque urbs in AEgypto et Thebaide, quae non Monasteriis, sicut muris, cincta sit, eorumque precibus populi, tanquam in Deo, innituntur.* De quo, et reliquis, quae memoravi, vid. Evagrius H. I. 21. Palladius hist. Lausiaca, historia Monachorum AEgypti, *Paradisus* inscripta, autore, ut putatur, Heraclide, apud Coteler. monum. Gr. tomi III. et Joh. Moschi *pratum spirituale* sec. VII.

§. XCIV. Sed nova quaedam Monachorum instituta, hoc seculo orta, enarrasse, non abs re fuerit. In scenam prodierunt, licet pauci numero, *Stylitae*, ita adpellati, quod

super

iper columna degerint, autore Simeone Stylita: de quo :gendus est Evagr. H. I: 13. Theodor. Lector. I et II. t Theodoret. in Philotheo, qui institutum illud defendit xemplo Prophetarum V. T., paradoxe saepe agentium, ex ecentioribus Leo Allat. de Simeonibus. Narrat vero Theod. .ect., Monachos AEgypti, ejus instituto primum offensos, deo ut libellum excommunicationis ad eum miserint, dein, um ejus mores et vitam perspexerunt, mutasse sententiam. Iabitavit autem ipse in excelsa columna prope Antiochiam, 1 parte inferiore septem annos, sed in vertice triginta; :upendas exercuit vitae asperitates, conciones inde habuit d populum, et varia traditur patrasse miracula: scripsit quoque aliquas epistolas, praecipue pro concilio Chalcedon., uarum una exstat apud Evagr. H. II: 10. Mortuus est ıb Leone Inperatore. Columnae ipsius rudera censentur aduc superesse in vicinia Antiochiae et Aleppi, testibus itieratoribus, qui eam devotionis ergo visitant. Vid. Taverier. p. I. l. II. Mullerus et alii. Praeter ipsum memoraır discipulus ejus, qui idem tenuit institutum, Daniel, pud Theodor. Lect. I: 18.

§. XCV. Originem suam huic seculo etiam debent ἀκοίμητοι insomnes, ita dicti, quod divina officia noctes atque ies, sine ulla intermissione, peragebant, quo fini sese in res coetus, se continuo excipientes, dividebant: quorum ngens fuit veneratio, et magna Monasteriorum Constantinoolicopia. Ordinis fundator celebratur Alexander quidam, cuıs vitam, a discipulo scriptam, edidit Bollandus act. sanct. Mens. Januar., qui primum ordinis coenobium erexit ad uphraten; dein CPol, defunctus circa a. 430. Translaum, post ejus mortem, est coenobium in Bithyniam a Joanne Calybita ejus successore, a quo cum habitum accepisset Marcellus, institutum illud late sparsum est. Deinde studitarum nomine adpellati sunt a Studio, qui, Consulatu Romae a. 444. gesto, Monasticam illam vitam est amplexus, t celebre pro hoc ordine erexit Monasterium Theod.

Lect. I: 17. Nicephor. H. XV: 23. Quod primum est Monachorum a fundatore denominatorum exemplum. Ceterum hi Studitae faverunt Nestorio, et postea causam imaginum contra Iconoclastas fervide egerunt. Mentionem quoque facit Cassianus coll. VIII. cap. 3. nonnullorum Monachorum, qui dictum Christi, de *cruce sua tollenda*, simpliciter intelligentes, sibi cruces ligneas fecerunt, easque jugiter humeris circumtulerunt; sed qui eo ipso non aedificationem, ut subjungit, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Cujus rei nescio num alius aliquis meminerit. Benedictus sec. VI. in Regula sua c. 1. genus Monachorum memorat, *quod vocatur*, inquit, *gyrovagum*, *qui tota vita sua per diversas provincias*, *ternis aut quaternis diebus per diversorum cellulas hospitantur*, *semper vagi* — — *et propriis voluptatibus et gulae illecebris servientes*, *et per omnia deteriores Sarabaitis*. De quibus ad sec. IV. egi. Sed in Syria ac Mesopotamia singulare prorsus Monachorum genus in lucem prodiit, quos Βοσκοὺς *pascentes* fuisse dictos, narrat Sozomen. H. VI: 33. et Evagr. I: 21. qui, more pecudum, in montibus degebant, sine ullis domiciliis, nec nisi herbis vescebantur, Deum precibus et hymnis continuo celebrantes; a consortio hominum, aeque ac pecudes, abhorrentes. Sed hujus generis homines jam sec. IV*to* fuisse, patet ex Ephraemi Syri sermonibus de *Patribus defunctis*, et ad Johannem Monachum, modo genuini sint. Vid. Asseman in Prolegom. t. II. Oper. Gr. et Lat. Ephraemi. Denique Canonici Regulares, ad exemplum Augustini, de quo in ejus vita, introducti sunt Laterani a Gelasio Papa, qui erant Clerici, certis regulis adstricti, et una, instar Monachorum, viventes. Vid. Onuphr. Panvin. ad Platinam in vit. Pontificum: not. ad Felicem III., qui addit, eos ibi usque ad Bonifacium VIII. durasse, ab eo expulsos; ex *archivis* Basilicae Lateranensis. Unde ad alias Ecclesias hoc institutum postea transiit.

§. XCVI. Monachorum avaritiam, luxuriam, et hypocrisin,

ut ad mores Christianorum pergam, perstrinxerunt et
tiles, et Christiani. Vid. van Dalen de Oraculis diss. I.
tas cordis inquit autor *de temperantia et virtute*, qui
ychius censetur, cujus supra memini, in principio ser-
is in Bibl. M. P. tom. XII. *ob ignaviam et negligentiam*
am hodie profecto rara est in monachis Distinguit etiam
centur. I. §. 70. inter *exteriorem Monachum*, qui rebus
oralibus abrenuntiavit, quod non est difficile, et inter
iorem, qui cogitationibus et adfectionibus valedixit,
l non est *exigui operis*. Monachorum depravatos mo-
variis in epistolis taxavit Nilus Monachus, in specie,
l sese impudenter in aliorum negotia ingesserint, con-
o in externis judiciis praesentes, *turbas*, *tumultusque ne-*
'os, *sparserint*, uti ex. gr. epist. 77. libri II., et ibid ep.
nec non l. III. ep. 119., ubi addit, vitam monasticam
terea factam esse abominationi: sed vitae Monasti-
depravationem fusius et severius depinxit et repre-
dit, veramque vitam, ab omni cura munadna et secula-
s negotiis liberam, et rebus divinis unice intentam, de-
sit in *tractatu de Monastica exercitatione*, ut et in *pe-*
ia, ac alibi. Praeterea quibusvis negotiis se inmiscue-
, variasque concitarunt turbas: unde factum est, ut Mo-
i, ante tantum, ut laici reliqui, subjecti Episcopis, arc-
fuerint iis obnoxii facti in Oriente, secundum con-
m Chalcedonense, in Occidente paulo serius Se-
sequente. De quo legi meretur Boehmer Jur. Eccles.
II. tit. 35. Attamen fundamenta quoque jam jacta
privilegiorum Monasteriis postea concessorum, quibus
coporum jurisdictioni sunt exemta, uti in concilio Are-
sse, notante Mabillonio Annal. Benedict. lib. I. Chris-
i in genere, etsi pro fide et opinionibus suis strenue
rtarint, in externis religionis officiis ingentem de-
straverint devotionem, attamen, praeter multiplicem
rstitionem, quae magis magisque invaluit, ut ex supe-
bus elucescit, etiam paganicam, de qua Salvianus de

 guber-

nius Apollin. l. VII. ep. 9. Isidor. Pelusiota l. I. ep. 37. l. II. ep. 125, 127, 139. lib. III. ep. 259. et 488. l. IV. 133. ne alia loca excitem. Adplicat denique ad sua tempora Pauli verba 2. Tim. III: 1. Theodoret. ad eum locum, dicitque, ea tunc fuisse inpleta. Tandem in vitiis, et corruptis moribus, Britannorum depingendis luxuriatur Gildas de *excidio Britanniae*, qui sequente seculo floruit, de quo suo loco. Vid. etiam Beda hist. Angl. I: 14. Ubi inter alia dicit, mores jam ante Saxonum invasiones adeo fuisse corruptos, *ut non solum seculares viri, sed etiam ipse grex Domini, ebrietati, animositati, litigio, contentioni, invidiae, ceterisque hujusmodi facinoribus, sua colla, abjecto levi jugo Christi, subdiderint.* De Africanis suis etiam dicit Victor Vitensis Hist. Pers. Vandal. l. V. fin. *Quis ignorat haec nobis probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus a mandatis Dei, et in lege ejus nolentibus ambulare.*

PARTES ACCIDENTALES.

HAERESES.

§. XCVIII. De Nestoriana haeresi, prima ordine temporis in Oriente, antequam exponam, haeresiarcha *Nestorius*, Patriarcha CPolitanus, describendus est; cujus vitam et haeresin quinam ex Veteribus et Recentioribus depinxerunt, qui scire avet, adeat Fabricium Bibl. Gr. vol. IX. Consulendus in primis, et cum nostra historia conferendus, ex Recentioribus est Saligius de Eutychianismo ante Eutychen. c. 23. qui, ex mea opinione, motuum inde ortorum usque ad mortem ejus, egregiam dedit narrationem. Fuit Nestorius, gente Syrus, Germanicia oriundus, professione Monachus, in laura Euprepii, prope Antiochiam, teste Evagrio, ubi Johannem Antiochenum et Theodoretum habuit socios, discipulus Theodori Mopsuesteni, et ingens Chrysostomi aemulator. Ex monacho vero Presbyter factus Antiochiae, cujus

cujus erat, fidem Competentibus explicare, et refutare haereticos, magnam eruditionis, pietatis, ac ſtudii contra haereticos, ſibi laudem comparavit et famam, qua Inperator Theodoſius motus, eum, cum circa novi Epiſcopi CPolitani electionem in duas eſſent diviſi factiones, evocavit, ut factiones ſopiret. Sedem Patriarchalem CPol. cum a. 428., Socrat. H. VII: 28., hac ratione capeſſiviſſet, oratione coram Inperatore mox habita, in haec temeraria fertur prorupiſſe ad eum verba: *tribue mihi, Inperator! terram haereticis purgatam, et ego tibi coelum tribuam: Tu mihi in profligandis haereticis ſubveni, et ego tibi in profligandis Perſis ſubveniam*, Socrat. ib. c. 29., qui addit, Neſtorium his verbis viſum eſſe, *non tam zelum fidei, quam animi intempeſtivam audaciam, et inanis gloriae cupiditatem prodidiſſe.* Narrat praeterea hiſtoricus, eum, quinque diebus poſt, deſtruendam curaſſe Arianorum Eccleſiam, ſed eos praevenientes faces in eam inmiſiſſe, eo cum eventu, ut ignis vicina corripiens urbem vaſtaſſet, niſi Deus mirabiliter interceſſiſſet: quare eum deinceps *πυρκαΐαν incendiarium* fuiſſe adpellatum, tradit. Porro ſaeviiſſe traditur in Macedonianos, Novatianos, Quartadecimanos, Caeleſtianos, alioſque, haereticos dictos, imo ab Inperatore inpetraſſe legem, quae eſt 65. Cod. de *haereticis*, contra omnes haereticos, qua alii, ut Novatiani et Sabbatiani, ſuis Eccleſiis jubentur eſſe contenti, alii, ut Ariani, Macedoniani, Apollinariſtae, eas extra urbes, non in illis, habere, alii nuſquam in orbe Romano, alii, ut Manichaei, in exilium pelluntur. De quo ſuo facinore ipſe gloriatur in *Synodico contra tragoediam Irenaei*, ſupra citato.

§. XCIX. Sed dum haec agit, ipſe malorum ſuorum jecit fundamenta, ſortem zelota dignam nactus. Eo enim ipſo anno 428. ab Anaſtaſio presbytero, quem ſecum Antiochia duxerat, paſſus non tantum eſt, Mariam publice negari *Θεοτόκον deiparam*, ut habet Socrat. VII: 32. (quod tamen a Dorotheo eſſe factum tradit Cyrillus in epiſt. ad Acacium

Beroënsem ;) sed et ipse sermone habito de *Incarnatione Dominica*, qui apud Marium Mercat. superest, idem fecit ac defendit. Unde prima orta est origo motuum, maxime cum paulo post altero sermone adversus Arianos et Macedonianos, ibid. apud Marium Mercat., ulterius illud confirmasset. Ad quos sermones multi, in primis Monachi, vehementer sunt commoti, eo etiam usque, ut in Ecclesia nonnulli publice reclamarint, sicut in primo sermone quidam Monachus fecit, uti habetur in Monachorum relatione, Inperatori oblata, in Actis Ephesinis, et in posteriore Eusebius, Dorilaei Episcopus, tunc adhuc laicus, teste Cyrillo lib. I. *contradict.* Pronunciavit postea Nestorius tertium sermonem in Apollinar. *de inconfusis in Christo naturis*, ibid. apud Marium Mercat., a quo tempore plebs magis est accensa non tantum, sed et aliae Ecclesiae sunt perturbatae, cum Eusebius ille publicam contra eum proposuit obtestationem, cum omnibus communicandam, qua Pauli Samosateni haeresin Nestorio inputavit. Exstat apud Leontium l. III. *contra Eutychianos et Nestorianos*, nec non in Actis Ephesinis. Quod idem eodem tempore fecit Marius Mercator in epist., quae superest. Creverunt mox motus per Procli, Cyzenorum Episcopi, orationem panegyricam pro Deipara contra Nestorium, Constantinopoli habitam, qua, ipso licet non nominato, haeresis ejus perstringitur, apud Marium Mercat. Vid. Theophanes et Cedrenus. Cum vero ei publice adplauderetur, Nestorius, extemporanea habita oratione, quae ibid. prostat, contradixit. Quod aliis quatuor sermonibus, ibid., postea luculentius peregit.

§. C. Nec intra Ecclesiam CPol. manserunt motus. Nestorii tractatu de Incarnatione ad Provincias misso, et ad Monachos quoque AEgyptios delato, Cyrillus Alexandrinus se ei opponere coepit, scripta ad Monachos epistola, ut Cyrillus in epist. ad Caelestinum Papam in actis Ephesinis refert. Quae epistola, cum in Nestorii manus

venisset,

venisset, eum in Cyrillum animavit. Utique Cyrillus, ejus ope, a nonnullis Alexandrinis, quos excommunicaverat, reus est actus Ecclesiae male administratae, et tyrannidis in Inperatorem; uti habetur in Actis Ephesin., et Cyrilli apologetico ad Theodosium. Scripsit mox, post litteras a Caelestino acceptas, quibus notitiam horum motuum petiit Papa, ad Nestorium epistolam, qua ipsi hos motus inputavit, et poenitentiam suasit: quae apud Mar. Merc. exstat. Ad quam, cum breviter, sed acriter, rescripsisset Nestorius, Cyrillum probans verba sua truncasse, et nexum disrupisse, apud Baluzium nov. collect. p. 644.; apertum inter duos hosce Antistites bellum exortum est. Nestorius, ut Caelestini animum praeoccuparet, tractatus suos cum litteris ad eum misit; apud Marium Mercat. Sed circa idem tempus Inperatori a nonnullis Monachis libellus supplex est oblatus contra Nestorium, in actis Ephesinis, quo de ejus violentiis queruntur, et Synodum convocari petunt. Interea, dum Cyrillus et Nestorius in partibus suis firmandis laborant, Papa quoque non quievit. Nestorii litteras et tractatus ad Cassianum, Leonis diaconi Papae amicum, misit, ut in linguam Lat. verterentur: unde Cassiani libri de *Incarnatione* contra Nestorium orti sunt. Scripsit quoque Nestorius secundam ad Cyrillum Epistolam, quae ibid. apud Marium Mercat. prostat. Haec, et horum similia alia, duobus primis Nestorii annis acta sunt, quibus caussa Nestoriana crevit, teste Epistola ejus ad Cyrillum. Sed et multi in eam venerunt opinionem, litem magis esse de vocibus, quam re ipsa, uti Acacius Beroensis in epist. ad Cyrillum, in Actis Ephesinis, de se et aliis testatur.

§. CI. Oleum denique flammae temere infudit a. 430. Caelestinus Papa, eamque reddidit inexstinguibilem. Synodo enim Romae coacta, sententiam excommunicationis in Nestorium festinanter tulit primus, poenitentiae tempore fixo; misit quoque, praeter epist. ad ipsum Nestorium, varias epistolas Synodicas ad Clerum CPol., Cyrillum,

 aliosque

aliosque majorum sedium in Oriente Episcopos, simul Cyrillo vices suas commisit, ut in posterum suo quoque nomine loqueretur, et ageret. Vid. acta Ephesina. Quod exemplum aeque praeceps secutus Cyrillus, Synodo habita Alexandrina, Synodicam misit Nestorio, quae fidei expositionem, duodecim anathematismos, ab ipso subscribendos, et Caelestini sententiam in ipsum, continebat: exstat etiam apud Mar. Mercat. Per quae non tantum molimina, sed nec per ipsius Johannis Antiocheni epistolam, eo fini scriptam, permoveri potuit Nestorius, ut a coepto desisteret, aut Mariam profiteretur *Deiparam*: contra, ipse Theodosium, ut generale concilium convocaret, incitavit, inprudenter existimans, se, Potentum et Antiochenorum auxilio, facile superiorem futurum. Condixit itaque Inperator Synodum, Ephesi a. 431. habendam, litteris quaquaversum missis, in specie ad Cyrillum, quibus causam motuum ipsi non tantum inputat, sed et inpotentem dominandi libidinem, aliaque non minus gravia vitia, exprobrat; in Actis Ephesinis. Ipse Nestorius litteras ad Caelestinum dedit, quibus eum hortatur, ut litibus componendis operam det, et duabus utriusque partis vocibus, θεοτόκε et ἀνθρωποτόκε *Deiparae* et *viriparae* vitatis, dicendam decernat Mariam χριστοτόκον *Christiparam*, apud Marium Mercat.; ubi duo adhuc alii Sermones, ad hanc causam pertinentes, a Nestorio pronunciati, habentur. Denique duodecim Cyrilli anathematismis totidem alios oppofuit. Cum, Ephesina Synodo a. 431. coacta, adventus Antiochenorum exspectaretur, conati adhuc sunt Theodotus Ancyrae, et Acacius Melitenes, Episcopi, pro vetere amicitia, eum a sententia abducere; sed tantum abest, ut illud effecerint, ut, si actis Ephesinis fidendum sit, ab ipso responsum tulerint, *Deum ego bimestrem* aut *trimestrem* non colo, *nec eum, qui fugit in Aegyptum*; sed quod demum additum exstat in relatione Synodica act. III. ad Clerum populumque CPol. Verum Theodotus act. I. tantum retulit, eum Deum bimestrem,

aut

aut trimestrem adpellare, nefas esse dixisse. Acacius retulit, Nestorium in primo colloquio visum fuisse errori renunciare, sed in secunda eum rursus adseruisse, et alterutrum dixisse sequi debere, vel Deitatem unigeniti non esse incarnatam, vel Patris et Spiritus S., aeque ac Filii, deitatem esse incarnatam, unum sociorum ejus dixisse, alium esse Filium, qui mortuus est, alium esse Dei verbum, rursus alium dixisse, Judaeos non in Deum, sed hominem, exstitisse inpios.

§. CII. De quibus quicquid sit, Nestorius a Synodo Ephesina, ut supra in ejus historia narravi, damnatus est, Synodus quoque a Theodosio confirmata, et Nestorius sede est deturbatus, in locum ejus suffecto Maximiano Socrat. H. VII: 34. 36. Animus Theodosii erga Nestorium censetur mutatus per Pulcheriam, sororem Inperatoris, foeminam summae autoritatis, quae Nestorium, quia ab ipso tanquam scortationis rea traducta erat apud Theodosium, odio prosequebatur; ut Suidas tradit in Pulcheria. Fuit praeterea in exilium pulsus a. 431. in proprium Monasterium S. Euprepii prope Antiochiam, ubi quatuor trivit annos, ut ipse testatur apud Evagrium H. I: 7., nulla tamen exilii facta mentione, sive dissimulaverit, sive libere ipsi permissum sit ibi degere: illud certum est, jussu Inperatoris eum ibi se continuisse, ut ipse fatetur in epist. in Synodico Irenaei. Sed, cum sectam non cessaret promovere, et novorum motuum metus esset, relegatus est Oasin, urbem Marmaricae in finibus AEgypti, a. 436., ubi multa passus est, ut conqueritur apud Evagrium l. cit. Qui, de morte ejus agens, refert, se apud quendam scriptorem legisse, eum, *lingua vermibus erosa, ad sempiterna migrasse supplicia*, quare exitum ejus cum Arii comparat. Putredine ipsum fuisse absumtum simpliciter tradit Theodor. Lect. l. II. c. 38. vel potius anonymus, qui ea, quae ab eo cap. incipiunt, adjecit Theodoro, unde sumsit Theophanes in Chronogr. Sed nemo Veterum hujus historiolae meminit, et amarum aevi

zelum redolet. Jussit praeterea Theodosius, libros Nestorii comburi, ut acta Ephesin. habent, et *Synodicon* contra tragoediam Irenaei, haeresin quoque Nestorianam *Simonianam* esse adpellandam, ac Nestorium ab omnibus anathematizandum, lege publicata a. 435. Vid. Gothofred. ad cod. Theodos. l. XVI. tit. V. de *haereticis*. Cujus denominationis ratio non est a Simone Mago, cum ipso, repetenda, sed ab haeresi Simoniana, quae Jesum inter et Christum, seu hominem inter et Deum, in Jesu quoque distinxit, ut suo loco exposui. Nihil propterea de libris Nestorii superest, praeter *epistolas* aliquot, et *sermones*, apud Marium Mercat. Garnerii. Sed exstat quoque Liturgia, ejus nomen praeferens, Syriace in Missali Chald. in usum Maronitarum, et Latine apud Renaudot. collect. Liturg. Orient. tom. I.

NESTORIANISMUS.

§. CIII. Nestorianismi vera notitia petenda est, 1. ex ipsius Nestorii Sermonibus et epistolis, aliisque fragmentis, apud Marium Mercatorem, et in Actis Ephesinis. 2. ex ejus praecursorum et adseclarum scriptis, in specie Diodori Tarsensis et Theodori Mopsuesteni; quorum aliqua supersunt fragmenta. De quo supra. Exstat Symbolum Nestorianum apud Mar. Mercat. Garnerii p. 251. quod Theodoro tribuitur; sed ex prolixiore Theodori videtur a Nestorio, vel Nestoriano, contractum. Autorem quoque Nestorianum habet *expositio fidei*, inter Justini Martyris sec. II. opera, ut probavit le Quin Dissert. Damascen. IV. et quidem ipsum Theodorum Mopsuest., secundum Jablonskium in epist. ad la Croze, Epistolarum tom. II. Similem etiam autorem redolet liber *quaestionum ad Orthodoxos*, inter Justini M. opera, ut la Croze recte observavit in Bibl. Brem. class. V., qui Diodoro Tarsensi vindicavit. Conferendus etiam est Facundus Hermianensis, sec. VI. scriptor, in *defensione trium articulorum*, nec non quae Theodoretus contra Cyrilli

rilli anathematismos pro Nestorio scripsit, de quo supra in Theodoreto. Vera Nestorii sententia optime exhibetur in epist. Eutherii, Tyanensis Episcopi, ad Alexandrum Hierapolitanum, *in Synodico* adversus tragoediam Irenaei, in collect. nov. Baluzii. Cujus etiam sunt *sermones*, inter Athanasii opera ante male relati, et Eutherio vindicati a Garnerio, in *auctario* Theodoreti. Ceterum hi *sermones*, qui pro tractatu dogmatico haberi possunt, haud uno nomine adtentione et lectione digni sunt. Invehitur mox in principio in adversarios Nestorii, tanquam temerarios et violentos persecutores, simul ignorantes, qui, causa incognita, damnant alios dissentientes, multisque modis vexant, crudelitatem sub specie zeli orthodoxiae exercentes. Taxat deinde eos, qui veritatem et fidem ex multitudine confitentium, et non ex ratione ac Script. S. dijudicandam volunt, simul ex Scriptura S. nolunt hauriendam, cum quod sufficiat id, quod fides recepta dictat, tum nimis sit incerta et ambigua scriptura. Denique AEgyptiorum objectiones, et phrases nonnullas inconditas, ex. gr. *Verbum passum inpassibiliter*, *verbum in carne passum est*, refutat.

§. CIV. Duplex est Nestorianismi facies, probe distinguenda, una vera, altera secundum vulgatam opinionem, illa benignius et restricte, haec invidiosius et absolute, explicita; cujus utriusque dabo paulo adcuratiorem intellectum. De genuina ejus facie judicium est ex origine et fundamento Nestorianismi ferendum. Perverse vulgo opinantur, Anastasii presbyteri, vel Dorothei, facinus, quo Mariam esse θεοτόκον *Deiparam* pro concione inficiatus est, causam et originem esse Nestorianismi: quod longe secus se habet. Motuum quidem occasio inde forte nata est, ut in vita Nestorii narravi, sed origo ex statu Ecclesiarum Orientalium, eorumque doctorum doctrina, derivanda est. Constat enim ex Mario Mercatore, aliisque, hanc ipsam methodum incarnationis Christi exponendae a Diodoro Tarsensi, et Theodoro Mopsuesteno, esse contra Arianos et Apollinaristas

ristas inventam: de quo fragmenta eorum, suis locis supra memorata, abunde testantur. Vid. quoque epist. Synodica Orientalium ad Cyrillum apud Facundum de *tribus cap.* l. VIII. et X. Hi autem doctores, quorum discipulus fuit, cum nonnullis ejus fautoribus, Nestorius, occasione Apollinarismi paulisper a communi via incarnationem Christi tradendi deflexerunt, et adcuratiorem, Apollinarismo magis contrariam, aperuerunt. Quod cum ex Nestorianismi ac Apollinarismi collatione optime et dilucide perspici queat, eam in clariore luce collocasse, operae fuerit pretium. Recte autem, praeter alia, Orientalium doctrina, Apollinarismo opposita, petitur ex Chrysostomi epist. ad Caesarium Monachum, supra citata.

§. CV. Apollinaristae unionem divinae et humanae naturae in Christo eandem prorsus statuerunt, ac quae inter mentem et corpus est in homine, quatenus mentis locum in Christo tenuit divina ejus natura; eique opinioni omnes adaptarunt phrases. Contra instituerunt Doctores Orientales, quorum studium fuit, naturarum Christi distinctionem et divisionem sartam tectam tueri; qui, duas in Christo fuisse et mansisse naturas perfecte et complete, fortiter defenderunt, et emphaticis, ac distinctis, phrasibus, quantum fieri potuit, adcurate expresserunt. Quod paulo plenius per partes exponam. 1. Unionem Dei verbi non μετὰ τελέιυ ἀνθρώπυ *cum homine perfecto*, ex mente, anima et corpore constante, sed *inperfecto*, esse, dixerunt Apollinaristae, ut est apud Gregorium Nyssenum in Anthirret. c. 22. Cui errori Orientales opposuerunt in Christo esse Deum perfectum, et τέλειον ἄνθρωπον *perfectum hominem*, h. e. ex anima rationali et corpore compositum, ut diserte habetur in Symbolo Theodori apud Marium Mercat. p. 251. 2. Quam ob rationem cum Apollinaristae vocem σάρκωσιν *incarnationem* lubentius usurparent, quia corpus sine mente humana in Christo statuerunt, Orientales ἐνανθρωπήσεως vocem iis opposuerunt, eaque passim usi sunt, ut, *hominem*

minem Christum esse factum, docerent, simul vocem *carnis* eo sensu sumi urserunt in Script. S., cum *sermo caro* dicitur factus Joh. I. Praeterea 3. hujus unionis respectu vel ipsi Apollinaristae, vel alii, eorum opinioni convenienter, adhibuerunt vocem κράσεως *commixtionis*, et adpellarunt συνουσίωσιν, unde Synusiastae dicti sunt, μίαν σύνθετον οὐσίαν, μίαν συγκρατον οὐσίαν *unam compositam*, *commixtam*, essentiam vel substantiam: ut est in fragmento epist. Apollinar. apud le Quin ad Damascenum tom. I. p. 95. Unam itaque dixerunt esse in Christo substantiam, vel essentiam, *mixtam* et *temperatam* ex mente divina et carne humana. Utique *Synusiastae* passim audiunt, et libri contra ipsos, qua tales, conscripti sunt; uti Diodori, Theodori, Cyrilli, et Theodoti Antiocheni libri contra Synusiastas comprobant. Sic et Liberatus in *breviario: ex hac radice in Ecclesiis germinavit una carnis Deitatisque natura*, etc., nec non Nestorius serm. 8*vo*. Hunc ut evitarent scopulum Orientales non solum fortiter urserunt naturarum discrimen, sed et omnes vitarunt voces, quae vel minimam indicare videbantur commixtionem, aut ab Apollinaristis in favorem trahi poterant. Unde est, quod voce ἑνώσεως *unionis* missa, eam συναφείας *adaptationis* passim adhibuerint: uti diserte Nestorius serm. 2*do*. fatetur, se ἄκραν συνάφειαν *summam adaptationem* dicere, et non ἀποθέωσιν *deificationem*, *ut recentiores dogmatistae faciunt*. Praeterea unitatem καθ' ὑπόστασιν *substantiam* et essentiam dicere noluerunt, *ne carnem in divinitatem adsumtam* significarent: sed contra, ἐνοίκησιν *inhabitationem*, ἔνδυσιν *indutionem*, ἀνάληψιν *adsumtionem*, frequenter dixerunt, et *templi*, *indumenti*, *instrumenti*, aliisque similitudinibus usi sunt, ita Nestorius serm. 7*mo* et alibi saepe. Provocarunt quoque ad Joh. I. effatum, *sermo caro factus est*, *et habitavit in nobis*, seu natura nostra; et Joh. II. *solvite templum hoc* etc., uti saepe apud Marium Mercat. p. 5, 12, 15, 27, 34, 105. alibi. Denique ideo dixerunt, unionem esse κατὰ χάριν, κατ' εὐδοκίαν *secundum gratiam*, *beneplacitum*,

quia ex Patre natura est genitus, templum vero, quod ex Maria natum, ipse ex utero sibi fabricavit: ut Theodori verba habent, in Synodo V*ta*. recitata; et apud Leontium in Bibl. Patrum ex Theodoro l. VII. de *incarnatione* citatur, *verbum beneplacens habitare*.

§. CVI. 5. Huic suae hypothesi aptarunt Apollinaristae nomina et phrases, respectu *carnis* et ejus proprietatum physicarum. α. Corpus Christi non quidem *incorporeum*, quod ipsis adfingitur, sed *divinam carnem unione verbi factum* dixerunt, ut verba habent Apollinaris apud Leontium adversus *fraudes Apollinaris*, in antiquis lectionibus Canisii, qui eo refert dictum Domini, *Spiritus est qui vivificat carnem*: ita etiam Timotheus Apollinaris ibid., ubi et haec occurrunt verba, *caro autem, ut caro Dei, Deus.* Orientales e contra *hominis notionem* studiose inculcabant, ut et divisionem naturarum etc. β. Mariam θεοτόκον *Deiparam* esse adpellandam, quia unam peperit naturam, mentem divinam cum carne, adeoque ipsam divinitatem cum carne conjunctam, vehementer contenderunt Apollinaristae, et vocem ἀνθρωποτόκον *viriparam* nulla ratione admiserunt, quare Catholicis inputabant, eos esse ἀνθρωπολάτρας *hominis cultores*: ut supra ex Gregorio observavi. Orientales vero, licet utramque vocem adhiberi posse concesserint, posteriorem etiam priore esse aptiorem statuerint propter Apollinaristas, attamen rectius dici putarunt χριστοτόκον *Christiparam*, quia Christi nomen utramque exprimit naturam. Ita ubique apud Marium Mercatorem. γ. Denique, proprietates carnis divinitati, quippe cum carne in unam naturam unitae, recte tribui, adeoque divinae quoque naturae eatenus competere nativitatem et passiones, vel censuerunt Apollinaristae, vel ipsos statuere debere contenderunt Orthodoxi, et ita contra eos disputarunt. Vid. Basilius M. ep. 65. Gregor. Nazianz. Orat. LI. et LII. Nyssenus in Antirrhet. c. 30. 33. Dicunt, inquit Facundus Hermian. l IX. *Filium in propria divinitate passum, divinitatem corpori commortuam esse, Deum ipsum*

ipsum esse mortuum. etc. Cui errori ut obviam irent Orientales, negarunt, Deum esse natum aut mortuum, sed Christum dixerunt, quod nomen utrique naturae est commune, aut, proprie loquendo, hominem esse natum, ac mortuum, per Deum, ut Apollinaristae, intelligentes divinam naturam, ideoque vocem abstracte sumentes. Deus non est natus, inquit Nestorius, sed per Mariam παρῆλθεν transiit, apud Marium Mercat. p. 31. et προῆλθεν p. 97., sic et p. 5, 9, 13, 34, 38., ubi, Christo, Domino, Filio, tanquam nominibus communibus, sed non Deo, h. e. divinae naturae, ea adtribui posse, contendit. Passionem enarrans Scriptura nomen Dei nunquam adposuit, inquit Theodoretus epist. 130.

§. CVII. Hanc collationem qui recte adverterit, non tantum, quid Orientales ad novam methodum compulit, facile perspexerit, sed et in quo illa sita sit; quod posterius, ut hypotheses Orientalium in clariore collocentur luce, paulo distinctius est explicandum. 1. In Christo perfectum agnoverunt Deum, et perfectum hominem. 2. Nomina, utrumque exprimentia, statuerunt esse Christum, Filium, et Dominum, sed divinitatis proprium esse nomen Dei, humanitatis vero illud hominis. 3. Hisce autem nominibus aptarunt proprietates utriusque naturae. De Christo, Filio, et et Domino dixerunt, eum esse Deum et hominem, ab aeterno ex Patre, et in tempore ex Maria natum, passum, et non passum. Deo autem nativitatem et passionem abjudicarunt, homini adtribuerunt: sic et Deum esse pontificem, et se obtulisse inficiati sunt, illud homini tribuentes. Dei passionem non dici, sed Christi, incarnato Deo per adsumtam carnem passo, statuit quoque, contra Theopaschitas, Isidorus Pelusiota l. I. ep. 124. qui et ep. 323. habet, Deum hominem factum, et unum Filium esse ex duabus naturis. 4. Per consequens censuerunt, Mariam non esse dicendam θεοτόκον, nec ἀνθρωποτόκον, sed χριστοτόκον, non Deum, aut hominem, sed Christum peperisse, ut medium inter Apollinaristas et Photinianos tenerent; quia Maria peperit non

Divinitatem, sed humanam naturam; nec hanc solam, at cum divina unitam. 5. Unitionem esse quidem διηνεκῆ *perpetuam*, apud Marium Mercat. p. 99. ἀχώριστον *inseparabilem* p. 252. inseparabilem *omni tempore* p. 13., 35. 37., adeoque ἄκραν καὶ θείαν συνάφειαν *summam et divinam conjunctionem*, p. 60. 66., attamen ἀσύγχυτον *inconfusam* p. 11., salvis naturis in Christo divisis p. 5. Adeoque 6. unitionem minus recte exprimi per ἕνωσιν, συνουσίωσιν, *consubstantialitatem*, et unitionem καθ' ὑπόστασιν, aut οὐσίαν *substantiam* aut *essentiam*; quippe mixtionem involventes, et divisionem naturarum tollentes, sed per συνάφειαν, ἐνοίκησιν, ἔνδυσιν *coaptationem*, *inhabitationem*, *indutionem*, ἀπόληψιν *adsumtionem*, et hominem esse dicendum, Templum, indumentum, Deum vero esse, qui inhabitat et induit. Quae ubique sese offerunt. Sic et Basilium M. et Gregorium Nazianz. dixisse, Christum non factum esse hominem, sed ἐνοικῆσαι ἀνθρώπῳ *inhabitasse hominem*, et propterea sese ab iis separasse Apollinarem tradit Philostorg. H. VIII: 13.

§. CVIII. 7. Denique, interiorem unitionis modum statuerunt fuisse κατὰ σχέσιν καὶ ἐνέργειαν *relativam et effectricem*, secundum quam homo participat honorem Dei, ejusque continuum experitur influxum, Deus hominis actiones et passiones sibi adtribui vult. Nestorius serm. 4*to*, qui lectus est in concilio Lateranense a. 649., haec habet: *non alius erat Dei verbum, et alius in quo factus est homo, erat enim amborum una persona, dignitate et honore adoranda.* Sic et epist. ad Alexandrum Hierapolitanum, ibid. lecta, *duarum naturarum una est autoritas, una virtus, una potentia, et una persona secundum dignitatem.* Naturae in Christo sunt, secundum Nestorium, διπλαῖ τῇ φύσει *natura duplices*, τῇ δὲ ἀξίᾳ μοναδικαὶ *dignitate unae, et simplices*, apud Marium Mercat. p. 9, 10, 36, 37. 39. Unde, hominem dixit esse colendum, *propter Deum cum eo unitum*, ibid., et p. 99. *perfectae Deitatis, et perfectae humanitatis, in unum Filium conjunctarum, excellentior contemplatio; duarum jus naturarum in unam autorita-*

toritatem ratione divina conveniens, ibid. p. 93. Hominem conjunctione ad Deum etiam dici Deum adserit p. 98., ita Filium dici, quia illi est conjunctus, ibid., et Deum Verbum sine humanitate nihil facere, vid. et p. 105. Filius duplex non dignitate, sed natura. Rursus ibid. *de Christo tametsi dicamus Templum, sed minime a Deitate separabile, et conjunctum Deo, totam possidens operationem divinam, et nunc coopificem Dei, et quod cum eo omnium dominetur:* et mox, *super excellentem et summam quandam Deitatis conjunctionem in ipso infante exstitisse.* Denique, duas naturas esse respectu differentiae naturarum, sed conjunctionis respectu unam personam, habet excerptum ex Theodoreto apud Marium Mercat. p. 271. Sic et *πρόσωπον μοναδικὸν* Nestorius confessus est, ibid. p. 58, 59: et unam personam in epist. ad Caelestinum, in actis Ephesinis, ubi dicit, *utramque naturam per conjunctionem summam, et inconfusam, in una persona unigeniti adorari.* Eundem in modum mentem expressit Theodorus Mopsuest. apud Facundum Hermian. l. III. et Leontium l. III. contra Nestor. et Eutych., ubi diserte dicit, *inhabitationem verbi in homine non esse secundum communem inhabitationem, neque juxta eam, quae in multis intelligitur, gratiam, sed juxta quandam excellentem, secundum quam etiam adunari dicimus utrasque naturas, et unam juxta adunationem effectam esse personam.* Tandem, modum unionis sibi esse incognitum, et ineffabilem, fassi sunt: sicut Nestorius *de recta fide* scribit ad Theodosium, in tomis conciliorum, *est sane incarnationis modus admodum profundus, vereque inexplicabilis, talis demum, qui cogitationis captusque nostri angustias multis modis excedat.* Vid. etiam testimonia a Garnerio adlata, diss. ad Marium Mercat. p. 295. et anathematismi duodecim Nestorii, ab Assemanno Bibl. Orient. vol. IV. p. 144. editi, qui orthodoxiam spirant. Egregia quoque est confessio fidei Jesujabi, apud Asseman. ibid. p. 212. Nestorius denique ibid. p. 60. in epist. ad Cyrillum diserte profitetur, *corpus esse divinitatis Filii templum*, et

 quidem

quidem ſecundum *ἄκραν τινὰ καὶ θείαν ἑνωμένην συνάφειαν, ὡς οἰκειοῦσθαι τὰ τούτου τὴν τῆς θεότητος φύσιν excellentem quandam et divinam unitum conjunctionem, ita ut ea, quae ſunt ejus* (ſcilicet *templi*, nomine Dei male addito) *adſciſcat, et ut ſua reputet divina natura.* Quae eſt communio idiomatum ſatis manifeſta. Ex quibus, arctiorem unionem, ac quam pura et nuda inhabitatio, et adſiſtentia, adfert, eos ſtatuiſſe, clare ſatis eluceſcit.

§. CIX. Contemplemur nunc et ab alia facie Neſtorianiſmum, quam adverſarii ejus, qua Veteres qua Recentiores, ei adfinxerunt, ut, comparatione inſtituta, ſine partium ſtudio, rectius de eo judicetur. 1. Primus error, ipſi inputatus, verſatur circa unitionis terminos, a quo et ad quem, quo *prior* ſtatuitur, non conceptio et nativitas ex Maria, ſed poſt nativitatem, vel et tempore baptiſmi: uti ipſe Cyrillus epiſt. 2. ad Neſtorium apud Marium Mercat., Vincentius quoque Lirinenſ.. in commonit. I: 17. et alii Neſtorio adtribuerunt; *poſterior* eſt paſſionis tempus. Vid. Garnerius ad Mar. Merc. in not. p. 269. Sed hanc opinionem Neſtorio falſo eſſe tributam, eumque unitionem ab ipſa nativitate ſeu conceptione incepiſſe, et ſemper duraſſe, docuiſſe, agnovit et demonſtravit Garnerius Diſſ. I. c. 1. ad Marium Mercat. Vid. etiam Aſſeman Bibl. Orient. vol. IV. p. 217. ubi idem ex ſequentium temporum Neſtorianis probat. Quod idem, quae modo protuli, evincunt. Anſam forte hoc de Neſtorio opinandi praebuit, quod *perfectum* hominem dixerit a Chriſto eſſe adſumtum; quod tamen *partium*, et non *temporis*, reſpectu eum ſtatuiſſe contra Apollinariſtas, ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Divinitatem tempore mortis ſeceſſiſſe a Chriſti corpore, dixit etiam Ambroſius ad Luc. lib. X. §. 127. ſed reſpectu effectus, ſeu operationis. Ex quo 2. falſi quoque convincitur, quod humanae naturae cum divina unionem adſcripſiſſe cenſeatur *meritis* ejus, quodque, et hujus et ſuperioris erroris reſpectu, haereſis Neſtorii cum ea Pauli Samoſateni fuerit

fuerit confusa, ut est in obtestatione Eusebii publice proposita, apud Garnerium ad Marium Mercat., et apud alios, ut Socrat. H. VII: 31. Quae omnia ex supra dictis sponte corruunt: nec Paulianismus fuit Nestorio inputatus a Cyrillo, aut Synodo Ephesina. Repulit etiam illam criminationem Ipse Nestorius serm. 12. apud Marium Mercat. p. 84. Ansam vero inter alia praebuit, quod τῇ ἀξίᾳ duas naturas statuerit unam esse personam, acsi a *meritis* id derivasset: sed nihil aliud ea voce, ac *honoris* participationem, intellexit; praeterea, quod fundamentum et originem unionis dixerit esse τὴν εὐδοκίαν, τὴν θέλησιν *beneplacitum*, *et voluntatem*: de quo mox.

§. CX. 3. Primarius error, ipsi adtributus, versatur circa modum unitionis, quem in sola *operatione*, *adfectu*, *et honoris* participatione, ab ipso fuisse positum volunt, qualis est inter maritum et uxorem, vel Spiritum S. et Prophetas, inter Deum inhabitatorem, et templum inhabitatum: in quo Veteres et Recentiores verum errorem et haeresin quoque Nestorianismi constituunt. Fundamenta, quibus haec opinio innitur, sunt sequentia. *α. Primum* est, quod unitionem dixerit καθ' εὐδοκίαν καὶ θέλησιν *secundum beneplacitum et voluntatem*, non καθ' οὐσίαν καὶ ὑπόστασιν *secundum essentiam et substantiam*. Sed posterius propter Apollinaristas vitavit, et ut naturarum inconfusam divisionem sartam tectam servaret; ut supra exposui: *prius* vero tantum exprimit fundamentum et caussam unionis, voluntatem scilicet Filii, hominem adsumentis, ejusque effectum, quo humanam naturam tanquam suam complexus est, et homo Deum, tanquam suum. Vid. Theodorus Mopsuest. apud Leontium l. cit., ubi dicit, inhabitationem nec factam esse substantia, nec energia. scilicet sola, sed εὐδοκίᾳ *beneplacito et adfectu intimo*. *β.* Quod ad comparationem unitionis cum inhabitatore et Templo, aliasque similitudines, quibus usus est Nestorius cum sociis, adtinet, unde colligi solet, Deum verbum non aliter in humana fuisse natura, ac in Prophetis ac Apostolis, aut alio

 homi-

homine, uti in epist. 3*tia* Cyrilli ad Nestorium apud Marium Mercat. p. 72, 73., multa ad manus sunt, quae arctiorem unitionem ex mente Nestorii evincunt, adeo ut hae similitudines non sint nimis premendae contra ejus mentem. Statuit enim *a.* inperceptibilem esse unitionem, ut modo observavi. *b.* diserte adfirmat, aliam et arctiorem esse unionem: uti ipsis verbis Theodorus Mopsuest. apud Leontium, in *Christo tamen non sic dicimus factam esse inhabitationem*, scilicet sicut in Prophetis et Apostolis, etc. vid. etiam apud Marium Mercat. p. 263. Quid? quod ipse Cyrillus apud Baluzium in nova collect. p. 377. agnoscat, Nestorium admittere *μείζονα συνάφειαν* majorem conjunctionem, quam Spiritus S. cum Prophetis. *c.* Quae modo de natura unionis, et communione idiomatum, ex Nestorio, ejusque sociis, in medium adtuli, extra dubium collocant, arctiorem longe unitionem intellexisse Nestorianos.

§. CXI. *γ.* *Tertium* fundamentum vulgatae opinionis est, quod unionem *καθ' ὑπόστασιν* *secundum substantiam* recusaverit admittere Nestorius, nec Mariam censuerit dicendam *Θεοτόκον* *Deiparam*, aut Deum natum et passum. Sed 1. metus commixtionis naturarum in Christo eum ab his vocibus absterruit; ut ex superioribus patet, 2. non nisi restricte iis contradixit phrasibus et titulis. Mariam adpellari *Θεοτόκον* *Deiparam* permisit propter simpliciores, et ut paci consulatur, apud Marium Mercat. p. 30, 80, 86, hominem quoque propter unionem cum Filio dici Filium, cum Deo Deum, et ita Mariam peperisse Deum, cum carne, quam peperit, unitum. Vid. Nestorii epist. ad eunuchum Inperatoris in Synodico etc. apud Baluzium collect. nov. p. 706. Theodorus apud Leontium de *Nestorii inpietate secreto tradita*, et Nestorius in Sylloge Lupi. Quo autem sensu vox *Deipara* ex mente Nestorii admitti possit, et quo non, exponitur in epist. Alexandri ad Theodoretum 93*tia*, *in Synodico* citato. Orientalium doctrinam, divisione personarum, et confusione naturarum, vitata, expressit Theodo-

ret,

ret. ep. 21 et 109. qui, perſonas ab iis dividi, pro calumnia habet ep. 82, 83., ubi addit, ſe vocem θεοτόκον *deiparam* admittere, eoſque, qui hunc titulum refugiunt, aut Chriſtum in duas dividunt perſonas, reſpuere, imo, Mariam negare Deiparam, et Chriſtum dicere ψιλὸν ἄνθρωπον *nudum hominem*, eſſe idem. Dein ep. 84. ſe dubitare declarat, num aliqui ſint, qui Chriſtum in duas perſonas dividunt: ſic et ep. 85. et 143. ad Andream, ubi tales dari negat, et pro calumnia Arianorum ac Apollinariſtarum habet. Vid. et ep. 145.

§. CXII. 4. Adgravarunt denique Neſtorianiſmum odioſis conſequentiis, ipſi inputatis, duabus hiſce inprimis. α. Duos eſſe filios, dominos, et ſervatores, niſi naturalis et hypoſtatica ſtatuatur unio, diſputat Cyrillus epiſt. ad Neſtorium et ad Clerum CPol. Sed ſaepe proteſtatus eſt Neſtorius, ſe non duos, ſed unum, agnoſcere Filium, *duos* quidem naturae et eſſentiae reſpectu, ſed *unum* ratione conjunctionis; venire enim hominem in unius filiationis Dei communionem et communem adpellationem: apud Marium Mercat. p 9, 10, 105. et alibi ſaepe. Sic et Deum dici propter συνάφειαν *coaptationem*. Vid. etiam epiſt. Alexandri Hierapolitani ad Acacium, nec non Andreae et Eutherii Tyanenſis ad Alexandrum, in *Synodico* citata. β. Trinitatis fidem perire, et quaternionem introduci, ſi, praeter tres perſonas, homo tanquam ſeparata perſona adpelletur Deus et Filius, ei inputat, ſatis inepte, Proclus apud Marium Mercat. p. 23.

§. CXIII. Ex diſputatis non fuerit difficile, verum dediſſe diſputationis inter Orientales et Cyrillianos conſpectum, in eo quippe ſitum, quod ab utraque parte ſuam methodum hoc dogma exprimendi, ſummo cum zelo, urſerint, et contrariam evertere conati ſint. Quod utrinque egerunt, methodum verbalem in realem mutando, et contra phraſes, tanquam reales opiniones, phraſibus contra mentem eorum, qui iis uſi ſunt. intellectis, diſputando, ex. gr.

Cyrillus Mariam esse Deiparam, Deum natum et passum esse, unionem esse φυσικὴν *essentialem*, καθ' ὑπόστασιν seu οὐσίαν *secundum substantiam* vel *essentiam*, cum contenderet, illis phrasibus se opposuit Nestorius, acsi Apollinaristarum, et Synusiastarum errores comprehenderent. Vid. Nestorii Epist. ad Cyrillum apud Marium Mercat., et anathematismi iis Cyrilli oppositi. Urserunt, Deum non posse nasci, aut pati etc. Ab altera parte Cyrillus contra Nestorium disputavit, acsi voces et phrases absolute, pro ut jacent, intelligeret et veram negaret unitionem, ipsasque personas divideret, etc., uti modo exposui. Quod si quis quaerat, nihilne reale huic disputationi fuerit admixtum? pro responso habeat, dici forte posse, Nestorium nimiam naturarum divisionem ursisse, et Cyrillum nimis prope ad Synusiastas adcessisse, non acsi veram Christi humanitatem ex mente et corpore non tenuisset, sed nimiam divinitatis cum carne communicationem statuerit. Censeri posset, Nestorium communionem idiomatum, ut adpellari solet, inminuisse, cum, Deum esse natum et passum dici debere, noluerit; in unitione enim duarum naturarum una earum adpellari potest, eique alterius naturae proprietates adtribui queunt, ut in phrasi, *sermo caro factus est*, *Deus acquisivit Ecclesiam suo sanguine*, etc. nec tamen obstinate contradixit Nestorius, ut modo observavi, et Orientales illud admiserunt apud Cyrillum, in Apologetico Oper. tom. VI. p. 169. Sed Cyrillus in idiomatum, non communione, sed communicatione, urgenda modum vix videtur tenuisse, cum unionem illam comparaverit cum *ferro ignito, et carbone*, contra Nestorium l. II. p. 32. IV. p. 109. nec non Oper. tom. V. p. I. p. 776 et 783. et p. II. p. 233., praeterea carnem Christi censuerit esse ζωοποιὸν ἀληθῶς καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ λόγου *vere vivificam et propriam ipsius verbi*, in epist. ad Nestorium, et anathemat. XI., apud Marium Mercat. Sic et, corpus Christi vim accepisse vivificam per unionem illam, tradit in comm. ad Joh. p. 361, 376 et 602.

ne

ne dicam, unitionem φυσικὴν naturalem, ejusque comparationem cum unione animae et corporis, nimiam videri adferre communicationem, et passiones carnis ea ratione vere participari a divina natura. Vid. apud Marium Mercat. p. 70, 72, 73. etc. Sed similitudinem illam non nimis esse premendam, ipse declarat in Scholiis de *Incarnatione* Oper. t. V. p. I. p. 782. Cyrillum a confusione naturarum non posse pronunciari liberum, pluribus disputat Saligius l. cit. cap. 31.

§. CXIV. Ex quibus omnibus videtur colligendum esse, principalem disputationem fuisse logomachiam de phrasibus, quibus inconfusa duarum in Christo naturarum unitio quam aptissime exprimatur, et utrinque sibi injuriam fecisse illustres Praesules, quod, aequa phrasium explicatione neglecta, sibi invicem opiniones adfinxerint falsas. Quae nostra non tantum est de hac controversia sententia, sed aliorum multorum, qua Veterum, qua Recentiorum: quorum aliquot testimonia, invidiae vitandae ergo, exhibebo. Diserte illud adserit Johannes Antiochenus in epist. ad Nestorium, qua ipsi suadet, ut, cum re ipsa non dissentiat a Doctoribus, iisdem etiam, pacis causa, utatur vocibus: in actis Ephesinis, part. I. Quod idem Acacius Beroënsis epist. ad Cyrillum de se et sociis testatur. Vid. quoque epistola Synodica Johannis Antiocheni et Orientalium ad Cyrillum apud Baluzium in nov. collect. p. 946. et Theodoreti epist. 16. Oper. t. III. p. 910. Nec obscure illud indicat Socrat. H. VII: 32. ubi Nestorium a Paulianismo et Photinianismo liberat, ejusque in eo ponit errorem, quod vocem θεοτόκον deiparam fugiat ex inperitia, et dictorum ac scriptorum Patrum ignorantia. Quod testimonium majoris est faciendum, quia a viro extra partes posito, quique in omnia, ut ipse testatur, adcurate inquisivit, profectum est. Quo eodem tendit Facundus Hermian. sec. VI. qui in *trium capitulorum* defensione, Diodori et Theodori doctrinam hac parte excusare et defendere multis conatus est. Vid. l.

IX. c. 5. et quae de aliis habet Patribus l. XI. Ipse Johannes Damascenus, qui multa contra Nestorium et Eutychen scripsit, alibi fatetur, quaestiones esse natas ex confusione nominum οὐσίας et ὑποστάσεως *essentiae et substantiae*, Oper. t. I. p. 539. Nestorius denique ipse adserit, Flavianum, et Leonem Papam, contra Eutychen, suam plane expressisse mentem. Vid. quae ex Philoxeno, Mabugensi Episcopo, protulit Asseman. Bibl. Orient. tom. II. p. 40.— Quid? quod tempore motuum Eutychetis benignius coeperint in initio judicare Doctores Ecclesiae, adeo ut ipsum Nestorium ad Synodum Chalcedon. vocaverint, qui etiam, nisi mors intercessit, venisset. Vid. Philoxenus apud Asseman. l. cit. et Evagrius H. II. 2. Idem egerunt Nestoriani sequentium temporum; ut videre est apud Asseman. Bibl. Orient. vol. IV. p. 220. Abulpharagius, alias Barhebraeus in catalogo haeresium apud Asseman. ibid. l. II. p. 291. adfirmat, sectas Melchicam, Jacobiticam, Nestorianam, et Monotheliticam, de Trinitate et incolumitate naturarum aeque bene sentire, et in nominibus unionis solum secum pugnare. Nec inter recentiores desunt, qui eodem modo de hac controversia judicarunt, quorum catalogum contexuit Vogtius in Biblioth. Haeresiolog. Nobis provocasse suffecerit ad Albertin. de Eucharistia l. II. p. 756. Kortholt. hist. Eccles. sec. V. J. Basnagium Annal. Polit. Eccles. a. 430. in primis Saligium de Eutychianismo ante Eutychen c. 30. la Croze hist. Christian. Indiae l. I. et Jablonski Exercit. hist. Theolog. de Nestorianismo, et differt. de *origine et fundamento* ejus, nec multum ab hac opinione abest Dupinius in historia concilii *Ephesini*. Sed seculo superiore causam Nestorii jam egit Dorodon *in libro*, cui titulus; *de supposito*, qui liber Tolosae, pro temporum infelicitate, est combustus. Vid. Baelius in Lex., et Saligius l. cit.

§. CXV. Sed unde ergo tantum in Nestorium, ejusque methodum, odium? 1. a Cyrilli Alexandrini ambitione,

inmo-

moderato, quin furioso, studio, et autoritate, per Cae-, stini Papae consensum aucta et firmata. Usum quoque ısum fuisse nefandis artibus, in specie auro, ad aulicos et ios corrumpendos, ac in partes suas trahendos, saepe proıulgarunt Orientales, ut probatur in *Synodico* saepe cita-›, c. 41. ab Acacio Berhoensi in epist. Nestorium fuisse ıctione Cyrilli oppressum, et hunc varia fraude usum, in riptis, quae Apollinarismum sapiunt, supponendis Athaasio, nec non in Dionysii Areopagitae fictis libris utendis, ui ipsius forte, et Theophili decessoris ejus, suasu, concti sunt a Synesio, Ptolemaidis Episcopo, observavit la roze l. cit. 2. a nimia et superstitiosa Mariae veneratioe, quam inminui crediderunt, si, eam esse θεοτόκον *Deipa-am*, negaretur. Sed et 3. multum, praeter novitatem, uae simplicioribus et praeoccupatis solet esse odiosa, conılerunt Nestorii, ejusque adseclarum, incommodae phrases t similitudines, quibus inminutae utriusque naturae unitiois in Christo suspicionem dederunt satis plausibilem: ex. r. Nestorius serm. V. dixit, sicut Elisabeth, quae Johanem, Spiritu plenum, peperit, non dicitur πνευματικός, ita Iariam sine ratione urgeri adpellandam θεοτόκον, etsi Deum um foetu habuerit unitum. Exempla Mosis, *Dei* adpella-:, Israelis *Filii* Dei, Sauli et Cyri Christi, seu *uncti* Dei, uae ad illustrandum hoc mysterium, seu rationem epitheorum Dei, Filii et Christi, dandam, a Nestorio apud Maum Mercat. adhibentur, suspicionem firmarunt. Quo eoem tendere fuerunt visae similitudines Dei cum Templo, ;nlae cum corpore, mariti cum uxore, regis cum legato tc., quae apud Veteres et Recentiores Nestorianos saepe ccurrunt, nec non, quod Pontificis, et Apostoli, nomina ad ominem Christum restringuntur, cum divinae naturae mius conveniant, quia ei offertur sacrificium. Deus etiam)ominus hominis Christi adfirmetur, apud Marium Mercat. . 31, 101, 103. Denique, quod hypostases duas, unam ersonam, saepe dicant, et illa nomina distinguant, innuere

 videtur,

[illegible] intellexisse, quod recentiores [illegible] *[illegible]pam*, scilicet imaginem, faciem, [illegible] Vid. Asseman. l. cit. p. 218. Quae, [illegible] nimis premantur, cum Orthodoxa, seu [illegible] conciliari posse fuerunt visa, et ad per[illegible] tendere.

[illegible] Nestorium, ad novam hanc metho[illegible]dam, movit? Apollinarismi odium, [illegible], ne naturarum confusio in Ecclesia vi[illegible] metus haud erat vanus, uti partim ex [illegible] exorto, patet, cui, si Nestorianismus [illegible] Doctores sese forte non tam animose opposu[illegible] ex inconditis Veterum phrasibus, viam ad [illegible] mentibus, colligi potest. Recensuit eas, [illegible] Eutherius Tyanensis in sermonibus ad [illegible] Oper. tom. V. Usi sunt, ex. gr., an[illegible] verbis συγκεράσαι, μίξαι, carnis cum divi[illegible] dixerunt, et in eam transmutationem. [illegible] in praef. ad collect. monum. Vet. p. 22. [illegible] conceptionem θεωθῆναι, θεοποιηθῆναι dei[illegible] Huetius Origen. l. II. Addatur, quod a [illegible] CPoli refert Philostorg. H. IX: 14. [illegible], et similibus, quoque usus est Gre[illegible] Orat. XXXVI. p. 578. XXXVIII. p. [illegible]. Autor homiliae de *generatione* Chris[illegible] [illegible] M. tom. II. p. 596. incarnationem [illegible] ignito contulit: et Chrysostomus hom. [illegible] jam reprehendit σύγχυσιν, et [illegible] *et unitionem secundum essentiam*, et for[illegible] *inhabitationem, et unionem* inpercep[illegible]. Quo etiam facit, quod naturarum [illegible] eandem esse dixerint, ac mentis et [illegible], eaque ratione divinam naturam parti[illegible] carnis. Vid. quoque, sed adhibito judicio, [illegible] Novatian. p. 356. protulit. Intendit de-

nique

nique hoc anathematismus quartus Nestorii apud Marium Mercat., quo, qui Deo verbo tribuunt passiones, tam *carne* quam *deitate*, dicentes, verbum in carne pati, sicut anima dolores corporis sentit, rejiciuntur.

§. CXVII. In Nestorio itaque culpanda quidem est inprudentia et obstinatio, sed magis in adversariis nimium et coecum Orthodoxiae studium, ut et defectus charitatis, quae fratrum dicta in meliorem partem interpretatur, ac mutuae tolerantiae. Unde tot calamitates per omnia secula obruerunt Ecclesiam, adeo etiam, ut Christianismus, natura sua invincibilis, per doctorum vitia in suae fere ruinae periculum inciderit. Merito utique damnantur Orthodoxi zelotae, quod in Nestorii sententiam non inquisiverint adcuratius, mox pronunciaverint anathematismos, et ad eum miserint, in Synodo magna cum praecipitantia egerint omnia et hostiliter, Orientalium quoque non exspectato adventu, depositionis sententiam in Nestorium mox tulerint: ne alia memorem. Quae ipse Spanhemius in hist. Eccles. Sec. V. tit. *de haeresibus* non neglexit observare. Potuissent sane errores Nestorio inputati damnari, ipso salvo; ut ex Theodoreti, aliorumque Orientalium, qui, haud diu post damnatam illam haeresin, Ecclesiae sunt reconciliati, salva eorum sententia, exemplis manifestum est. Orientales enim phrases tantum molliisse, sententiam vero non mutasse, ex Theodoreto, epist. 2da ad Alexandrum Hierapolitanum, non tantum liquet, sed et ex ipsa eorum confessione, ad hanc pacem ineundam conposita, in Actis Ephesinis p. III., qua in haec verba loquuntur: *confitemur S. virginem Dei genitricem esse, propter quod Deus verbum incarnatus, et homo factus est, et ex ipsa conceptione univit sibi Templum, quod ex illa sumsit.* Egregia quoque est oratio Pauli Emiseni, cum hac confessione Alexandriam missi, quam, in Orthodoxiae signum, coram Ecclesia habuit, ibid. in actis Ephes. Anathematizari ab Orientalibus quidem dicit, quae a Nestorio in parte doctrinae sunt inpie dicta, sed non ip-

 sam

sam ejus doctrinam, ut versio Latina habet, quae probatur potius, cum ita loquitur: *natura namque nostra perfecte adsumta, et humanitate ex prima conceptione sibi conjuncta, ac nostro corpore sibi in Templum fabricato, ex Deipara virgine Deus perfectus, et homo itidem perfectus, prodiit*... Quae ipsa oratio fuit a Cyrillo et populo adprobata, teste Facundo Hermianens., et Eulogio apud Photium. Vid. etiam Liberatus in breviario c. 8., qui cap. 9. varia ex Cyrillo profert, quibus confessionem illam Orientalium defendit, adeoque duas in Christo distinctas naturas, quas antea censitus fuit confudisse: Cyrillum quoque nunc aliter quam antea fuisse locutum, indicat etiam Isidorus Pelusiota l. I. ep. 324. ad Cyrillum.

§. CXVIII. Principali capite, Nestorianismum characterizante, in lucem protracto, reliqua levidensi brachio perstringam. 1. In articulo Trinitatis habentur Nestoriani orthodoxi, excepto *processionis Spiritus S. ex Patre Filioque*. Cum Spiritum ex solo velint processisse Patre. Utique Symbolum Theodori Mopsuest., a Nestorio contractum, apud Marium Mercator, diserte habet, Spiritum S. *διὰ υἱοῦ per Filium existentiam non habere*. Sic et Theodoretus in anathematismi noni Cyrilli reprehensione ibid. tanquam blasphemum et inpium rejicit, Spiritum *ἐξ υἱοῦ ἢ δι' υἱοῦ ex Filio vel per Filium* habere existentiam, cum Dominus dixerit, Joh. XV. *Spiritus, qui e Patre exit*, et Paulus 1. Cor. II. Nec mihi videtur dubitandum, etsi Garnerius diss. I. id fecerit, quin eadem fuerit Nestorii opinio, quam quoque reliqui tenuerunt Nestoriani, ut Anastasius, et Photius in Symbolo, act. VI. Synodi Ephesinae. Quod idem statuit hujus, ut videtur, seculi scriptor, cujus sunt *consultationes Zachariae cum Apollonio* l. II. c. 10. in Spicilegio Acheriano tom. I. Num vero ad Chaldaeos ista opinio transierit, sibi incompertum dicit Asseman. l. c. p. 233. 2. Nestorium negasse *corruptionem originalem*, solo reatu mortis temporalis ad posteros translato, adfirmat quidem Garnerius,

l. cit.,

l. cit., ſed levi ductus conjectura, cui ipſa, quae citat, teſtimonia adverſantur. Ipſe infenſiſſimus Neſtorii adverſarius Marius Mercator, edit. Garner. p. 73., fatetur, ipſum contra Pelagii pravam definitionem recte ſentire et docere. Nec ipſi inputandum eſt, quod ſatisfactionem Chriſti, et gratiam ſanctificantem, negaverit, cujus clare meminit ſermone 12. apud Marium Mercat. Sed poſtea Neſtoriani in Oriente, veſtigia Theodori Mopſueſt. prementes, peccatum originale inficiati ſunt: uti in Synodo a. 546 a Sabarjeſu, Neſtorianorum patriarcha, factum eſt, apud Aſſeman. p. 256. Denique 3. quoad euchariſtiam, teſtatur Cyrillus, citante Garnerio l. cit., Neſtorium diſſolvere τῦ μυστηρίυ τὴν δύναμιν *vim myſterii:* unde patet, eum hac parte diverſum ſenſiſſe a Cyrillo. Neſtorius quoque ſerm. II. n. 10., *panem* eſſe *typum* corporis *Chriſti*, vel hoc ejus antitypum, adſerit. Sic et Theodorus apud Leontium contra Neſtor. et Eutych. l. III. *panis*, inquit, *in typum corporis Chriſti propoſitus non plus benedictionis participavit, quam panis, qui in foro venditur*, etc.

FATA NESTORIANISMI.

§. CXIX. Hiſtoriam uſque ad finem concilii Epheſini, et ordinationem Maximini in locum Neſtorii, perductam in vita Neſtorii, perſequar ad finem ſeculi. Tantum abeſt, ut lites ea ratione ſopitae fuerint, ut graviores ſint factae, et, quae Synodorum, in cauſa quaeſtionum de fide, ſolet eſſe ſors, funeſtum produxerint ſchiſma inter Orientales et reliquas Eccleſias, quod per omnia ſequentia ſecula duravit. Quae poſt Synodum Epheſinam contigerunt, enarravit Baluzius nov. collect. p. 939. etc. Theodoretus, ut hiſtoriam ſtricte tradam, maxime exacerbatus, ſcripſit mox contra Cyrillum et Synodum πενταβιβλιον, ſeu περὶ ἐνανθρωπήσεως *de incarnatione*, ex quo libro quaedem excerpta proſtant apud Garnerium in edit. Marii Mercat. p. 267.

Inita quidem anno seq. est inter Antiochenos et alios aliqua pax, sed infida. Cum Theodosius Imperator litteris ad Johannem Antiochenum, Acacium Berhoensem, et Simeonem Stylitam pacem inperasset, et consensum in depositionem Nestorii, ac errorum ejus damnationem, Orientales, non nisi post omnia alia tentata, quae Cyrillus in epist. ad Acacium Melitenensem et Donatum recenset, aegre tandem eas conditiones admiserunt, et subscripserunt, Paulo Emiseno sequestrum pacis agente; excepto Theodoreto, qui a pace cum Cyrillianis quidem alienus non erat, quia Cyrillum a sententia in anathematismis expressa discessisse, sesequе sanius explicuisse, existimavit. Vid. etiam epist. Theodoreti ad Johannem Antiochenum apud Cotelerium in *monument.* Graec. tom. I. sed in Nestorii damnationem consentire recusavit, vid. variae ejus epistolae in Synodico citato apud Baluzium, nov. coll. p. 772. etc. Vid. etiam Liberatus in *breviario* cap. 8. et epistola Johannis Antiocheni ad Inperatores, 91*ma* in Synodico isto. Contigit illud a. 432. Subscripserunt autem chartae, capita illa continenti, sed nulla anathematismorum Cyrilli aut unitionis καθ' ὑπόστασιν *secundum substantiam*, facta mentione: unde, Cyrillum de priore studio aliquid remisisse, fama fuit sparsa.

§. CXX. Quo facto, Nestoriani nova via opiniones suas disseminare coeperunt, dum curarunt, in primis Theodoretus, et Ibas, postea Edessenus Episcopus, ut libri Diodori Tarsensis, et Theodori Mopsuest., divulgarentur, et in linguas Syriacam, Armenicam, et Persicam transferrentur, a. 433. Qua ratione Nestorianismus in Oriente longe lateque per Ecclesias sub Persarum dominio dispersus est, initio a Schola Edessena facta, ad quam juvenes, inter Persas degentes, confluere solebant, et cujus Doctores hoc tempore erant Nestoriani. Vid. Theodor. Lector. *H.* II: 5. Quos Nestorii patronos cum Rabulas Edessenus, de fautore Nestorii acerrimus factus adversarius, inmoderato

suo

lo litans, Scholae Edessenae alumnos expulisset, scrip-
oque, Nestorianismum defendentibus, combustis a.
dispersi illi sunt per regnum Persarum, et Episcopi
sectam ubique introduxerunt. Quorum praecipui sunt
us Assyriorum, Barsumas Nisibis, et Ibas postea Edes-
Episcopus. Qui, adhuc presbyter Edessenus, semina
rianismi jam sparserat per famosam illam epistolam
arin Persam, in qua Cyrillo inputatur Apollinarismus,
ia Synodi Ephesinae, et motuum Edessae sub Rabula,
cis inter Cyrillianos et Antiochenos, traditur. Prae-
s vero sectae propagator in Oriente, seu Persia, fuit
mas, Episcopus Nisibensis, ab anno 435. ad a. 489.
is a Maane, Maris Persae successore, et in partes trac-
ieroze, Persarum rege; et Babuaeo, Seleuciae et Cte-
ntis Archiepiscopo, conatibus resistente, e medio sub-
variis quoque Synodis pro fide Nestoriana habitis.
autem Persarum in eam fuit adductus opinionem, Nes-
norum adversarios cum Romanis, quorum fidem seque-
ir, facere contra Persas; adeo etiam, ut Orthodoxi prop-
aliquam persecutionem passi sint in regno Persarum;
Nestoriani in Mesopotamia, sub Romanorum inperio,
ro, Edesseno Episcopo, qui scholam Edessenam de-
it, a. 489. Barsuma vero eodem anno defuncto, te-
nam pertexuit Narses, ejus socius, celebri illa schola
iensi instituta, quam per 50 annos rexit. Tandem,
io, Seleuciensi Archiepiscopo, mortuo a. 496., qui pro-
ui Nestorianismi obstiterat, et in ejus locum suffecto
eo Nestoriano, Catholica fides in Oriente exspiravit.
quibus omnibus legendus est Asseman. Bibl. Orient. I.

CXXI. Resuscitati quoque sunt motus in Oriente, Ro-
is subjecto, post pacem inter Cyrillianos et Antioche-
initam, occasione librorum Diodori et Theodori a
torianis sparsorum, a. 435, et 436. Quando Rabulas,
senus Metropolita, et Acacius Melitinensis in secunda

 Armenia,

Armenia, Synodis coactis, eos libros, una cum autoribus eorum, anathemate percusserunt, et, legatis ad Proclum CPol. missis, *tomum* fidei ab ipso inpetrarunt eandem in rem. Cui decreto Ibas Edessenus, cum majore Cleri parte, se opposuit, ipse quoque Johannes Antiochenus, convocato concilio, damnationem eorum virorum, quippe in communione Ecclesiae defunctorum, inprobavit. Cyrillus denique, hac de re consultus, licet eorum doctrinam inprobaverit, satius cum duxisset, ad motus vitandos, rem illam non urgere, illud tunc ulterius non processit, licet Monachi, quorum praecipuus erat zelota Maximus, omnem moverint lapidem, ut illud effectui daretur, et Theodorus nominatim proscriberetur. Qua aliquali victoria elati Orientales animos erexerunt, et, Theodori nomine silentio involuto non contenti, ipsos ejus articulos pro Orthodoxis declarandos esse contenderunt. Quod Cyrillus omnibus viribus inhibuit, scriptis etiam contra Diodorum et Theodorum libris; quorum fragmenta exstant in Synodo Oecumenica V*ta* sec. VI. Sed Theodorum defendit Theodoretus, ut ex fragmentis ibidem conservatis liquet. Interea Armeniae, Persidis, aliarumque gentium Episcopi, legatis ad Theodosium Inperatorem, et Proclum CP. praesulem, missis, de insolentia Nestorianorum conquesti sunt, et Diodori ac Theodori damnationem petierunt, adserentes, eorum audaciam eo usque jam pervenisse, ut publice adclamaverint, *crescat fides Theodori, sic credimus, ut Theodorus.*[1] Quibus compulsi Cyrillus et Proclus ab Inperatore inpetrarunt eandem contra Diodorum et Theodorum, eorumque libros, legem, quam contra Nestorium antea emiserat, qua Nestoriani sunt Simoniani adpellati, et libri flammis addicti. Quae omnia usque ad annum 440. contigerunt.

EUTYCHIANISMUS.

§. CXXII. *Eutyches*, autor Eutychianismi, ex superioribus

bus disputationibus orti, ut ejus historiam praemittam, ab alio ejus nominis, cujus ope in Synodo Ephesina usus erat Cyrillus, probe distinguendus, uti recte probavit Tillemontius in *Memoriis Eccles.*, fuit Archimandrita, sive, ut eum adpellat Liberatus, *celeberrimi monasterii praeses*, CPol. presbyter et Abbas, zelo contra Nestorium, ejusque haeresin, celeberrimus, fatente Synodo CPol. sub Flaviano. Qui Nestorianismi odio litans, et Cyrilli phrasibus deceptus, naturarum in Christo mixtionem, duabus naturis in unam, humana scilicet in divinam, conflatis, statuisse fertur. Cum enim Cyrilli capitulum duodecimum haberet, *Deum verbum esse passum* etc. Eutyches illud non de *verbi* passione in carne, sed ipsius divinitatis, intellexisset: quam opinionem annos decem circiter post Synodum Ephesinam propagavit; anno igitur 441., vel 442. Vid. Lupus ad *Synodum, contra tragoediam Irenaei* cap. 44. Opposuit sese ipsi Eusebius Dorilaei in Phrygia Salutari Episcopus, et post frustraneam admonitionem ipsum detulit ad Flavianum, Episcopum CPol.; ut Liberatus in *breviculo* tradit, sed quod jam antea ad Theodosium Inperatorem fecerat Domnus, Episcopus Antiochenus, ut ex Facundo l. VIII. c. 5. aliisque observavit Quesnell. ad Leonis M. epist. 19*nam*, et in dissert. de *causa Eutychetis*, subjuncta operibus Leonis. Flavianus vero, coacta Synodo CPol. a. 448., eum, post trinam citationem tandem praesentem, damnavit, non obstante militum turma, et Chrysaphii eunuchi autoritate; quibus fidebat Eutyches. Exstant acta in Synodi Chalcedon. actis. Notatu dignum est, Eutychen non tantum Orthodoxam fidem fuisse confessum, excepto, quod *in duabus naturis* post incarnationem dicere vereretur, sed tandem paratum Patrum expositionibus, quod postulabatur, subscribere, condemnatum nihilominus esse propter praeterita, et praecedentia dogmata, quia confiteri nolebat, se male docuisse, ut patet ex act. V. CPol. Concilii, lecta Ephesi, et relecta Calced. in act. I. Synodi Chalcedon. Cujus singularis agendi modi sequentia secula,

la, ne nostro quidem excepto, varia suppeditant exempla.

§. CXXIII. Eutyches quidem, hac ratione praecipitanter proscriptus, confugit ad Leonem Papam, scripta ad eum epistola, quae in actis Chalcedon. superest, sese injuste damnatum, conquestus: sed Papa, in initio in favorem ejus inclinatus, dein a Flaviano, et ex actis concilii ejus, instructus, in ejus damnationem consensit, et, praeter alias, celebrem illam ad Flavianum scripsit epistolam, quae est 24*ta* inter ejus epistolas, edit. Quesnellii, postea in Synodo Chalcedon. pro norma fidei habitam, et *tomum* Leonis dictam, qua Incarnationis dogma exponit, et deducit. Qua spe cum excidisset, apud Inperatorem de falsitate actorum Synodi conquestus, novum Synodi examen petiit, et ope Chrysaphii inpetravit. Condictum itaque de novo est a. 448. concilium CPol., praeside Thalassio, Episcopo Caesareae Cappadociae; sed rursus succubuit Eutyches, et sinceritas superiorum actorum probata est. Vid. acta Chalcedonensia. Quo magis irritatus sese ad Dioscurum, Episcopum Alexandrinum, amicum suum, contulit, ejusque ope novam consecutus est Synodum Ephesinam a. 449. praeside Dioscuro; cui Legati Leonis, Julius Puteolanus Episcopus, et Hilarus Archidiaconus, interfuerunt, et 130. Episcopi. Lecta confessione Eutychetis, lectis quoque actis Ephesinae Synodi contra Nestorium, quibus nova fidei confessio praeter Nicaenam erat vetita, Eutyches absolutus, Flavianus ob confessionem contra Eutychen formatam damnatus est, una cum Theodoreto, Domno Antiocheno, et Iba Edesseno. Cum vero protestaretur Flavianus, ipse male habitus est a Monachis tumultuantibus, et militibus, in Synodum inmissis, plagisque exceptus, adeo ut brevi post exspiraverit: reliqui etiam episcopi, qui tergiversati sunt, vi et minis ad damnationi subscribendum coacti fuerunt: ipsis Legatis Papae, qui animose restiterunt, in custodiam datis. Quam ob causam haec Synodus postea λῃστρικὴ

latroci-

latrocinalis fuit adpellata.. Acta superſunt in Synod. Chalcedon. Confirmata tamen ſolenniter eſt a Theodoſio Jun., qui nihil fidei aut juſtitiae regulis contrarium in ea Synodo declaravit eſſe factum, ut ex epiſtolis Theodoſii, et ex actis Chalcedon. apud Harduinum, patet, ubi etiam p. III. ejus abolitio per Marcianum reperitur, nec non libellus ſupplex Iſchirionis, diaconi Alexandrini, in quo Dioſcurus, tanquam homo prorſus libidinoſus et luxurioſus depingitur, qui, praeter alias peſſimae vitae foeminas, unam habebat, dictam Irenem, de cujus cum Dioſcuro commerico populus Alexandrinus publice ſolebat loqui: quo epigramma aliquod refertur in Anthologia Graeca, uti La Croze in historia Chriſtian. Aethiopiae et Armeniae l. IV. obſervavit: laudavit tamen Dioſcurum in initio a virtute et manſuetudine Theodoretus, epiſt. 60*ma* ad eum ſcripta. Hinc ſchiſma ortum, et omnia in Eccleſia ſunt confuſa. AEgyptii, Thraces, et Palaeſtini Epiſcopi adhaeſerunt Dioſcuro, ſed Orientales, Pontici, et Aſiani, Flaviano, teſte Liberato cap. 12. Dioſcurus poſtea ulterius progreſſus eſt, et ipſum Leonem damnavit ac excommunicavit, decem Epiſcoporum habita congregatione, Nicaeae ann. 451. Interea Romae coegit Synodum Leo a. 449., et Anatolius CPoli a. 450., imperante Marciano, et utrobique damnata eſt Pſeudo-Synodus Epheſina, haereſes quoque Neſtorii et Eutychetis proſcriptae ſunt. Denique habita eſt Synodus Oecumenica Chalcedonenſis a. 451., cujus notitiam ſupra dedi. Quid vero cum Eutychete poſtea ſit actum, non conſtat: petiit quidem binis litteris a Marciano Leo Papa, ut in exilium mitteretur, ſed, quid effectum ſit, latet. Ceterum nulla Eutychetis aetatem tulerunt ſcripta, praeter pauciſſima in actis Chalcedon.; in quibus exſtat expoſitio fidei, epiſtola ad Theodoſium, cum ſuplicatione ejus, epiſtola ad Leonem, ut et Monachorum Eutychetis ad Synodum Epheſinam, denique epiſtola anonymi de *Eutychetis ſententia.* Quibus ſcriptis addendum eſt *Synodicon adverſus tragoediam Irenaei*, apud Baluzium,

luzium, in *nova collect.* Ex quibus haereseos ejus capita sunt petenda. Sed consulenda quoque sunt acta Chalcedonensia, Epistolae Leonis Papae, Theodoreti dialogi *secundus et tertius*, ubi Eranistes non est, ut putatur, Eutyches, sed Cyrillus, quod jam observavit Garnerius ad Theodoret. Oper. t. V., denique Liberatus in *breviario*, Evagrius H. l. I., ne alios Veterum memorem. Recentiores scriptores recensuit Fabricius Bibl. Gr. vol. IX.

§. CXXIV. Reduci solent capita Eutychianismi ad haec duo, 1. carnem Christi non esse ex Mariae substantia desumtam, sed e coelo delatam, et canalis instar per eam transiisse 2. duas in Christo naturas, ante unitionem distinctas, post eam in unam conflatas esse, humana natura in divinam transmutata, vel ab ea absorpta, ita ut una tantum per unitionem fuerit in Christo natura divina, adeoque divinitatem esse passam. Qua ratione veteres et Recentiores hanc haeresin exhibent. Sed vereor, ne eodem modo cum Eutychete, quo cum Nestorio, sit actum: utique *prius* illud confessioni ejus in Synodo CPol., sub Flaviano, directe adversatur, et ipse in epist. ad Leonem apud Quesnell. diss. VII. diserte anathema in eos pronunciat, qui carnem e coelo, et non Maria, dicunt esse desumtam, et Christum profitetur perfectam naturam humanam ex Maria adsumsisse. Quod ipsum declarat Eranistes, Eutychianum agens, apud Theodoret. l. cit. *Posterius* non ex verbis Eutychetis, sed ex eorum consequentia, ipsi est adscriptum, cum quod, *unam* tantum esse in Christo naturam post unitionem dixerit, tum, corpus Domini non esse ἀνθρώπου *hominis*, sed ἀνθρώπινον *humanum*, statuerit. Ita Eutyches in actis Chalcedon., et Flavianus de ipso in epist. ad Leonem, ibid., nec non in monumentis Gr. Cotelerii tom. I. Quod posterius nihil probat, quia, ut diserte addit, corpus non hominis, sed Dei, dici voluit, *humanum* adpellari concessit, ne de veritate corporis dubitaretur. Christi corpus censeri potest non esse *hominis*, sed Dei, quatenus

natenus cum natura divina est unitum. Sed alterum, seu rius, *unam* esse in Christo naturam, vel in meliorem, vel eteriorem, partem capi potest. Veteres ipsos ignorasse, uo sensu Eutyches illud intellectum voluerit, inde mani-estum est, quod secum ipsi dissentiant, et de vera ejus iente dubitaverint, num divinitatem voluerit in humani-atem esse conversam, quales fuisse qui id statuerunt, tra-it Theodoretus epist. 125. etc., an hanc ab illa absorptam; deoque num divina natura sit carnalis et passibilis facta, n humana, ut aqua in vinum, gutta mellis in mare, in ivinam sit conversa. Quae opinionum diversitas ex citatis ionumentis clare elucescit.

§. CXXV. Benignior interpretatio, quae locum tenere otest, habet, duas naturas per unitionem esse in unam com-ositas, ut mentem et corpus in unam naturam humanam, deoque post unitionem non amplius duas sed unam esse aturam, seu, quod idem est, unitionem esse factam καθ' ὑπόστασιν, seu οὐσίαν, *secundum substantiam* vel *essentiam*, sicut Cyrillus contra Nestorium defenderat, et Synodus Ephesina efiniverat. Cujus hypothesios sequentia sunt fundamenta. . Eutyches, se Synodi istius decretis inhaerere, semper pro-estatus est, uti in epist. ad Leonem, et alibi. 2. Duas con-teri naturas, et duos Filios, duos Christos, duas personas, osi perinde fuit; uti saepe Eranistes loquitur apud Theo-oret. dialog. II*do*. AEgyptii in Synodo Ephesina latrocina-, cum Basilius Seleuciensis dixisset, unitionem esse in dua-us naturis, regesserunt, *unum Filium non oportet dicere duo*, vagr. H. l. II. 3. Gelasius Papa in libro, *de duabus in hristo naturis*, tradit, Eutychianos tenere, Christum ex uabus naturis constare, ut hominem ex anima et carne: io eodem simili usus est Augustinus ad Joh. tract. XIX. 15. Confirmat id Facundus Hermian. l. I. c. ult., et C. c. 4. ut et Timotheus presbyter apud Cotelerium, mo-um. Gr. tom. III., ubi dicit, Eutychen post unitionem sta-uisse *μιαν φύσιν σύνθετον unam naturam compositam.* Vid.

etiam Eutychianorum confessio, ex eorum libro contra concilium Chalcedonense excerpta, apud Vigilium Tapsensem contra Eutychen l. IV. c. 18., quam ipse Vigilius esse orthodoxam confitetur, licet ei non inhaerere Eutychianos male opinetur. *Ecce dicitis*, inquit Vigilius, verbis eorum recitatis, *Verbum inconvertibiliter incarnatum, et hominem factum, dicitis verbum carni unitum, dicitis inconfuse hominem factum, dicitis eundem hominem simul et Deum, hominem quidem propter quod ex nobis est vera incarnatio, Deum autem eundem propter quod, et post incarnationem, inmutabilis permansit ejus ex Deo, Patre natura.* Sic et Jacobitae Syri, Eutychianorum propago, *unam esse in Christo naturam* dixerunt *ex divinitate et humanitate compositam, conversionis* tamen, *confusionis et commistionis expertem*, apud Asseman. diss. de Monophysitis in Bibl. Orient. tom. II. Conferatur quoque confessio fidei, ab Ignatio, Jacobitarum Patriarcha, oblata Sec. XIII. Innocentio IV*to*, apud eundem Diss. III. de Serie *Patriarcharum Jacobitarum*, ad calcem Chronici Orientalis, p. 202., nec non quod Idem Bibl. Orient. t. II. p. 297. ex Barhebraeo adfert, et ib. t. II. p. 117. ex Dionysio, Patriarcha Syro-Jacobitarum. 4. Eutychianos naturam humanam noluisse absorptam, et inde liquet, quod divinam naturam diserte negent passam, tantum compassam dicant, ut anima sentit dolores corporis. Vid. Eranistes apud Theodoret. dial. III. p. 145. Denique 5. modum loquendi, et non diversitatem fidei, hos peperisse motus, haud obscure indicat Evagrius H. II: 5. Catholici contendebant, Christum dici ἐν δύο φύσεσι *in duabus naturis*, sed Eutychiani ἐκ δύο φύσεων *ex duabus naturis*, non *in duabus*. Quae reapse eodem redeunt: qui enim *ex duabus* dicunt, duas in Christo esse naturas fatentur, sed cum unitae sint in unam personam, recusabant dicere *duas* naturas, voce pro persona sumta.

§. CXXVI. Eutychen hac ratione excusandum esse non desunt Viri Docti, qui statuunt: uti Vasquezius ad *tertiam*

ntem Tomae disput. XIVta, Combefisius apud le Quien
oh. Damascen. de *haeresibus*, c. 82., et ipse le Quin,
ixius in Prodromo, ad refutationem Alcorani p. III. p.
ubi adserit, *Schismata Nestorian. et Eutychian. orta esse,
die adhuc vigere, aliqua ex parte, ex aequivocatione verbo-*
Idem tenet et demonstrat autor libelli, cui titulus,
ue de la creance et des coutumes des nations de Levant
e Sr. de Moni., praeterea Saligius l. cit., et Sam. Bas-
is in Prolegom. Canisii, quae dissertatio recusa est in
haeresiolog. Vogti tom. II., qui tamen putat, Eranis-
apud Theodoret. admisisse, humanam naturam post re-
ctionem fuisse absorptam, et alias dein sectas aliud ad-
se: de quo ad sec. seq. Attamen fieri potuit, ut Eu-
es sua inperitia, et obstinatione, qua phrasin illam ur-
occasionem praebuerit motuum, forte etiam statuerit,
anam naturam fuisse a divina totam occupatam et per-
m, quemadmodum *ferrum ab igni*, salvis tamen utriusl-
naturae proprietatibus: a quo ipse Cyrillus quoque
fuisse videtur alienus. Sicut itaque, ut concludam, Nes-
s sua methodo hoc dogma exprimendi Nestorianis-
i, ita Eutyches contraria methodo Eutychianismum,
uxit. Orthodoxi vero in principio contra Nestorium
unt, unitionem esse καθ' ὑπόστασιν vel ἕνωσιν *secundum
stantiam* vel *essentiam*; sed postea contra Eutychen duas
essentias distinctius tenuerunt, et unam tantum *per-
n* dixerunt, propius ad Nestorianismum accedentes. Un-
est, quod Eutychiani eodem modo contra Orthodoxos
itarint, quo Cyrillus contra Nestorianos, Orthodoxi
is contra Eutychianos, quo Nestorius contra Ortho-
os. Photius Bibl. cod. 225. de Eulogio Patriarcha Alex-
ino, ejusque disputatione cum Timotheo et Severo,
is, observat, eum contra Nestorium disputantem vide-
utychianum, et contra Eutychen videri Nestorianum.
terea mutuae hinc etiam ortae sunt Nestorianismi et
chianismi accusationes inter ipsos Catholicos, quae satis

 fuerunt

fuerunt frequentes. Vid. Vigilius Tapſenſis contra Eutych. l. I. c. 2. et II: 10. Dolendum ſane eſt, tot motus, tantas turbas, per voces, et variam methodum eandem rem exprimendi, fuiſſe concitatas: ſed hic fructus eſt nimiae praecipitantiae, qua ante damnatur opinio, quam recte et diſtincte percipitur, et, factione formata, conſequentia cum ipſa opinione permiſcentur, ſtudium quoque ſectae pro zelo veritatis et fidei habetur.

FATA EUTYCHIANISMI.

§. CXXVII. Concilio Chalcedonenſe, quouſque hiſtoriam in vita Euthychetis perduxi, licet publica Marciani Inperatoris autoritate firmato, quod edictum exſtat in actis Calcedon. p. III., eſtque ſatis ſeverum, quo omnis etiam de hiſce capitibus diſputatio ſub gravibus poenis prohibetur, Eutychianiſmus non tantum non eſt repreſſus, aut motus ſedati, ſed longe vehementiores facti ſunt, et haereſis per AEgyptum et Orientem longe lateque diſperſa eſt. In Palaeſtina, ubi primi motus exorti ſunt, graſſatus eſt Theodoſius, Monachus Eutychianus, ab Eudoxia, Theodoſii Inperatoris quondam uxore, tunc Hieroſolymis verſata, et a Monachorum turbulentorum turma, adjutus. Repleta tunc fuit Palaeſtina per latrones, ab iis excitatos, ſeditionibus, rapinis et caedibus. Juvenalis quoque Hieroſolym. et Domnus Antioch. Epiſcopi fugere ſunt coacti, et Theodoſius in locum Juvenalis eſt intruſus. Qui motus ab ann. 451. ad a. 453. durarunt, quando a Marciano ſunt repreſſi, Theodoſio fuga ſe ſubducente, Juvenali reſtituto, et Catholicis revocatis. Vid. Epiſtolae Marciani ad Macarium Epiſcopum et Monachos Scaitas, ut et ad Synodum in Palaeſtina congregatam in actis Chalced. Harduini p. III. Evagrius H. II: 5. Theophan. ad a. 445. et Nicephor. H. XV: 9. Meminit etiam ejus rei, nec non Eudoxiae, ad Catholiciſmum per Simeonem Stylitam, ac Euthymium, celeberrimum

leberrimum ibi Monachum, converfae, autor vitae *Euthymii* in Monum. Gr. Cotelerii tom. II. Nec minores fuerunt turbae Alexandrinae, caufa vel occafione Diofcuri, a Synodo Chalcedon. depofiti, et ab Inperatore Gangram, Afiae minoris civitatem, relegati, ubi a. 451. mortuus eft, vid. Epift. Leonis Papae III. ad Julianum, Coënfem Epifcopum, et Proterii, viri Orthodoxi, ei fuffecti. Timotheus, Alexandrinae Ecclefiae Presbyter, Aelurus cognominatus, quod inftar *felis* folitus effet noctu ambulare, Theodor. Lect. II: 8., ubi fraudes ejus et machinationes narrantur, furiofis Monachis ftipatus; fe non tantum Epifcopum Alexandrinum fecit creari, fed et Alexandriam veniens, plebem in Proterium concitavit, adeo ut occifus fuerit, cadavere ejus in partes difcerpto, multaque mala alia Catholicis illata fint. Vid. Evagrius H. II. 5, 8. et Epiftola Epifcoporum AEgypti ad Leonem Inperatorem, ibid. Quae ann. 457. contigerunt. Epifcopi autem Catholici, qui poterant, CPolin profecti, relatione de omnibus illis violentiis oblata Inperatori, ejus opem inplorarunt. Sed idem fecerunt Eutychiani, miffis legatis, fimul fidem fuam profeffi, fe fcilicet Synodos Nicaenam et Ephefinam adfumere, tantum CPol. fub Flaviano, et Chalcedonenfem, repudiare, et Timothei confirmationem petentes. Qui utriufque partis libelli exftant in Actis Chalcedon. p. III. Quibus relationibus acceptis, fcripfit Leo Inperator hoc de negotio ad Epifcopos Metropolitanos, et illuftriores Abbates, eorumque fententias de concilio Chalcedon. requifivit: exemplum Epiftolae Leonis exftat apud Evagrium H II. 9 Refcripferunt, concilium Chalcedonenfe ad mortem ufque effe vindicandum, Timotheum vero ne Chriftianum quidem effe adpellandum. Quae Epiftolae, et relationes, in unum corpus redactae, vocantur *encyclia*, epiftolae encyclicae, et exftant, nomine *codicis encyclici*, in *nova* quoque *collect*. Baluzii, et in actis Chalcedon. Harduini p. III., fcriptae autem funt a. 357, et 458. Hifce permotus Inperator Aelurum in exilium mifit, a. 459, primo

primo Gangren, dein Chersonesum, ubi 18 annos mansit, Evagr. H. III: 4. et in ejus locum suffectus est Timotheus Solafaciolus, Catholicus. Vid. Victor Tununensis.

§. CXXVIII. Pace Alexandrinis hac ratione reddita, novi in Oriente concitati sunt motus Antiochiae per Eutychianistarum ducem Petrum Fullonem, eo epitheto insignitum, quod in Monasterio Acoemitarum artem fullonis exercuerat: unde ob Eutychianismi studium ejectus, Chalcedonem se contulit, presbyter factus. Cum autem nec ibi Synodum Calcedon. cessaret conviciis proscindere, profugus venit CPolin, ubi, cum sese in gratiam Zenonis, Magistri militum per Orientem facti, insinuasset, cum eo venit Antiochiam, et contra Martyrium Praesulem, cui Nestorianismi inussit notam, Ecclesiam incitare, et omnia conturbare, adgressus est, Zenonis adjutus favore, et auxilio. Quod a. 463. et non 471. accidisse, contra Valesium egregie demonstravit Pagi ad a. 471. ex Theophane et aliis. Coepit tunc Fullo Theopascitarum errorem palam promulgare, additis quoque Trisagio vocibus, *qui pro nobis crucifixus est*, uti supra suo loco narravi. Unde Ecclesia primum in duas factiones scissa est, et ipse Martyrius, non obstante Leonis Inperatoris gratia, et lege, qua Monachis vetitum fuit monasteria relinquere, sese muneris functione coactus est abdicare, retenta dignitate, his notabilibus usus verbis ad populum, apud Theophanem, *clero inobedienti, populo contumaci, et Ecclesiae sordibus infectae, nuncium remitto:* quo facto Petrus invasit Episcopatum. Sed Leo Inperator, de eo certior factus, Synodo Antiochiae coacta, et per eam damnato Petro, eum quidem Oasin relegavit in exilium, verum, Leone defuncto, et Basilisco, Eutychianorum patrono, inperium contra Zenonem, successorem Leonis, adripiente, sedi restitutus est a. 476., haud diu tamen post rursus deturbatus per Johannem, qui, ab Apamensibus, in metropoli Syriae Secundae, seu *salutaris*, quorum Episcopus erat a Petro constitutus, sub Basilisco, et non

sub

sub Zenone, ut Valesius ad Theodor. Lect. l. cit. observavit, repudiatus, redierat Antiochiam, et ipsum Petrum expulit, a. 478., cui mox, post trimestre spatium, communi Orientalium suffragio deposito, substitutus est Stephanus, paulo ante Petro et Johanne ab Acacio in Synodo CPol. damnatis: celebratam enim Synodum esse ante depositum Johannem, contra Valesium demonstravit Pagi ad a. 477. Damnatus autem est Petrus Fullo ob additamentum Trisagii: ob quam quoque causam iidem haeretici sunt proscripti a. 478. in Synodo Romana a Simplicio Papa. Stephanus sedem per tres annos, usque ad a. 480., tenuit, et successorem nactus est Stephanum Juniorem, quem post unum annum Eutychiani calamis confossum misere obtruncarunt, cadavere in Orontem fluvium projecto. Hoc enim fatum huic, et non decessori Stephano, contigisse, evicit contra Valesium Pagi ad a. 482. Stephano successit Calendio, ab Acacio, jussu Zenonis, ordinatus, contra canones, CPoli, Evagr. H. III: 10. et Theodor. Lect. l. II. Hoc post quatuor annos expulso, sedem recepit Petrus Fullo a. 485. Qui, cum multa rursus patrasset nefanda, anathemate est a Felice Papa in Synodo Romana percussus, et Inperator admonitus, ut eum expellat. Sed Petrus, convocata Synodo, damnavit concilium Chalcedonense, ac Xenaiam Episcopum ordinavit Hierapolitanum, a. 485. Habitae quoque variae sunt in Oriente Synodi contra Petrum, et variae contra ipsum scriptae epistolae, quas contra Valesium genuinas esse defendit Pagi. Obiit tandem Petrus a. 488., usque ad finem vitae Episcopus, favore Zenonis, et successorem habuit ejusdem sectae Palladium.

§. CXXIX. Interea dum haec Antiochiae in Oriente agebantur, novi inceperunt motus Alexandriae per Timotheum Aelurum, a Basilisco sedi restitutum, a. 476. Evagr. H. III: 4. et autor *breviculi* historiae Eutychianistarum, qui hoc tempore vixit. Sed Timotheus brevi post, Basilisco superato, ac Zenone in Synodum Chalcedon. propensiore,

cum res suas videret desperatas, veneno sibi mortem conscivit, ut tradit Liberatus, licet alii aliter. Saltem brevi est mortuus, a. 477. In cujus locum, cum ab haereticis esset ordinatus Petrus Mongus, novus turbo, is jussu Zenonis, et Monachorum studio, mox sede est deturbatus, ac Timotheus Solafaciolus restitutus: cui ab Orthodoxis suffectus est Johannes Talaia, Presbyter et Oeconomus Ecclesiae Alexandrinae; qui, cum in Acacii, Episcopi CPol., offensionem incurrisset, de quo mox, jussu Zenonis, per Acacium incitati, depositus est, tanquam eo munere indignus, etiam perjurus, quia, se eam sedem non ambiturum antea juraverat, eique suffectus Petrus Moggus, a. 482., qui sedem ad mortem usque, seu a. 490., tenuit. Nec tamen ejus obitu sedati sunt motus, Ecclesia Alexandrina in duas divisa factiones, dum alii *Henoticum* Zenonis amplecterentur, alii concordiae illud edictum quidem susciperent, sed Synodum Chalcedon. non anathematizarent. Quae divisio usque ad Dioscurum Juniorem, a. 517., teste Liberato, duravit.

§. CXXX. Inter ea, quae novorum motuum et divisionum in Ecclesia causae fuerunt, cum praecipuum teneat locum *Henoticum* Zenonis, ejus tradenda est aliqua notitia. Rescidit quidem Zeno, inperio recuperato, omnia Basilisci acta in favorem Eutychianorum, et Eutychianis se opposuit, sed motus compescere non potuit. Quare, suasu Acacii, CPolitani Praesulis, animum ad pacificationem adpulit, media excogitata via, qua Symbolum Nicaenum, a CPol. et Ephesina Synodis confirmatum, adprobatur, una cum 12 Cyrilli capitulis, Nestorius et Eutyches damnantur, Dioscuri propter Alexandrinos omittitur mentio, Synodus quoque Chalcedonensis, cum formula ibi cusa, et *tomo* Leonis, in ea comprobata, silentio premitur, imo Synodus illa, si forte fidei hic expressae contraria deprehendatur, damnatur; interea res ipsa orthodoxe exprimitur, respectu unionis naturarum in Christo sine divisione et confusione. Quae

via adpellatur τὸ ἑνωτικὸν *henoticum* Zenonis, et exſtat apud Evagrium H. III: 4. et Liberatum in *breviario* cap. 18. Quae ἡ οἰκονομία *Oeconomia*, ut adpellatur, cum animos ſalubri diſpenſatione unire deberet, eos multis de cauſis diviſit, et novarum factionum exſtitit origo. Produxit quidem aliqualem unionem inter nonnullos, ut Acacium CPol., Petrum Moggum Alexandrinum, et Fullonem Antiochenum, qui Henotico ſubſcripſerunt, ſed diviſit rurſus Orientales ac Occidentales, et inter ipſos Eutychianos peperit ſchiſma. Cum enim, ut ab Eutychianis ordiar, Petrus Moggus ei adſenſum ſubſcriptione praebuiſſet, adeoque Synodum Chalcedon. expreſſe non amplius damnaret, rigidiores Eutychianiſtae, hanc ejus moderationem inprobantes, et Synodi condemnationem poſtulantes, ſeſe ab ipſo ſepararunt, propriamque ſectam conſtituere coeperunt, quae nomine *Acephalorum* cenſetur inſignita, quia ſeſe ab Epiſcopo, tanquam *capite* ſuo, ſejunxerant, ut refert Leontius de *ſectis* act. V. licet aliud quid tradat Liberatus in *breviario* c. 9., a Theodoreto repetens, et Acephalos fuiſſe dictos tradens, qui nec Cyrillo, nec Johanni Antiocheno, ſecum reconciliatis, adhaereſcebant; Semi-eutychianos eos rectius adpellari dicit Facundus Hermian. *defenſ. trium capit.* l. I. c. 5. Ceterum hi homines poſtea in novas ſunt diviſi ſectas: de quo ad ſec. ſequens.

§. CXXXI. Funeſtius fuit ſchiſma Catholicorum inter Acacium CPol. et Papas Romanos, cauſa, vel praetextu, henotici Zenonis, conflatum, et ita inter Orientales et Occidentales. Acacius, qui praecipuus fuit autor Henotici, ei mox ſubſcripſit, et cum Eutychianis, qui idem fecerant, communionem exercuit; cum Petro Moggo palam, ſed cum Petro Fullone occultius, quippe quem a Zenone paſſus quidem eſt reſtitui, ſed a cujus communione palam abſtinuit, quia corruperat Triſagion, et Theopaſchitarum caput habebatur. Quae Acacii geſta multis Catholicis, in primis Papis, et Occidentalibus, vehementer diſplicuerunt, qui henoticum

noticum repudiarunt, quod ab Inperatore, cujus non erat de rebus fidei disponere, esset profectum, praeterea concilium Chalcedonense, cum *tomo* Leonis, non tantum non adprobaretur, sed et tecte peteretur, denique quod formula Catholica anti-eutychiana, ex *duabus et in duabus naturis*, desideraretur. Verum enim vero schisma praecipuam suam originem debet ambitioni Paparum, qui, aliquid se neglectis fieri, ut ab Acacio factum erat, ferre non poterant. Praebuit autem schismatis primam occasionem causa Johannis Talaiae, ut eum adpellat Liberatus, forte rectius *Thladia*, seu eunuchus, vocaretur, Episcopi Alexandrini, qui, cum electionis suae notitiam reliquis Metropolitanis dedisset, excepto Acacio, ejus odium sibi concitavit, adeo ut ejus ope fuerit a Zenone depositus, substituto Petro Moggo. Contulit sese Johannes ad Papam, libello criminum contra Acacium ei oblato. Quo motus Felix Papa legatos misit CPolin, qui et Synodo Chalcedonensi firmandae incumberent, et Acacium citarent Romam, ad causam dicendam. Sed Legati, qua vi, qua blanditiis, cum in partes Acacii transiissent, Felix, Synodo habita Romae a. 484., quae prior est in hac causa, eos censurae subjecit, et Acacium excommunicavit. Quae cum sperneret Praesul CPol., in Eutychianis, qui henotico subscribebant, promovendis pergeret, in specie Calendionem, ejecto Petro Fullone, sedi Antiochenae reddidisset, Papa, altera coacta Synodo, a. 481. (duas enim illas Synodos distinguendas esse, recte vidit et demonstravit Valesius in diss. mox citanda) damnavit Acacium, cum Petro Fullone, et Moggo. Quae depositionis sententia, una cum edicto, missa est per Tutum, defensorem Ecclesiae Romanae, CPolin., ac, per formam epistolae ad Acacium, ei inter altaria, pallio ejus adfixa, tradita est: edictum vero, ei adjunctum, publice promulgatum est, quo Clericis, et Laicis, sub poena anathematis, prohibetur communio cum Acacio. Incepit hac ratione schisma a. 484., quo prima vice excommunicatus est Acacius

cius in Synodo Romana, firmatum est a. 485., quo altera vice facta est excommunicatio, duravit autem per 35 annos, usque ad Justinum I. Inperatorem, quando pax ope Hormisdae Papae redintegrata est, a. 519. Continuavit, mortuo Acacio, ideo inprimis, quod Papae expressam Acacii condemnationem, ejusque nominis expunctionem e diptychis Ecclesiae, postulaverint: quod diu recusarunt Praesules CPolitani: donec per Hormisdam id fuerit effectum, sub Justino I., cum Johannes esset Episcopus CPolitanus. Plura qui hac de re velit, adeat Valesium in dissert. de *damnatione Acacii* ad calcem Evagrii H. E. edit. Vales. Dupinium de *Disciplina Ecclesiast.*, et Blondellum de *Primatu Ecclesiae*, ne alios memorem. Ceterum reliqua ad Eutychianismum pertinentia persequar sec. sequente: et ad haereticos, in Ecclesia Latina exortos, pergo.

PELAGIANISMUS.

§. CXXXII. Cum praecipui ejus autores fuerint Pelagius, Celestius, et Julianus, ut Prosper in Chron. dicit, *Pelagius Brito dogma nominis sui, contra gratiam Christi, Celestio et Juliano adjutoribus, exerit*: illorum notitia praemittenda est. *Pelagius*, unde nomen traxit haeresis, patrio nomine *Morgan*, quasi dicas marigenam, seu pelago ortum, fuit non, uti Vossius opinatus est, Scotus, sed Anglo-Britannus. *Colubrum Britannum* ipsum adpellat Prosper de *Ingratis*, et Semi-pelagiani eodem nomine apud ipsum veniunt. ut c. 1. et 34. Cui Paulus Orosius, et alii, consentiunt. Vid. Usserius Antiq. Britann. cap. VIII. Augustinus quoque, ut a Pelagio Tarentino distinguatur, eum ep. 106. ad Paulinum Nolanum, Britonem fuisse cognominatum adserit. Ansam erroris praebuisse videtur Hieronymus in prooemio l. III. ad Jerem. qui, de Pelagio loquens, eum dicit *latrare per Alpinum canem, grandem et corpulentum, et qui calcibus magis possit saevire, quam dentibus: habet enim*, sic morda-

citer ipſe pergit, *progeniem Scoticae gentis*, *de Britannorum vicinia*, *qui*, *juxta fabulas poetarum*, *ſpirituali percutiendus eſt clava*, *ut aeterno*, *cum ſuo magiſtro Plutone*, *ſilentio conticeſcat.* Sed canis ille eſt a Pelagio omnino diſtinctus, dicit enim eum per canem illum latrare, et mox a magiſtro Plutone diſcernit. In oculis itaque habuit Celeſtium, qui, ut mox patebit, fuit Scotus. Vita et profeſſione fuit Monachus, ut veteres unanimiter tradunt, quare inter laicos refertur ab Auguſtino de *geſtis Palaeſt. contra* Pelagium c. 35., Oroſio, et aliis. Quae vero recentiores de loco Monachatus ejus, vel et de clericatu, habent, fabuloſa ſunt, et relatu indigna. Fuiſſe autem virum ſanctum, eruditum, et magnae exiſtimationis in Eccleſia, ante vulgatam haereſin, Auguſtinus haud uno in loco fatetur. Sic l. III. ad Marcellinum, eum cap. 1. adpellat virum, *ut audio*, *ſanctum*, *et non parvo profectu Chriſtianum*, et *c.* 3. *bonum et praedicandum virum*, *virum tam egregie Chriſtianum*, rurſus *l. II. c.* 16. *caſta vita moribuſque laudabilem*; imo in epiſt. ad Pelagium, quae in ejus lib. de geſtis Pelag. c. 27. reperitur, *dominum dilectiſſimum*, *et deſideratiſſimum fratrem.* Quod idem luculenter ex epiſt. Pelagii ad Demetriadem virginem, quae inter Hieronymianas ſupereſt, pateſcit, quam *vere eruditam et eloquentem* dixit Eraſmus, addo, maſculae pietatis plenam. In qua internum gratiae auxilium quoque videtur agnoviſſe, his uſus verbis, *Quod ſi etiam ſine Deo* (gentiles gratiae ignari) *homines oſtendunt*, *quales a Deo facti ſunt*, *vide quid Chriſtiani facere poſſunt*, *quorum in melius per Chriſtum natura et vita inſtructa eſt*, (per doctrinam et exemplum) *et qui divinae quoque gratiae* (adeoque internae, quippe ab inſtructione modo memorata, diſtinctae) *juvantur auxilio.* Rurſus ibid. alio loco, *Oſtendit quomodo reſiſtere debeamus Diabolo*, *ſi utique ſimus ſubditi Deo*, *ejuſque faciendo voluntatem*, *ut divinam etiam mereamur gratiam*; *et facilius nequam ſpiritui*, *auxilio ſancti ſpiritus*, *reſiſtamus.* Depingitur quidem ab Hieronymo, et Oroſio, tanquam animi et corporis

'vitiis deformis, sed quod furioso zelo, et partium stu-
ɔ adscribendum est, cujus vel in eo est indicium, quod
rporis naturalia vitia ipsi vel adfinxerint, vel exprobra-
it, ut quod fuerit mutilus, μονοφθαλμος unioculus, latos
meros, et in fronte pinguedinem praeferens; et quae alia
nt: cujus ejusdem spiritus est, quod Orosius eum *ministrum*
nsarum nuncupet, et balneis epulisque dicat *innutritum*. Quae,
quorum similia, convicia, Patribus, ubi de haereticis lo-
untur, haud parum fidei detrahunt. Longe majore can-
re usus est Augustinus, ut ex dictis patet, etiam Chry-
stomus, qui, morti proximus, in ep. 4*ta* ad Olympiadem
per. t. III. Pelagii casum deplorat, dicens: *de Pelagio*
onacho magno dolore adfectus sum: cogita igitur, quot quan-
que coronis digni sunt, qui forti animo in acie steterunt, cum
os, pie ac sancte, tantaque cum tolerantia, viventes, abripi,
ue in fraudem inpelli, videamus, etc. modo de nostro ibi
i Pelagio constaret: negat utique, post Petavium, Nori-
us, et alium fuisse Pelagium ex Augustino l. cit. constat:
eminit etiam Pelagii Isidorus Pelus. l. I. ep. 114., quem
n senem reprehendit, tanquam per monasteria vagantem
AEgypto, qui ab haeresiarcha videtur diversus: sed ni-
l definio. Imo nonnullis visus fuit Pelagius tantae dig-
tatis et sanctitatis, ut ei fuerit adplicitum Ap. VIII. *ceci-*
de coelo stella magna etc. Vid. Nic. Lyra.

§ CXXXIII. Fata et itinera ejus paucis absolvi pos-
nt, cum parum de iis constet. Eum Romae diutissime
xisse testatur Augustinus de *peccato Origin.* c. 21., sed
ando eo venerit, incertum est. Ipsum a. 396. Ruffinum
docentem audivisse observavit Norisius, qui etiam
njicit, eum Roma petiisse Siciliam cum Ruffino, qui
410. ibi mortuus est, quia ei potissimum adhaesit, et
racusis ea haeresis jam in initio fuit admissa. De quo
icquid sit, illud certum est, Pelagium Romam, statim
st urbem a. 420. captam a Gothis, deseruisse, quia tem-
re collationis inter Donatistas et Catholicos Carthagi-

ne a. 411. ibi praefens adfuit, tefte Auguftino de *geftis* Pelag. c. 22., ex quo etiam liquet, eum inde ftatim difceffiffe, et *tranfmarina tranffretaffe*, fed quae loca non expreffit, relicto Celeftio Carthagine, ubi in Synodo, praefide Aurelio, primus eft damnatus, a. 412., ut probat Ufferius cap. 9. Tetendit vero Pelagius Hierofolymam, fefeque in amicitiam Johannis Epifcopi Hierofolym. infinuavit, quippe qui, odio in Hieronymum flagrans, in Pelagio fibi vifus eft acrem ejus inveniffe adverfarium. Scripfit quoque hic contra Hieronymum Pelagius, ut ipfe teftatur in *praefat.* libri III. comment. in Jerem., ubi *maledicas* ipfius illas epiftolas adpellat. Vid. etiam l. IV. comment. ad Jerem. Praeterea exaravit et tunc *lucubratiffimam*, ut eam appellat Orofius, epiftolam ad *Demetriadem* virginem, de qua poftea, nec non alia quaedam opufcula. Sed et hic in celebri conventu a. 425. abfolutus eft Pelagius a Johanne Hierofolymitano, ut poftea narrabo, uti fub finem iftius anni quoque in Synodo Diofpolitana Palaeftinae: ad quas Synodos poftea faepe provocavit. Sed ne de Synodis, et Inperatorum edictis, quibus hoc tempore damnatus eft Pelagianifmus, hic dicam, quia Pelagii ipfius vitam tantum enarro, ipfe Hierofolymis a Theodoto Antiocheno in Synodo praefens fuit profcriptus a. 418. Quid poftea egerit, quove degerit in loco, ubi et quando mortuus fit, quove mortis genere, in obfcuro latet.

§. CXXXIV. Scripta Pelagii, licet varia fint, aetatem non tulerunt, praeter tria, et nonnulla fragmenta, apud Auguftinum et alios obvia. Epiftola ejus ad Demetriadem virginem, cujus fupra memini, inter Hieronymianas fupereft, et in adpendice tomi fecundi oper. Auguftini edit. Benedictin., in qua de fanctitate, caftitate, et virginitatis laude, egregie et eloquenter differit; fcripta eft Hierofolymis a. 414. Sed quaedam ejus excerpta ad incudem revocavit Auguftinus in lib. de *gratia Chrifti*, nec non in epift. ad Julianam, Demetriadis matrem, quae ibid.

Pela

Pelagianae subjuncta, exstat in operibus Hieronymi. Cum autem Romae adhuc degeret, scripsit brevissimos in Epistolas Pauli *commentarios*, quos saepe citat et reprehendit Augustinus; esse enim eos ante captam Romam exaratos testatur Marius Mercator in libello suplice ad Theodosium. Censentur passim iidem esse, qui in operibus Hieronymi, et sub ejus nomine, exstant. Sed Usserius in Bibl. Theolog. Mss., citante Cave in hist. litt., existimat, librum ex Pelagii, Hieronymi, et Primasii explicationibus esse concinnatum ab autore aliquo posteriore: quod non est inprobabile, cum Orthodoxae et Pelagianae expositiones aliquando inter se permisceantur. Denique superest *libellus fidei* ad Innocentium Papam, ubi Pelagius Orthodoxam quidem fidem de Trinitate, incarnatione Christi, et reliquis capitibus, profitetur, contra Arianos, Nestorianos, et Origenistas, attamen Pelagianismi semina de viribus liberi arbitrii in eo sparsit, licet occultius, ita ut Papae potuerit fucus fieri. Sic ex. gr. dicit, *baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in Infantibus, quibus etiam in majoribus, credimus esse celebrandum:* et rursus, *liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos semper Dei indigere auxilio.* Exstat inter opera Hieronymi, sub titulo, *Symboli explanatio ad Damasum.*

§. CXXXV. *Celestius*, male a nonnullis Celestinus, quod Papae nomen est, dictus, alter fuit haeresios autor, a quo Celestianorum etiam fluxit nomen, teste Augustino de haeres. cap. ultimo, quem Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem etiam *Magistrum*, *et ductorem* exercitus, nuncupat. Patria ejus fuit Scotia, seu hodierna Hibernia, eo nomine insigniri solita. Progeniem Scoticae gentis eum adpellat Hieronymus l. III. in Jerem. in prooemio, nec non in praef. lib. I. in Jer. *Scotorum* (sic enim pro *scortorum* ibi leg.) *pultibus praegravatum.* Sed *stolidissimi vir ingenii* audit Hieronymo ibid., quem *acerrimi ingenii* dicit Augustinus contra epist. Pelag. l. II., longe verius et sincerius, qui in lib. de

gratia et natura §. 6. Pelagianorum fatetur *fortissima esse et celerrima ingenia*, et in epist. ad Julianam, matrem Demetriadis, Pelagianorum scripta dicit *propter acrimoniam et facundiam legi a multis*. De quo etiam fragmenta Celestii apud August. satis testantur, praecipue definitiones et ratiocinationes, quae nomen ejus praeferunt, de *perfectione hominis* in hac vita, quibus Augustinus respondit. Celestius, ut ejus vitam praecipue ex Mario Mercatore in commonit. breviter enarrem, qui cum Pelagio usque ad adventum in Africam a. 412. versatus est, ab eo, Palaestinam petente, sejunctus, substitit Charthagine, ad Presbyteratum adspirans; sed a Paulino diacono detectus, et a Synodo Carthaginense, sub Aurelio Episcopo, damnatus est a. 412., ac excommunicatus; quando, adpellatione ad Innocentium Papam instituta, et mox missa facta, secessit non in Siciliam, ut Usserius autumavit, sed Asiae urbem Ephesum, et presbyteratum obreptitie adeptus est. Innocentio vero Papa, qui Pelagium primus damnavit, mortuo, Romam festinavit a. 417., ab Attico CPol. Episcopo damnatus et ejectus, seseque novo Papae Zosimo adprobavit, in fide sanum dicendo, se Orthodoxe sentire, et in quaestionibus fidem non concernentibus si forte priva quaedam haberet, se subjicere Papae, eaque adprobare ac damnare, quae Innocentius, decessor ejus, fecerat, adeo ut Papa, eum absolvendum ratus, litteras ad Africanos miserit, in quibus, orthodoxiae ejus testimonium praebuit, et Afros accusavit, quod fervore fidei praefestinaverint in Celestio damnando. Sed Zosimus postea rectius instructus, seu incitatus ab Afris, mitiore sententia deposita, et ipse eum cum Pelagio damnavit; a quo tempore, Romae et in Italia, ac alibi varie, proscriptus et expulsus est. Plura de Ipso ignorantur. Ex operibus, quae scripsit, quorum hic illic quaedam reperiuntur fragmenta, duo supersunt opuscula, *confessio* nimirum fidei Zosimo oblata, et ex Augustini operibus collecta a Garnerio in adpendice ad part. I. Operum Marii Mercatoris Garnerii,

et

et *Epistola* ad Clericos Romanos suae gentis, quam Garnerius etiam exhibet.

§. CXXXVI. Tertius, isque magni nominis et autoritatis, Pelagianismi promotor fuit *Julianus*, vir *acer ingenio, in divinis scripturis doctus*, *Graeca et Latina lingua Scholasticus*, ante haeresios maculam clarus in Doctoribus, uti Gennadius in *catalogo Virorum Illustrium* scribit. Accessit Episcopalis dignitas, ut mox tradam, et pietatis fama, qua insignis fuit: cujus illustre dedit specimen, quod, tempore famis et angustiae, omnia sua bona pauperibus erogaverit, ut idem Gennadius refert. Patria ipsi fuit Apulia, teste Augustino oper. inperfecti l. VI. c. 18., ubi dicit, *neque enim, quia te Apulia genuit, ideo Poenos vincendos existimas gente, quos non potes mente.* Natus fuit ex nobilibus Parentibus, Juliana scilicet matre, a qua nomen sortitus est, et Memore Patre (sic enim, et non Memorius, ut multis videtur, qui Capuanus fuit Episcopus, ut ex sacris Capuanae Ecclesiae tabulis patet, adpellatur ab Augustino, Mario Mercatore, et aliis) qui Augustino percarus fuit, ut ex hujus ad eum epist., et l. I. c. 4. contra Julianum, patet. Marius Mercat. quidem refert, eum fama fuisse creditum filium suppositum, sed fama volubilis errat. Lector cum esset, matrimonio sibi copulavit filiam viri Illustris Aemilii, dictam *Jam*, quod plerisque in Ecclesiis licebat Lectoribus: quas nuptias epithalamio celebravit ipse Paulinus Episcopus Nolanus; qua uxore mortua, vel communi consensu dimissa, consecratus est Diaconus; cum nuptiae fuerint diaconis interdictae. Quo munere eum a. 410. jam fuisse functum, ex epistolis Augustini probavit Norisius. Quo tempore, scripta ad Patrem ejus epistola, Augustinus Julianum valde laudavit, simul ob nimium in profanam eruditionem studium reprehendit. Denique Episcopus *Eclanensis* in Apulia factus est, et ab Innocentio Papa consecratus. Dubitatum quidem, ante Marii Mercatoris opera in lucem protracta, fuit de loco Episcopatus,

 qui

qui varie etiam definitus eſt, ſed, quod in melioribus Proſperi codicibus habetur de urbe Eclana, illud ex Mario Mercat. extra dubium collocatum eſt. Eclana vero urbs eſt antiqua Hirpinorum, in viciniis Campaniae et Apuliae; unde modo Apulius, modo Campanus, adpellatus eſt. Sic enim Proſper in epigrammate contra obtrectatores Auguſtini

Aut hunc fruge ſua aequorei pavere Britanni
Aut huic Campano gramine corda tument.

Quo Pelagius notati ſunt et Julianus, in quem ſequentia unice conveniunt, adeoque non, quod Garnerius putat, Celeſtius, quem ideo erronee Campanum fecit.

§ CXXXVII. Praeſtitit quidem ſeſe uſque ad Innocentii obitum a. 317. catholicum, ſed ſub Zoſimo, cum de peccato originali diſputaretur, ipſe contra illud diſſeruit, nec damnationi Pelagianorum a Zoſimo ſubſcribere voluit, a. 418., teſte Mercatore; et hucuſque peccato originali ſeſe tantum oppoſuit, varios dein libros contra Auguſtinum, quem ſolum ſibi videtur elegiſſe adverſarium, ſcripſit. Poſtea ex Italia et Occidente a. 421. a Bonifacio Papa pulſus, non ad Aſiaticos confugit, et Epiſcopi Eridicenſis honorem conſecutus eſt, ut opinatur Voſſius, cum is alius fuerit Julianus, ut recte Noriſius hiſt. Pelagian. II: 9. ſed in Ciliciam tetendit ad Theodorum Mopſueſtenum, Pelagianiſmi magiſtrum, ut cum eo manus jungeret contra Auguſtinum, teſte Mario Mercat. Sed et hic in Synodo a. 423. damnatus eſt, non auſo reſiſtere Theodoro. Rediit anno ſeq. in Italiam, a Papa Celeſtino meliora ſperans, ſed qua ſpe excidit, cum et ab eo ſit ejectus, deceſſorum edictis renovatis. Denique poſt varias oberrationes adpulit CPolin, Neſtorii favorem ſibi promittens, ſed qui nec auſus eſt, nec potuit, patrocinari: cum enim Marius Mercator *commonitorium* obtuliſſet Theodoſio, expulſus eſt urbe regia, a. 429., mox

in

a Synodo oecumenica Ephesina a. 431. damnatus, et ubique proscriptus est. Obiit vero sub finem Inperii Valentiniani, teste Gennadio, circa a. 453. Ceterum ex scriptis Juliani, quorum multa perierunt, duae tantum epistolae supersunt, una ad Zosimum Papam, altera ad Rufum Thessalonicensem; quam utramque recensuit Garnerius Oper. Mercatorii tom. I., ubi et posterioris alicujus ad Zosimum exstat fragmentum. Prior, quae libellum fidei continet, in hanc rem est utilissima, unde postea multa depromam.

PELAGIANISMUS.

§. CXXXVIII. Principale Pelagianismi, cujus notitiam dare adgredior, dogma fuit ἀπάθεια *inpassibilitas*, et ἀναμαρτησία *inpeccantia*; ut ex epist. ad Demetriadem, nec non Hieronymi ad Ctesiphontem, ejusque dialogis adversus Pelagianos, mihi extra dubium videtur: quare etiam Hieronymus prooem: lib. IV. ad Jerem. haeresin nomine *inpassibilitatis ac inpeccantiae* insignivit, his usus notatu dignis verbis. *Cum subito haeresis Pythagorae et Zenonis, de* ἀπαθείᾳ καὶ ἀναμαρτησίᾳ h. e. *inpassibilitatis et inpeccantiae, quae olim in Origene, et dudum in discipulis ejus, Grunnio, Evagrioque Pontico et Joviniano, jugulata est, coepit reviviscere, et non solum in Occidentis, sed et in Orientis, partibus sibilare, et in quibusdam insulis, praecipueque Siciliae et Rhodi, maculare plerosque, et crescere per dies singulos, dum secreto docent, et publice negant.* Proximum caput fuit *de viribus hominis*, ut ex epist. ad Demetriadem patet. Sic et Augustinus de *natura et gratia* c. 1. inquit, Pelagium adversus eos fuisse zelo accensum, qui naturam accusabant, ut se excusarent, quare librum scripsit ad Salustii sententiam probandam, *falso queritur de natura sua genus humanum.* Reliqua capita ex hoc fonte manarunt, 1. gratia interna non indigere hominem 2. vires non esse per Adamum inminutas. 3. Adamum posteris non nisi per imitationem nocuisse, 4. mortem esse na-

turae sequelam, non peccati poenam 5. Parvulos non in remissionem peccatorum, sed regnum coelorum, baptizari. 6. Homines ante legem, sub lege, et sub euangelio, eadem via, licet non aeque facile, pervenire ad salutem. 7. Denique praedestinationem dari ex praevisione vitae piae. Sed ex hisce disputationibus et aliae multae sunt quaestiones ortae, sive cum hypothesi connexae fuerint, sive ex opinionibus, quas sibi invicem adfinxerunt, natae, ex. gr. 1. de nuptiis, et num libido sit bonum naturale, an malum accidentale, Vid. hypognost. l. IV. in Oper. Augustini tom. X. in adpendice 2. de Deo creatore bono, an malo 3. de fato 4. de peccatis peccatorum poenis, 5. de ignorantiae lapsibus, peccato accensendis, 6. de juramento illicito 7. de divitibus non nisi omnia vendiderint servandis 8. de Christo non a peccatis inmuni, cum nostram adsumserit naturam 9. de Deo prosopolepsias vitio laborante 10. de anima ex traduce, etc.

§. CXXXIX. Garnerius quidem Diss. VII. existimat, quaestiones omnes fuisse ex opinione de *Origine mali physici*, unde sit mors? ortas, adeoque primam quaestionem fuisse, num ex natura, an peccato, sit? sicut Ruffinus Romae disputavit, Adamum fuisse mortalem natura: quod primum fuisset dogma a Pelagio adsumtum. Sed ei adsurgere nequeo, et Pelagium cum inpeccantiae dogmate incepisse censeo, uti modo demonstravi: nec ex isto de morte errore reliqui necessario fluunt, cum, qui mortem negat esse poenam peccati, non necesse habeat peccatum originale repudiare, et, qui Originale peccatum non admittit, potest tamen hominis corruptionem per consuetudinem et educationem, cum gratiae internae necessitate, adsumere. Illud tantum verum est, Julianum, Theodori Mopsuest. discipulum, in peccato Originali inpugnando maxime fuisse versatum, contra quem Marius Mercator scripsit, in quo sese fundat Garnerius. Sed Pelagius et Celestius, a Ruffino docti, primum et principale habuerunt dogma τῆς ἀπαθείας. De Ruffino et Theodoro

odoro

odoro poſtea differam. Opiniones vero Pelagianorum fuſe cum rationibus exhibet Janſenius in Auguſtino l. II., nec non Voſſius in hiſtoria Pelagiana, ne alios memorem; qui itaque conſulendi ſunt, et cum noſtra tractatione conferendi, qua ex Veterum monumentis, ſupra ſuis locis citatis, eas ſummatim exhibebo, Auguſtini quoque et aliorum Catholicorum opinionibus ſubjunctis.

PERFECTIO JUSTITIAE IN HAC VITA.

§. CXL. Principale dogma Pelagianorum fuit, ex ſanctis omnium temporum fuiſſe aliquos ſine ullo peccato, omnes poſſe eſſe, ope liberi arbitrii, et auxilio gratiae divinae. Pelagius in epiſt. ad Demetriadem dicit, *libertate arbitrii qui bene utitur, ita ſe totum tradit Deo, omnemque ſuam mortificat voluntatem, ut cum Apoſtolo dicere poſſit, vivo autem jam non ego*, etc. Nec tamen dicebant, ſanctos nunquam peccaſſe, excepto Abele, quia de juſtitia ejus loquitur Scriptura, nulla peccati facta mentione: ſic apud Auguſtin. de *natura et gratia* c. 37. Nec de omnibus ſanctis id credebant, ſed de paucis et raris, ut Critobulus loquitur apud Hieronymum dialog. l. I., quorum vita in S. Script. celebratur; quem ſanctorum catalogum texuit Pelagius apud Auguſtinum de *natura et gratia* c. 36. Celeſtius in epiſt. ad *Clericos Romanos*, *dicimus*, inquit, *ſanctos Vet. Teſt. perfecta hinc juſtitia ad aeternam tranſiiſſe vitam.* Sic et Julianus in epiſt. apud Garnerium. Opinio itaque huc tantum redibat, ſanctos omnes *poſſe* ſine peccato eſſe: ſicut ex Auguſtino loc. cit. c. 44. etc. manifeſtum eſt. Quare ſaepe conqueſti ſunt Pelagiani, Catholicos ſtatum quaeſtionis pervertere, non enim ſe diſputare, num ſint, ſed eſſe poſſint? num vires ad id habeant neceſſarias? Sic Critobulus apud Hieronymum: *hoc ſolum dico, hominem ſine pecca-*

te esse posse, si velit. Denique illud ope liberi arbitrii, et auxilio gratiae Divinae, esse possibile, diserte adserit Pelagius apud Augustinum l. cit. c. 10. Hieronym. lib. I. dialog. et in epist. ad Ctesiphontem.

§. CXLI. Rationes, quibus haec opinio fuit superstructa, sequentes mihi occurrerunt, 1. quod ceteroquin liberum tollatur arbitrium 2. Deus tum praecepisset inpossibilia 3. sancti in Script. S. dicantur *perfecti et justi* 4. efficacia baptismi inminuatur, si non omnia peccata abluat, 5. 1 Joh. III: 9. adfirmetur, *non posse peccare, qui ex Deo natus est.* Denique 6. peccatum non sit quid substantiale, et essentiale, nostrum, sed actuale, quod vitari possit. Has, similesque rationes, eos produxisse, liquet ex Hieronymi dialogis, Augustini libro de *natura et gratia*, in primis ejus libro de *perfectione justitiae* humanae, ubi ad Celestii definitiones respondet. Praeterea, praeter Pelagianorum confessiones memoratas, legendae sunt *definitiones*, seu ratiocinationes, Celestii de *inpeccantia*, apud Garnerium ad Marium Mercat., quae singulare spirant acumen. Addamus, qua ratione ad objectiones responderint, 1. ad petitionem orationis dominicae, *remitte nobis debita*, sanctos non esse semper, sed esse posse, sine peccato, quod si sint, non pro se ita precari, sed pro communitate fratrum, pro inperfectis, quibuscum unum constituunt corpus: ita apud Augustinum de *peccatorum meritis et remissione*, l. II. c. 10. 2. sanctorum peccata in Script. S. memorari, nec posse aliquem monstrari perfectum, ut Atticus iis objicit apud Hieronymum dialog. I.; de eo non quaeri, sed tantum de possibilitate. 3. Hominem sibi ab erroribus et ignorantiae peccatis cavere non posse: eo in casu non esse peccata, cum secundum voluntatem non eveniant, sed necessitatem: uti Celestius apud Augustin. de *gestis Palaestinae* c. 18. Vid. etiam Hieronymus dialog. l. I. Sanctos 4. confessos esse peccata sua; aberrari a statu quaestionis: ubi autem dicitur, neminem esse, qui non peccet, illud κατὰ τὸ πολὺ in genere

genere esse intelligendum, non sine exceptione; ut Celestius ostendit, dum scripturae loca sibi invicem opponit, apud Garnerium l. cit.

§. CXLII. Augustini sententia, a superioris seculi Patribus parum discrepans, de quo Vid. S. Basnage Hist. Eccles. L. XI. c. 7. hac de re fuit, neminem fuisse summo gradu perfectum praeter Christum, qui nullum unquam novit peccatum, de *peccat. merit. et remiss.* c. 20. Solam forte Mariam adtigisse inpeccantiam, innuere videtur in lib. de *natura et gratia* c. 36., ubi sanctorum catalogo, quos peccasse autumat, eximit Mariam, sed addit, se ea de re disputare nolle, nec aliquid definire. Etsi autem neminem ita perfectum fuisse censeat, possibilitatem tamen non negat, modo per adjuvantem Dei gratiam, non per vires naturales possibilitas statuatur: in libro. II. de *peccat. merit. et remiss.* c. 6. Cum autem Marcellino, ad quem libros illos scripsit, mirum accideret, possibile dici, cujus nullum exstat exemplum, librum scripsit de *spiritu et Littera*, in quo gratiam adjuvantem defendit, et thesin exponit ac demonstrat. Controversia itaque inter ipsum et Pelagium, hac parte, tantum fuit de *viribus*, quibus perfectio est possibilis, supernaturalibus, an naturalibus? Quod vero Pelagius, fuisse tales, defenderit, non adeo magni momenti esse, ipse Augustinus agnoscit, dicens: si quis dixerit fuisse tales, non graviter errat, sed, si sine auxilio divino id fieri posse contendat, gravissime. Vid. de *spiritu et Littera* c. 2., de *natura et gratia* c. 10. et 60., de *perfectione justitiae* in fin. Egregie prorsus de *peccat. merit. et remiss.* in fin. *homines sine peccato esse, optandum est ut fiat, supplicandum est ut fiat, non tamen quasi factum fuerit, confitendum.* Vid. et contra epist. Pelagii l. I. c. 13. et III: 5. etc., pie autem et modeste de *Spiritu et Littera* c. 36. *multum in hac vita ille profecit, qui, quam longe sit a perfectione justitiae, proficiendo cognovit.* Ceterum videtur inter perfectionem justitiae, qua quis eam *perficit*, et inter eam, qua quis eam

facit, distinxisse; prior omnem excludit concupiscentiam; sed posterior tantum ejus obedientiam, prior in hac vita non datur, sed posterior potest, etiam est aliquando. Ita judicat autor libri, cui titulus, *refutatio crisis Baelii in* Augustinum. Prior perfectio est inmunitas ab omni peccato *materiali*, posterior tantum a *formali*, illud autem est peccati originalis consequens, in concupiscentia involuntaria, et ignorantia invincibili, situm, nec tam peccatum est, quod inputatur, vel damnat, quam miseria et infirmitas vitiosa.

§. CXLIII. Declinavit autem Augustinus, statuendo perfectionis possibilitatem, argumentum Pelagii, Deum, perfectionem praecipientem, nos ad *Inpossibilia* obligare, si non sit possibilis. Ad quam difficultatem eodem modo non responderunt Veteres. Hieronymus, qui in epist. ad *Ctesiphontem*, possibile negat esse, cujus nullum exstat exemplum, in libris *Dialogorum* ab altera parte Deum quid inpossibile praecepisse negat, sed ab altera, hominem ab omni peccato non posse inmunem esse, statuit, quae secum conciliat, adferendo, nullum esse praeceptum, quin sint inter homines qui observent, sed nullum esse posse, qui omnia simul perfecte praestet praecepta. Sequentium vero temporum doctores adfirmare non fuerunt veriti, Deum inpossibile quid praecepisse, nec tamen male, aut injuste, agere, quia homini perfectam illam praescripsit vitae normam, ut semper contendant, ut peccata sua agnoscant, ut se modestos teneant, nec superbiant etc., et remissionem peccatorum continuo inplorent. Vid. Vossius l. cit. lib. V. p. I. Ignorasse videntur distinguere inter physice et moraliter inpossibile, inter remote et proxime possibile, inter ἁπλῶς *simpliciter et* κατά τι *secundum quid* inpossibile. Sed intra historici limites nos contineamus, et, quid ad reliquas objectiones responderint Catholici, enarremus.

§. CXLIV. *Justos* adpellari credentes dixit Hieronymus, *non, quod omni vitio careant, sed quod majore parte virtutum* com-

commendentur, in epist. ad Ctesiph.. et dialog. l. I. Augustinus quoque de *peccat. merit. et remiss.* II: 15. *perfecti* notionem exponit, quod jam ex maxima parte profecit, etsi nondum eousque pervenerit, ut proficere amplius nequeat, praeterea, quod omnia Dei mandata praestet, etsi nondum perfecte, ubi et alia adfert: paulo ante c. 10. *perfectos* dixerat, sanctos illos Vet. Test. adpellari *secundum modum conversationis humanae, non secundum rigorem summum justitiae*, ita scilicet, ut nihil, quod reprehendi possit, quantum humana patiebatur fragilitas, in ipsis superesset. Addit Hieronymus, l. I. Dialog. *perfectos* dici *comparative*. Locum 1 Joh. III: 7. August. *de peccat. merit.* etc. l. II: 7. intelligit de initio renovationis, et spe perfectionis, Hieronym. l. cit. respondet, semini Dei in nobis commixtum adhuc esse semen diaboli, ut habet parabola Matth. XIII. Objectionem de baptismi efficacia solvit Augustinus, statuendo, omnia quidem peccata remitti per baptismum, sed non tolli, nisi in principio et spe, ita ut infirmitates, quibuscum certare debent, supersint, et semper ita proficiant; ita de *peccat. merit*, etc. II: 4. 27. contra epist. Pelag. III: 3. et alibi saepe. Hieronymus vero l. cit. inquit, *baptismus vetera peccata conscindit, novas virtutes non tribuit.* Rationes inperfectionis quaerit Augustinus ibid. II: 17. partim in voluntate, partim in vitiis ignorantiae, et infirmitatis, ei adhaerentibus; *non sunt perfecti homines*, inquit, *quia nolunt, nolunt sive quia latet quod justum est, sive quia non delectat.* Ignorantiam itaque et infirmitatem inpedire statuit voluntatem, ne moveatur ad opus bonum faciendum, vel a malo abstinendum. Deum autem tantam gratiae copiam non concedere, propter sapientes fines, quorum praecipuus est, ut hominis superbia deprimatur, dein etiam, ibid. c. 16. ut humiliati ad Dei gratiam, qua peccata remittit, continuo confugiant. Pro inperfectione humana eadem fere loca et argumenta, quae solent Theologi, produxit, ex. gr. Ps. CXLII: 2. Jac. II: 13. Ps. XXXI: 5. 1 Joh. I: 8. ibid.

c. 7., nec non sanctorum confessiones, ut Davidis, *Pauli* etc., et orationem Dominicam Matt. VI. pro remissione debitorum. Denique, ut in fervore disputandi solet, adversarii sibi invicem absurdas inputarunt consequentias, et notam sibi invicem inurere conati sunt. Pelagiani de Catholicis dixerunt, eos in sanctos esse injuriosos, in ipsum Christum et Mariam, tollere baptismi efficaciam, exstinguere studium ad perfectiora tendendi, et securitati carnali litare, Dei quoque justitiam, acsi inpossibilia praecepisset, obscurare, etc., imo eos esse Manichaeos, quod naturam statuant corruptam. Catholici vero Pelagianis inpegerunt, eos de homine facere lapidem, vel Deum, seu Deo aequiparare, quam calumniam a se removet Critobulus, apud Hieronymum dialog. l. I., esse autores superbiae, quippe quae ex eorum dogmate oritur, Christo quoque eripere praerogativam, qua solus a peccato est inmunis, inminuere etiam peccata, cum ignorantiae peccata e medio tollant: et quae alia sunt. Pelagio inputarunt ἀπάθειαν *inpassibilitatem* Stoicam, et ita contra Ipsum disputarunt, ut ex Hieronymo est manifestum.

VIRES LIBERI ARBITRII, ET GRATIAE NECESSITAS AC EFFICACIA.

§. CXLV. Inpeccantiae possibilitatem fundavit Pelagius in viribus liberi arbitrii, sed, quas si gratia excitaret et adjuvaret, faciliorem esse statuit: ut autem Scripturae doctrinam cum hypothesi sua in concordiam redigeret, *gratiae* nomine intellexit, praeter vires liberi arbitrii, gratiam excitantem et adjuvantem, legem, euangelium, exemplum Christi, forte etiam illuminantem internam operationem Dei, sed bonum tantum monstrantem, et suadentem homini: ne de

de gratia baptismi, remissionis peccatorum, et regni coelorum, quam agnovit, dicam, cum ea opus bonum coronet potius, quam ad praestandum quid efficiat, adeoque huc directe non faciat. Haec est Pelagianismi hac parte summa, quam per partes illustrabo. 1. Viribus liberi arbitrii, in creatione homini inditis, adscripsit possibilitatem bene agendi. Quod ut adcuratius exponeret, tria distinxit, *posse*, *velle*, *et agere:* quorum primum est a natura, secundum a libero arbitrio, et tertium ab adfectu: primum est à Deo, ejusque donum et bonum gratuitum, duo reliqua pendent ab homine: quorum primum adpellavit *gratiam Dei.* Hac ratione mentem explicuit Pelagius in libris de *libero arbitrio*, apud Garnerium in adpendice differt. VI., et in epist. ad Demetriadem. Vid. et Augustinus de *natura et gratia*, saepe, sed praecipue c. 45., etc. et in libro de *gratia Christi* contra Pelagium c. 4. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem. Sic et Africani in Epist. ad Innocentium dicunt, Pelagium ad objectionem, ipsum negare gratiam, respondisse, *ut eam non diceret esse, nisi naturam.* Rationes ejus fuerunt praecipuae, 1. quod alias liberum tollatur arbitrium; cum illud denotet *potestatem agendi, quod velis:* sublato autem hoc arbitrio, putavit Manichaeismum introduci, et Deo adscribi malum. 2. Non nostrum, sed Dei opus coronari, nec praemium aut poenam locum habere, si ea potestas nostra negetur, Hieronym. epist. ad Ctesiphontem. 3. Homines sine lege et euangelio ursit fuisse ad salutem adductos, et Gentiles bona fecisse opera. Pelagius epist. ad Innocentium, *liberi arbitrii dicimus potestatem in omnibus esse generaliter, Christianis, Judaeis, et Gentilibus* etc. Vid., contra bona Gentilium opera disputans, Augustinus l. IV. contra Julianum. Sic et Pelagius epist. ad Demetriadem, inquit, *ante legem quosdam juste et sancte vixisse.* Justos quoque apud Augustinum, de *peccato Origin.* c. 26., dividit in eos *ex natura, sub lege, sub gratia.* Capitulum denique Pelagii et Celestii fuit, *legem sic mittere ad regnum coelorum*

rum, *sicut euangelium.* Vid. Marius Mercat. in commonit. c. 4.

§. CXLVI. 2. Licet in omnibus hominibus agnoverit possibilitatem bene agendi, Deum tamen non negavit multis modis adjuvare, ut facilius ea praestare possint. Sic diserte de *libero arbitrio*, apud Augustinum *de gratia Christi* c. 22, 23, 29. ut, *quod per liberum homines facere jubentur arbitrium*, *facilius possint inplere per gratiam.* Vid. et Augustinus *contra epist. Pelagii* l. II: 8. Quam sententiam ipsis verbis damnavit concilium Carthagin., ut ex quinto ejus canone patet. Quid autem per *gratiam* illam *facilitantem* intellexerit, in lucem est proferendum. α. Legem a Mose datam illum ea voce comprehendisse, dubio caret. Inter Celestii capitula erat, *gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari*, *sed in libero arbitrio esse*, *vel in lege ac doctrina.* Hieronymus epist. ad *Ctesiphontem* inquit, *gratiam Dei ad liberum referunt arbitrium*, *et ad praecepta legis*, *ponentes illud Jesaiae*, *legem enim Deus in adjutorium posuit.* Vid. et Augustinus de *gratia Christi* l. I: 3, 10. Quare in legis laudem se solebant effundere, et ejus comtemtum objicere Catholicis, legem quoque promissum vitae aeternae continere dixerunt, Augustin. contra epist. Pelagii l. III in init. β. Euangelium nomine *gratiae* insignivit, uti verba Pelagii habent apud Augustin. de *gratia Christi* c. 7. *adjuvat nos Deus per doctrinam et revelationem suam* etc. Vid. et Augustinus de *spiritu et littera* c. 2. et saepe. γ. Exemplum quoque Christi per illud adjutorium designavit; teste Augustino de *gratia Christi* c. 2. quod et ipsa Pelagii verba ibid. c. 39. indicant. Julianus quoque in *libello fidei* finem incarnationis Christi adserit esse, *ut universum mundum a peccatis et exemplo revocaret*, *et patiendo redimeret.*

§. CXLVII. δ. Num, praeter externam hanc *gratiam*, admiserit intimas aliquas Spiritus S. operationes, et quales? disputari potest. Quod si Pelagii libros de *libero arbitrio* haberemus, certius aliquid statui posset. Cum autem

eos legerit Augustinus, si ipse hanc opinionem adtribuat Pelagio, illud magni est faciendum. Ipse autem de *gratia Christi* c. 4. *secundum Pelagium*, inquit, *possibilitatem divino adjuvari auxilio; ipsum autem auxilium in lege*, sic pergit, *constituit ac doctrina, quam nobis fatetur etiam sancto Spiritu revelari; propter quod et orandum concedit.* Ipse Pelagius, citante Augustino ibid. c. 7. illud ipsum innuere videtur, his verbis, *adjuvat nos Deus per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, dum nos multiplice et ineffabili dono gratiae coelestis illuminat*: quo etiam haec ejus verba apud Augustinum ibid. tendunt, *Deum revelatione sapientiae in desiderium Dei torpentem suscitare voluntatem, et suadere omne quod bonum est.* Denique tradit Pelagius in Epist. ad Innocentium I. Papam a. 407. scripta, se in litteris ad Paulinum Nolanum *trecentis forte versibus, nihil aliud quam Dei gratiam et auxilium confessum esse, nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo.* Fatetur praeterea Augustinus de *haeresibus*, ubi haeres. 88. de Pelagianis agit, eos gratiam internam illuminantem statuere. Accedit denique, ipsum ubique divortium sententiarum in eo collocare, 1. quod Catholici gratiam agnoscant, quae voluntatem movet, et charitatem infundit, et non tantum, quae *scientiam* confert, quam dicit etiam inflare. 2. Catholici in omnibus actibus singularibus gratiam moventem statuant necessariam. Ex quo colligendum videtur, Pelagium gratiam admisisse illuminantem, dein generalem, quae vires dat, non quae singulis actibus sufficit, esse enim hominem iis praeditum viribus, ut intellectus luci, seu cognitioni, actiones praestet conformes. Nec tamen haec adeo liquida sunt, cum alibi dicta Pelagii interpretetur Augustinus de *gratia Christi* c. 20., de *doctrina sonante forinsecus*, et ibid. c. 37. tradat, Pelagium sub *ambigua generalitate*, *quid senserit*, *abscondere solere*, et nusquam expresse dicere, gratiam Dei interne mentem illustrare. Inter

Celestii definitiones, apud Augustinum de *gestis Palaestin.* c. 14. est, *gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari. Sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrina*: sed hoc ad singulos actus restringitur. Verum Augustinus de *gratia* c. 24. tradit, Pelagium censere, *legem et doctrinam sonare forinsecus*, et cum ibid. c. 41. dixerat, *doctrinam*, etiam secundum Pelagium, *sancto Spiritu revelari*, statim subjungit, ipsum gratiam in *doctrina*, *quae praedicatur*, *constituere*. De epistola Pelagii ad Paulinum, modo citata, testatur Augustinus ibid. c. 35., se eam legisse, et *invenisse*, *eum per totam non immorari nisi in facultate et possibilitate naturae*, *et pene ibi tantum gratiam Dei constituere. Christianam vero gratiam*, *tanta brevitate*, *sola nominis conmemoratione*, *perstrinxit*, *ut nihil aliud videatur*, *quam eam tacere timuisse*. Quicquid hac de re sit, illud constat, Pelagium gratiam non statuisse physice, inmediate, ita efficaciter moventem voluntatem, aut charitatem infundentem, nec etiam in singulis actibus adjuvantem, sed facilitantem, et vires naturales excitantem, sive forinsecus tantum per legem, doctrinam euangelicam, et exemplum Christi, sive etiam intrinsecus intellectum illuminantem, ut veritatis habeat cognitionem, et vim veritatis in se sentiat et experiatur, salvo arbitrio libero, adeoque, ut quis *actu* agat, sufficere arbitrium, ut possit, habere a natura, ut *facilius possit*, a gratia esse, quae lucem suppeditat intellectui, et voluntatem per externa movet motiva, vel intus animum illustrat. Utique ipse Pelagius in epist. ad Demetriadem, locis in vita Pelagii citatis, gratiam internam adjuvantem videtur agnovisse, qui etiam ibid. alio loco Christianos adpellat *instructos per Christi gratiam*, *et in meliorem hominem renatos*, *sanguine ejus expiatos et mundatos*, *illiusque exemplo ad perfectam justitiam incitatos*. Nec adseclae Pelagii a gratia adjuvante interna videntur fuisse alieni. Julianus in confessione apud Garnerium, ait, *gratiam omnibus bonis actibus adjutricem semper esse*, *et comitem*; et Critobulus apud Hieronymum, l. III. dialog.

Cele-

Ceterum, inquit, *fuit plerique nostrorum, qui omnia, quae agimus, dicunt fieri praesidio Dei.* Ceterum cum dictis conferri merentur, quae disputat Jansenius in Augustino l. V. et VI., ubi de haeresi Pelagiana differit: internam aliquam operationem Spiritus S. agnovisse Pelagium autumat, sed Pelagianos non eo devenisse, nisi post haeresin illam publice damnatam, statuisse vero eos gratiam, ut homo facilius possit operari bonum, nec praevenientem, sed subsequentem, ac adjuvantem, simul dari propter bonam voluntatem, adeoque ex merito aliquali, addit, eos praelusisse Semi-Pelagianis. Ceterum contra Catholicos disputavit Pelagius ex perverse intellecta eorum mente, acsi gratiam, quae invitum, nolentem, et reluctantem trahit, statuerint: uti saepe observat Augustinus. Vid. contra epist. Pelag. l. II: 17. Sed et Catholici, seu Augustiniani, invidiose quoque Pelagianam opinionem traduxerunt, tanquam *gratiae* Dei inimicam, acsi nullum ei in homine sanctificando dedissent locum, quia gratiam illam inmediatam, ac voluntatem physice flectentem, ex praedestinatione paucis datam, repudiarunt, et gratiam semper cum doctrina euangelica, et exemplo Christi, copularunt.

§. CXLVIII. 3. Tribuitur denique ipsis opinio de gratia Dei propter merita data hominibus. Quod varie intelligi potest: α. ut gratia tantum indebita sit sola natura, et liberum arbitrium; quo si quis bene utatur, ulteriore gratia, modo descripta, dignus sit. Augstinus epist. 105. *gratiam illam*, inquit de Pelagio, *quam volebat, sine ullis praecedentibus meritis dari, esse humanam naturam.* β. Gratiam remissionis peccatorum esse meritoriam, quatenus ad resipiscentiam conceditur, statuit Celestius apud Augustinum de *gestis Palaestin.* c. 18., ut et epist. 106. ad Paulinum. γ. Sed postea illam gratis dari dixerunt, vitam vero aeternam ob meritum bonorum operum. Augustin. de *gratia et libero arbitrio* c. 6. *Dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata di-*

mittuntur: illam vero, quae datur in finem, h. e. *vitam aeternam, meritis nostris praecedentibus reddi.* δ. Denique, qui gratiam ulteriorem adjuvantem statuerunt, eam ob bonam voluntatem, et sic ob merita, concedi dixerunt. Augustin. *contra Julianum* l. IV. c. 3. *Studium sanctitatis sine adjutorio Dei vultis in hominis voluntate praecedere, quod merito debeat Deus adjuvare, non gratis.* Sic et Hypognosticorum scriptor l. III. *dicere consuevistis, quia prior volui, Deus voluit.* Nec tamen eo venerunt Pelagiani nisi sero, et pressi; quare Augustinus contra Julianum l. IV. 8. dixit: *ibi enim vos, ut video, jam ponere coepistis merita gratiam praecedentia* etc. quod ad Semipelagianos propius accedit. Julianus enim eam fovit sententiam, ut ex Bedae excerptis patet apud Garnerium l. cit. Sed notandum, vocem *meriti* non alio ab ipsis intelligi sensu, ac quo a Catholicis, pro conditione antecedente, et movente Deum. Augustinus, qui meritum proprie dictum agnovit nullum, praecedentem gratiam dixit nova gratia mereri et coronari, adeo ut ipsum hominis meritum sit donum gratuitum, ut loquitur epist. 186. Vid. et epist. 192. ac alibi.

§. CXLIX. Catholici, ut eorum de gratiae necessitate et efficacia, respectu operis boni, mentem nunc tantum exponam, de gratia praeveniente in historia Semi-pelagianismi acturus, in genere gratiam statuerunt internam ad animum hominis necessariam esse, nec externa media, a Pelagio proposita, sufficere, nec etiam internam intellectus illuminationem, sed operationem Spiritus S. requiri inmediatam, qua suavitatem in bono, ejusque dilectionem, homini infundit, ut non tantum sciat bonum, sed et agere velit. Audiatur Augustinus de *Spiritu et Littera* c. 3. *Nos autem dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut, praeter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, praeterque doctrinam, qua ei praecipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, ac in-*

incommutabilis boni, quod Deus est, etc. Vid. etiam c. 34. Alibi etiam, ut de *gratia Christi* c. 14., *adjutum* dicit, *ut non solum*, quid faciendum sit sciat, *sed quod scierit, etiam faciat*. Qualia ubique apud eum prostant. Hanc praeterea gratiam ad omnes actus bonos, ad singulos, requiri, statuerunt. Sic *Dei per singula adjutorium* memorat Hieronymus l. I. dialog., variis in locis; imo ad actiones naturales et civiles bene praestandas Dei auxilium esse necessarium, in libris dialogorum, et epist. ad Ctesiphontem, ubique adfirmat. Augustinus quoque de *gratia Christi* c. 26., *nihil boni*, tradit, *sine illa gratia, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse*. Unde simul patet *necessitas* illius gratiae, ex mente illorum. Cum Pelagiani dicerent, hominem per gratiam facilius posse, Augustinus de *gratia Christi* c. 29. illud negat, adserens, *nos sine gratia simpliciter non posse, ut ait Dominus* Joh. XV. Ita et de *gratia et libero arbitrio* c. 27., *sine illo operante cum volumus, ad bona pietatis opera nil valemus*. Demonstrat ex Rom. V. *caritatem* esse *diffusam in cordibus*, aliisque ex locis, in quibus caritas dicitur fructus Spiritus S., et Dei donum. Vid. etiam de *gratia et libero arbitrio* c. 16. etc. Autor *hypognost*. l. III. liberum tantum arbitrium fatetur in operibus vitae praesentis, tam bonis quam malis, etsi bona illa civilia et moralia *non sine gubernaculo divino subsistant*. Denique de gratiae efficacia, quoad hominis conversionem, postea, ubi de Semi-pelagianis, exponam, hic in genere observasse suffecerit, secundum Augustinum, et alios, Deum, in nobis *velle et operari* efficere, ut Augustinus contra epist. Pelagii l. II: 9. etc. disputat. Sic et de *gratia Christi* c. 24. dicit, *Deum interna ac occulta, mirabili, ac ineffabili potestate, operari in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed et bonas voluntates*.

§. CL. Superest explicem, qua ratione argumenta adversariorum solverint. 1. Respectu *liberi arbitrii*, illud per suas opiniones non tolli, sed perfici per gratiam, adjuvari

enim arbitrium dixerunt: quod autem per fe id adfequi nequeat, illud peccato effe inputandum, ut difputat autor Hypognoft. l. III. et Auguftinus de *Spiritu et Littera* c. 30. ubi, arbitrium per gratiam non aboleri, difputat: ubi et haec notabilia occurrunt verba, quae mentem Veterum in clara ponunt luce; *per legem cognitio peccati, per fidem inpetratio gratiae contra peccatum, per gratiam fanatio animae a vitio peccati, per animae fanationem libertas arbitrii, per liberum arbitrium dilectio juftitiae, per juftitiae dilectionem legis operatio.* Nobilem etiam hanc regulam praefcripfit de *Peccat. Merit. et remiff.* l. II. c. 28. *fic defendenda gratia, ut liberum arbitrium non auferatur, fic liberum arbitrium adferendum, ne ingrati Dei gratiae judicemur.* Porro hominem non invitum transferri, ad bonum incitari, fed per gratiam fieri lubentem, difputat Auguftinus contra epift. Pelag. II: 17. Sed praeterea addit, etfi homo non poffit fine gratia, tamen eum poffe non velle, licet adfit gratia, adeoque libere praeftare obfequium gratiae. Vid. et Gregor. M. homil. 9. in Ezech. l. I. 2. Unde etiam praemiorum et poenarum confpectum derivarunt, et ita ad objectionem illam refponderunt: fed de libero arbitrio quid fenferint, poftea in Semi-pelagianorum hiftoria exponam diftinctius. Hic tantum obfervo, liberum arbitrium, quod per Adami lapfum eft deperditum, duplex effe fecundum Auguftinum, *unum* in voluntatis dominio in motus et fenfus intimos concupifcentiae, *alterum* in dominio ejus in confenfum concupifcentiae ejus, quo motibus illis fe tradit: prius in hac vita non reftituitur, cum homo ab hac concupifcentia non fiat in hac vita inmunis, ut fupra expofui, fed tantum pofterius. Unde eft, quod dicat, nos effe in hac vita liberos, et non liberos; fcilicet ad actus juftitiae edendos, et non ad perfectionem juftitiae, quae omnem excludit concupifcentiae motum. Vid. etiam autor *refutationis crifeos* Baelii, fupra citatus. 3. Quod vero ad bona Gentilium opera adtinet, de illis fufe differit Auguftinus contra

contra Julianum l. IV. Quae omnia huc redeunt, 1. gratiae esse tribuendum, quod in ipsis vere bonum fuit. Vid. et ep. 144. 2. bona opera Gentiles non *bene* fecisse, cum ex fide non fecerint, nec bonum intenderint finem; adeoque 3. salutem per ea non potuisse consequi, sed poenam tantum tolerabiliorem. Vid. quoque Norisius Vindic. Augustin. c. III.

NATURA HOMINIS INTEGRA AN DEPRAVATA? SEU PECCATUM ORIGINALE.

§. CLI. Quaestio haec ex superioribus sponte sua fuit nata. Homines enim viribus carere ex peccato originali derivarunt Catholici, et hinc inferebant Pelagiani, hominem, secundum Catholicos, desperare de perfectione debere, adeoque pietatis studio eam opinionem esse inimicam. *Dicitis*, inquit Augustinus contra Julianum l. II. c. 1. *nos, adserendo peccatum originale — — — desperationem perfectionis ingerere.* Quod enim naturale est, auferri non posse, Julianus alibi dixit apud Augustinum. Pelagius, vires hominis esse inminutas, diserte negavit; cujus verba apud Augustinum de *peccato originis* c. 13. ex libris ejus de *libero arbitrio*, sunt: *omne bonum aut malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles, sumus, non nobiscum nascitur, sed agitur a nobis, capaces utriusque rei, non pleni, nascimur, et ut sine virtute, sic sine vitio, procreamur.* Sic et Celestius apud eundem de gestis Palaestin. c. 11, 33. infantes dixit in *eo statu nasci, in quo fuit Adam, ante praevaricationem*, excepto, quod ille in *adulta creatus sit aetate.* Ita et Julianus apud Augustinum l. III. c. 4. Hinc itaque porro statuerunt, Adami peccatum nemini, nisi ipsi, nocuisse, non posteris, nullum itaque esse *originis peccatum, nullum ho-*

mini congenitum: ut Julianus apud Garnerium l. cit. inquit. Objecit quoque Paulinus Celestio apud Augustinum de *gestis Palaestin.* c. 11., *quoniam peccatum Adae ipsum solum laeserit, et non genus humanum.* Vid. et autor Hypognost. l. II. Argumenta Pelagii, petenda ex Augustino de *peccatorum meritis et remissione* lib. III. de *peccato origin.*, contra Julianum l. II. init. et III: 11. de *natura et gratia*, praecipue in opere *inperfecto contra Julianum* l. I. etc. fuerunt sequentia, ex Script. locis partim, partim ex ratiociniis, derivata. Script. S. loca urserunt, quibus 1. Deus peccata parentum negatur in liberis punire. Deut. XXIV: 14. et Ezech. XVIII: 3. etc. 2. homines in ultimo judicio leguntur judicandi propter opera, et ex illis, Rom. II: 2. Cor. V. 3. peccatum dicitur *mortuum, ubi lex non est*, Rom. VII: 8. ad quem locum Pelagius in comment. *si cum lex non esset, peccatum non erat, insaniunt, qui de Adam per traducem adserunt ad nos venire peccatum.* Reliquae rationes fuerunt, 1. Peccatum est voluntarium quid 2. non est substantia, sed actus, qui naturam infringere nequit. 3. Justitiae adversatur propter aliena, et non sua, peccata puniri 4. peccatum tunc poena foret, posteris propter Adami peccatum inflicta, sed peccatum punitur, non ergo est ipsa poena. 5. peccatum Adamo remissum post conversionem ipsi non nocuit, multo minus posteris. 6. si peccator ex peccatore nascitur, justus ex justo gigni deberet 7. si non peccantibus nocuit peccatum Adami, ergo Christi justitia non credentibus prodest, cum ceteroquin minoris foret efficaciae. 8. Modus propagationis demonstrari nequit, nisi ex traduce, contra opinionem Catholicorum. Quid vero ad Catholicorum argumenta pro peccato originis responderint, minus liquet, nisi in genere, *ex opere inperfecto* Augustini contra Julianum, et ex commentario Pelagiano ad Rom. V., eos locum illum de *imitatione* intellexisse, et probare conatos esse, eum non favere Catholicis 1. quia, si per traducem, non ab uno, sed duobus,

bus, Adamo et Eva, esset derivandum 2. si peccatum originale sit intelligendum, illud non ad *omnes* pertinet, cum *multi* dicantur, et Christi justitia non sit omnium. Quae vero ex baptismo infantum, ex malis et morte temporali, protulerunt Catholici, novas pepererunt quaestiones, de quibus mox.

§. CLII. Catholicorum rationes antequam in medium adferam, qua ratione argumenta Pelagianorum solverint, exponam, cum ratiociniorum, tum Script. locorum, respectu. Quod ad prius adtinet. 1. Peccatum quidem, quatenus ab homine actu patratur, esse voluntarium, et ita Adamum peccasse, dixerunt, quod fortissime, et ex nobis ipsis, non ab alia causa extra nos, esse, adseruit Ambrosius in hexaemer. l. I. c. 8., sed de originali peccato negarunt, cum illud in concupiscentia, a parentibus propagata, situm sit. 2. Licet peccatum non sit substantia, attamen, cum sit privatio Dei, ejusque communionis, anima, ea per peccatum carens, aeque languescit, ac corpus cibo destitutum, licet ea carentia non sit substantia, Augustin. de *natura et gratia* c. 20. 3. Peccatum originale ad liberos propagatum, non censetur alienum, sed proprium, cum illud per generationem naturalem participent, et in se habeant. Augustin. de *peccatorum merit. et remiss.* III: 8. 4. Peccatum pro poena haberi non posse negat Augustinus de *natura et gratia* cap. 22. Cum enim Deus hominem propter peccatum deserit, in gravius ruit et deterius, et ita indies corrumpitur, quae vera poena est, ut ex Rom. I. probat; absque tamen ut Deus sit ejus autor, qui gratiam tantum subtrahit. 5. et 6. Etsi peccatum remittatur, tamen corruptio non penitus aufertur, nec etiam concupiscentia carnis, secundum quam libidinem procreantur liberi, et peccatum propagatur, Augustin. de *peccat. mer. et remiss.* II: 9. 7. Sicut infantes a parentibus habent concupiscentiam per naturalem generationem, ita etiam per Christum participant remissionem peccatorum cum baptizantur, etsi actu nondum

nondum credere possint, ibid. III: 2. In adultis res aliter habet. 8. Ultimum argumentum Catholicos torsit, qui nec eodem modo se expediunt. Augustinus ad opinionem de anima ex traduce inclinavit quidem, sed nihil definivit. Vid. etiam epist. 166. ubi, quid de anima credat, et in quo haereat, exponit: vid. etiam de *Genesi ad litteram* lib. X. In libris vero de *anima*, et ejus *origine*, ad Vincentium Victorem, demonstrare conatus est, opinionem illam non esse Scripturae S. adversam. Sed alii censuerunt, animam, pure creatam, a carne peccatrice infici et corrumpi: communior fuit opinio, peccatum originale esse tantum privationem justitiae originalis, unde corruptio animae sequi debuit. Vid. Vossius hist. Pelag. l. II. p. III. Epistola Synodica Episcoporum exulum in Sardinia, cujus suo loco memini, mentem his verbis notabilibus exposuit, cap. 22. *Quaestionem vero animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia, sive ex propagine veniat, sive novae singulis corporibus fiant, quod sanctarum scripturarum autoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari.* Vid. etiam Fulgentius Rusp. de *Praedestinatione et gratia Dei* lib. III. c. 18. Ipse Gregor. Nazianz. carm. XIII. dubitanter ea de re loquitur. Quod vero ad Script. S. loca adtinet. 1. legem Deut. XXIV. dixit Augustinus, homines tantum constringere, judicium exercentes, non Deum, supremum Judicem, dein ad homines jam natos pertinere, non vero nasciturος per naturalem generationem. Dictum vero Ezech. ad Novum Test. putat respicere, et promissionem gratiae continere, qua paternum chirographum deletur, ita ut nemo alterius voluntate reus fit, sed pro se quisque rationem redditurus: homo enim per baptismum a paterno debito liberatus est propter Christi gratiam; praeterea de adultis aetate agi. Vid. Augustinus contra Julianum VI: 25. et Oper. Inperf. III: 38. 2. De Judicio ultimo dicit, vel parvulos sistendos, vel non: si

prius,

prius, dictum Apostoli iis adplicari nequit, si posterius inepte objicitur. Statuit itaque parvulos ad eos pertinere, qui *per corda et ora gestantium crediderunt*, *vel non*.

§. CLIII. Usi praeterea sunt iisdem fere argumentis pro peccato originali Catholici, quibus passim Theologi solent: quare hic morari necesse non est. Argumentati sunt ex Gen. VIII. Job. XIV. Ps. LI., et praecipue ex Rom. V: 12. quem locum a Pelagiana explicatione vindicavit Augustinus, demonstrando 1. de imitatione capi non posse, partim quod a Diabolo tunc potius repetitum fuisset peccatum, ita *de peccat. merit. et remiss.* I: 9. partim phrasis repugnet, *in quo*, scilicet Adamo, *peccarunt*, partim denique oppositio inter Adamum et Christum id non ferat. Vid. contra Julianum. VI: 24. Quod autem *multos* dicat Apostolus peccatores constitutos, multos idem esse ac omnes, respondet: cum enim *multi* esse queant, qui tamen ingentem multitudinem non faciunt, omnes dixit multos, ut inmensa exprimeretur multitudo. Denique exponit, quo modo *omnes* dicantur in Adamo *mori*, *et omnes* in Christo *servari*, quatenus nemo fit corruptioni et morti obnoxius, nisi naturali generatione sit ex Adamo, et nemo, nisi in Christo, servetur. Vid. etiam de *peccat. merit. et remiss.* I: 28. Denique ex circumcisione, paedobaptismo, malis hujus vitae, et morte temporali, argumenta petierunt. Quibus inmorari necesse non est.

§. CLIV. Veterum, in primis Augustini, sententiam, de fundamento inputationis peccati Adami ad mala poenalia, in clariorem lucem proferam, ut, num eam statuerint *inmediatam*, et Adamum, vi foederis Dei cum ipso, caput repraesentativum, ut loqui amant Theologi, an *mediatam*, mediante corruptione nativa, ex Adamo, capite humani generis naturali, per generationem naturalem et libidinosam, ortam? quae quaestio Theologos a longo divisit, dijudicetur. Multa mihi sub manus venerunt, quae, eos posteriorem tenuisse opinionem, probabile faciunt, paucis

repraesentanda, et generalius quoad alios, sed paulo fusius quoad Augustinum et distinctius. In Adamo nos peccasse, quasi in massa, habet fragmentum Hilarii Oper. p. 714. *Ipse enim*, sic pergit, *per peccatum corruptus, omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato. In die judicii*, inquit Ambrosius ad Ps. XLVIII. Oper. t. II. *nostra, non alienae nequitiae* (Adami) *flagitia, puniuntur in nobis: unde reor, iniquitatem calcanei* (ab Adamo ortam) *magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti.* Praeterea ad Ps. LXII. declarat, *Adamum nobis esse factum causam mortis per inobedientiae haereditatem.* Epist. LXXIII. ad Irenaeum dicit, Adamum, si non fuisset lapsus, *praerogativam naturae, atque ingenitae sibi innocentiae, haeredibus propriis reservaturum fuisse*, deinde Adamum et Evam dicit *vinculo erroris nexuisse omnem propriae seriem successionis.* Theodoreti doctrina, quam etiam exhibet Garnerius dissert. III. de fide Theodoreti, huc redit, *Adam per peccatum mortalis factus genuit mortales: ex mortalitate corporis ortae sunt perturbationes animi, inde peccata, et sic mors.* Quo eodem modo rem exposuit Chrysostomus serm. V. ad Genes. et homil. 10. etc. ad Epist. ad Rom. Plures, quos possem, adferre supersedeo, et Leone M. contentus ero. Serm. 88. inquit, *habet hoc in se generaliter natura humana, non a Creatore insitum, sed a praevaricatore contractum, et in posteros generandi lege transfusum, ut de corruptibili corpore, etiam quod animam corrumpere possit, oriatur.* Vid. et serm. 91. Sic et damnationem ex originali peccato, transeunte in posteros, derivat epist. 46. Eundem in modum mentem exposuit Gelasius Papa in epistola ad Episcopos per Picenum, cujus in ejus vita memini, quae legi meretur; nec non, ne plures citem, autor *commentar.* in Epistolas Pauli, ad calcem operum Ambrosii, qui Hilarius diaconus Romanus esse putatur. *In quo*, inquit ad Rom. VI: 12. *id est, in Adam — — — manifestum itaque est in Adam omnes peccasse, quasi in massa, ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes nati sunt sub peccato.*

eccato. Ex eo ergo cuncti peccatores, quia ex eo ipso sumus mnes. Concinit autor libri de vita contemplativa l. III. c. :. inter opera Prosperi Aquitanici, ubi dicit, nos primo hoone peccante peccavisse, non in nostra jam separata vita, ed in ejus natura, in qua fuimus, et corruptionem velut de adice — — — — contraximus. Addit mox, concupiscentiam vitiosam non esse naturalem, sed naturae nostrae inditam oenaliter, et insertam, quae peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit. Quod tantum fit per consensum nostrum.

§. CLV. Augustinum ad eam hypothesin inclinatiorem fuisse, probabile faciunt sequentes rationes. α. Deum dixit non aliena, sed propria nobis inputare peccata, et peccatum Adami carnali generatione fieri proprium, de peccat. merit. et remiss. l. III: 8., ubi naturalis quoque corruptio proxima ponitur inputationis et reatus causa. Sic et l. VI: . 4. contra Julianum contagione propaginis propria adpellantur. β. Mortis necessitatem dicit cum concupiscentia, et in deterius mutata natura, esse transmissam, de civit. Dei . XIV: 1. Deinde, contra Pelagium disputans, de peccat. merit. et remiss. l. I. c. 10. etc., qui nos imitatione peccatores fieri statuebat, demonstrat, homines constitui reos, non per peccata, quae ipsi actu patraverant, sed per peccatum, quod ab Adamo per propagationem traxerant: indicat itaque manifeste, peccatum in ipso esse homine; et tota eo tendit disputatio, ut, hominem per peccatum originale, ab Adamo tractum, et ad posteros propagatum, haberi reum, evincat. Peccato uno Adami propago carnalis est obligata, inquit epist. 157.; sic et epist. 186 et 187. per hoc non moreremur, ait, nisi per carnalem propaginem de membris illius (Adami) veniremus; nec viveremus, nisi per naturalem connexionem membra hujus (Christi) essemus, rursus epist. 193. a justo Deo damnari nequeunt infantes, si nihil mali ex origine traxerint, et peccati contagium non haberent. Sic ad Joh. tract. III. peccatores nascimur, quia ex Adamo peccatore nascimur: ut autem nasceremur ex Adamo, necessitatis fuit ex damnatione,

natione. Porro ad Ps. CXVIII. *in Adamo omnis creatura humana, tanquam in radice, vitiata est.* Vid. et *de civit. Dei* l. XIII: 3. *De Nuptiis et concupiscentia* l. II. c. 27. *Sufficit*, inquit, *ad condemnationem unum originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit.* Praeterea contra epist. Pelagii l. IV. c. 4. contra eum, qui mortem ad nos per Adamum transire, et non crimina, statuit, mortem pro sequela naturae habens, demonstrat, esse a ratione alienum, poenam sine culpa transire, adeoque peccatum primo loco posuit, ex quo sit poena: sic et ibid. *in Adamo* dicimur fuisse et peccasse, quia peccatum ab ipso trahimus *nascendo*, quod Hilarii verbis adfirmat, *manifestum in Adamo omnes peccasse, quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato.* In Adamo ergo reputati fuimus, quatenus ex ipso ad nos propagaretur corruptio. Denique *de peccat. merit. et remiss.* l. III. c. 7. *In Adamo dicimur peccasse, quando in ejus natura illa insita vi, qua nos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt:* respectu itaque hujus propagationis naturae participasse censentur peccatum ejus: uti contra Julianum l. III. c. 18. *omnes ex uno homine, tanquam in massa originis, commune illud unum peccatum habent:* sicut in *praevaricatrice radice homines* dicuntur *damnati;* de peccat. Origin. c. 37.

§. CLVI. γ. Derivat corruptionem naturalem non ab inputato peccato Adami, sed a carne, et ejus libidine in generando: quare et animam ex traduce esse maluit statui, quod non habuisset necesse, si inmediatam admisisset inputationem, cum anima tunc dici posset cum corpore unita, in poenam peccati inputati. Libido itaque carnalis, cum carnali nostra generatione, proxima ipsi causa est corruptionis nostrae. Vid. de peccat. orig. c. 37. de *nuptiis et concupisc.* l. I. c. 24. *Ex concupiscentia carnis*, quae secundum ipsum est libido in procreandis liberis, vel in concubitu, *quae nascitur proles*, inquit, *originali est obligata peccato.* Sic et l. II. c. 34. *magno primi hominis peccato natura nostra*

tra est in deterius commutata, non solum facta est peccatrix, verum etiam generat peccatores: confert etiam, malas valetudines parentum saepe adtrahere liberos. Denique contra Julian. l. II: c. 12. *nec mirum*, ait, *nec injustum*, *quod radix profert damnata damnatos*. Sic et l. III. c. 26. et ibi saepe. *δ*. Quod in uno homine omnes dicantur peccasse, illud dupliciter intelligi posse dicit, contra epist. Pelagii l. IV. c. 4. *aut, quoniam, quando ille peccavit, in illo erant omnes, aut quia generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes*. Quae licet ambigua sint, putem tamen eum velle, homines fieri reos propter contagionem peccati originalis; ei autem fieri obnoxios, quia ex Adamo essent nascituri, qua ratione eramus cum ipso *unus*, et in ipso dici possumus peccasse. Egregie in hanc rem de *civit. Dei* l. XIII: c. 14. dicit: *nondum erat sigillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus; sed jam natura erat seminalis, qua scilicet propter peccatum vitiata, et vinculo mortis obstricta, justeque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur*. *ε*. Denique foedus cum Adamo, tanquam capite repraesentativo, initum, indeque derivatum peccatum originale, Augustino, aliisque veteribus diu adhuc post, ignotum fuit, et a Scholasticis deinceps inventum, ut, quod his scriptis mihi demum innotuit, fuse disputavit Jansenius in Augustino tom. II. l. I. c. 5. et seq., ubi de ejus sententia accurate disserit, tanquam in eo sita, quod libido carnalis in generando sit vera causa propagationis corruptionis, nostraeque reatus Adami participationis. Ex Adamo ita corrupto nascuntur posteri corrupti, sicut ex oleastro similes nascuntur, ex parentibus podagricis tales liberi. Vid. etiam Fulgentius Ruspensis epist. ad Donatum de recta fide cap. 2. Ceterum, quod obiter observo, ex hac opinione de libidine in generando vitiosa, et ex peccato demum in Adamo orta, quam veteres passim, etiam Semi-pelagiani, ut Faustus de *libero arbitrio*, lib. I. c. 2. tenuerunt, derivandum inter alia est, quod in

ea domanda sese adeo fatigarint, subinde ad carnificinam usque, et virginitatem praetulerint nuptiis, tanquam excellentiorem, imo Angelicam, et longe majore praemio dignam.

§. CLVII. Haec licet pro mediata inputatione pugnent, alia tamen apud ipsum occurrunt, quae inmediatae videntur propiora, adeo ut dicendum sit, eum non satis adcurate esse locutum, vel sibi non constitisse. Quod Veteribus non est infrequens. Adpellat utique concupiscentiam illam naturalem *poenam* peccati Adami, uti ad Simplicianum l. I. c. 10. et in enchiridio, ac contra Julian. l. V: 3. *concupiscentia*, inquit, *poena est*, *quia reddita est meritis inobedientis*. Sed censeri potest, velle, eam pro poena peccati Adamo inflicta esse habendam, adeoque relate ad eum tantum, ita ut ipse, hac justitia privatus, ad posteros propagaverit eam naturam; quod itaque in posteris non nisi inproprie conspectum poenae habet, quemadmodum, concupiscentiam originalem inproprie *peccatum* adpellari, saepe adfirmat, cum verius vitium et languor naturae sit. Vid. Vossius l. cit. l. II. c. 3. Praeterea, poenam illam participant posteri ob naturae similitudinem, et non inmediate per inputationem inmediatam: ne dicam, illud ad inputationem peccati Adami *ad poenam* non pertinere, cum haec sit mors et damnatio. Sed gravius est, eodem tamen modo etiam expediendum, quod alibi statuere videtur, concupiscentiam originalem non mereri mortem, sed eam habere conjunctam ex primo peccato inputato, quia in regenitis per baptismum statuit tolli reatum, manente concupiscentia, adeo ut ea non habeat reatum mortis per se, sed secum conjunctum, cum hic tolli possit, manente illa: addit rationem, quia aliud est, causam removere languoris, aliud, ipsum languorem. Ita de Trinit. l. XIV: 17. Videtur itaque ex reatu derivare concupiscentiam, et non vice versa. Inmediatam inputationem videtur clare statuere *Retractat*. l. I. c. 15. et de *libero arbitrio* l. III: 51. etc. ubi ineptitudinem hominis corrupti dicit pro poena pec-

cati

cati esse habendam; sed ibid. §. 55. indicat, esse poenam peccati Adami, non posterorum, et iis tantum incumbere propter naturalem generationem, qua simile generat simile; praeterea addit, animam eo in statu simul accipere *potentiam* se ad Deum convertendi, adeo ut rea non fiat, nisi cum ea non recte utatur. Alia mitto.

MORS TEMPORALIS NATURAE SEQUELA, AN POENA PECCATI?

§. CLVIII. Pro peccato originali argumentatus cum sit Augustinus ex miseriis et morte temporali infantum, quatenus injustum haberi debet, malum in iis esse physicum, sine malo morali, uti in *opere inperfecto* contra Julianum l. I. c. 49. et ubique, sicut et alii Catholici passim fecerunt, vid. Norisius vindic. Augustin. c. 3., hinc quaestio de origine horum malorum fuit nata. Pelagius mortem cum aliis malis non negavit repeti ab Adamo posse, sed a *natura*, quam ab ipso habemus, non a peccato, apud Augustin. contra epist. Pelagii l. IV: 6. ubi ea ratione exponit Rom. V: 12., quem locum alias de imitatione peccati Adami intelligunt, nec temporalem, sed aeternam, mortem significari putant: uti Julianus apud Augustin. oper. inperf. l. II. c. 173. sic Gen. III. et aliis in locis, mortem spiritualem; Adamum autem, sive peccasset, sive non, censent moriturum esse, apud Augustin. de *peccat. merit. et remiss.* l. I. Ruffinus vero, vel autor *libelli fidei* apud Garnerium cap. V., hominem natura quidem statuit mortalem, sed non esse moriturum, si non peccasset: ita tamen, ut mors post lapsum non sit poena peccati, quippe sequela naturae, sed ut deleatur peccatum, et finiatur. Quid? quod Ambrosius *de fide resurrectionis* §. 37 etc. adserat, De-

um *mortem naturalem non pro poena, sed remedio dedisse*, et Adae peccanti praescriptum esse *aliud pro poena, aliud pro remedio, pro poena, cum dicitur — — — maledicta terra in operibus tuis* etc., *pro remedio* autem *mortem, quae est meta poenarum*, quia dixit Deus, *manducabis panem in sudore, donec revertaris in terram.* Praecipuum argumentum proferunt ex Christi redemtione, quae, si mors sit ex peccato, minus profecisset, quam praevaricatoris transgressio nocuisset, cum mors maneat. Pelagius apud Augustin. de *peccat. merit. et remiss.* l. II. c. 30., ubi ad illud hunc in modum respondet Augustinus, 1. Christum per resurrectionem abolere mortem 2. eam non esse poenam peccati relictam, sed ut fides exerceatur, quae non visibilia habet praemia, sed invisibilia, dein, ut fortitudo justitiae elucescat, in mortis timore vincendo. 3. ut signum esset peccati et lapsus, ac homo sic humiliaretur. *Mors*, inquit Ambrosius ad Luc. op. t. I. p. 1419., *non est formidabilis, non timenda, cum discessio quaedam nostri esse videatur, non poena: non metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda* etc. Eandem in mentem Gregorius Nazianz. Orat. XXXVIII. et XLII. Chrysostom. in Genes. hom. XXVI. Ephiphanius haeres. LXIV. mortem, ex lapsu quidem ortam, et poenam, sed castigatoriam, et in bonum peccatoris, per misericordiam Dei, inflictam, ad peccatum sistendum, ne perpetuo dominaretur, statuerunt. Addit priore loco Gregorius p. 619., quod singulare est, *Deum sic supplicia inferre sibi esse persuasum*, scilicet ex misericordia ad peccatum domandum. Ex quo colligendum foret, omnia qualiacunque supplicia, Deo autore, in bonum tendere tandem debere. Ceterum, mortem esse poenam peccati, ita ut, si Adam non peccasset, sine morte fuisset mutatus, mortali absorpto, quae Augustini est opinio, in libris modo citatis expressa, demonstravit ex Gen. III. Rom. VIII: 10. V: 12. 1. Cor. XV: 21. et aliis ex rationibus, quas recenset autor *hypognost.* in adpendice oper. August. t. X., ex gr. 1. ex Christi satisfactione,

Rom.

Rom. VII. et VIII. 3. viciſſe eum mortem, cum peccatum damnavit in carne, nos *enim peccato morimur victi*, Chriſtus autem innocens mori voluit, ut *moriendo mortem captivaret et vinceret*. Citat etiam poſtea 1. Cor. XV. *ubi mors* dicitur *ultimus hoſtis*, *et abſorpta in victoriam*. 2. Quia Deus ceteroquin eſſet autor *mortis*, adeoque *mali*, cum tamēn mortem peccatoris nolit, nec phyſicum ſit malum ſine peccato. 3. Mors nihil eſt, quia vitae tantum privatio, Deus autem eſſentias facit, non vero id, quod nihil privativum eſt: cui cum objiceretur, Chriſtum viciſſe mortem, adeoque non poſſe pro nihilo haberi, reſpondet, Chriſtum viciſſe mortis autorem Diabolum. Quae peccati et Diaboli confuſio quoque apud alios occurrit, ut apud autorem commentarii ad Rom. VII. ad calcem Ambroſii.

STATUS INFANTUM ANTE BAPTISMUM, ET PAEDOBAPTISMI RATIO.

§. CLIX. Conveniebat inter Catholicos ac Pelagianos circa paedobaptiſmi neceſſitatem; *baptiſma unum tenemus*, ut confeſſio Pelagii et Celeſtii habet apud Garnerium, *quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus*, *quibus in majoribus*, *dicimus eſſe celebrandum*: vid. et Ruffinus in *libello fidei* c. VI. §. 40. apud eundem. Baptizarunt itaque et ipſi in *remiſſionem peccatorum*, ſed non eo ſenſu, acſi peccata in ipſis infantibus remitterentur, quae nulla habebant, ſed quod eo tingerentur baptiſmo, qui ejus erat efficaciae, ut, ubi reperiret peccata, ea deleret: uti tradit Auguſtinus epiſt. 105. et ſaepe alibi. Sed verius eſt, Pelagianos eam formulam propter ſimpliciores retinuiſſe, cum ipſi infantes in *regnum coelorum* cenſuerint baptizari: ut diſerte teſtatur Julianus, apud Auguſtin. Oper. Inperf. I. 53., a quo parum abeſt Theodoret. haeret. fabul. V: 18. Chryſoſtomus in homilia ad *Neophytos* diſerte declarat, infantes baptizari, quam-

vis peccato non maculatos, ut augeatur ipsorum sanctitas, justitia, adoptio, jus haereditatis, et fraternitas cum Christo, ut membra Christi fiant, et Templa Spiritus S. Inter vitam vero aeternam, et regnum coelorum, ita distinxit Pelagius, ut omnibus infantibus vitam tribuerit aeternam, quippe innocentibus, et sine peccato, sed baptizatis tantum regnum coelorum, ex Christi dicto Joh. III. *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, regnum coelorum non intrabit*, Augustin. de *peccat. merit. et remiss.* lib. I. variis in locis, qui Oper. *Inperf.* contra Julianum l. I. c. 132. locum *secundae felicitatis* adpellat. Sed quid inter vitam aeternam et regnum coelorum sit discriminis, nusquam, quod sciam, distincte est explicitum. Vulgatum de infantibus, sine baptismo mortuis, dictum Pelagii erat: *quo non eant, scio, quo eant, nescio.* Augustinus de *peccato Orig.* c. 21. statum intelligit intermedium inter gehennam et paradisum. Photius quoque Bibl. cod. 52. refert, concilium Carthagin., seu Milevitanum, anathematizare eos, qui *medium locum exitii et paradisi*, in quem non baptizati infantes veniunt, statuunt. Autor Pelagianus in libro de *divitiis et de malis Doctoribus*, qui sub Sixti III. Papae nomine exstant in Bibl. M. P. vol. VII. de adultis loquens, rejicit intermedium locum inter Regnum coelorum et Gehennam, sed gradus in utroque admittit, et in lib. de *castitate* ibid. diserte dicit, Dominum *nuptis vitam aeternam non denegare, si omnia mandata servaverint, sed tantum Regni gloriam.* Felicitatem naturalem, sine beata Dei visione, ipsos nomine vitae aeternae comprehendisse, non est inprobabile, uti Norisius Vindic. August. p. 40. disputat.

§. CLX. Catholici vero ex infantum baptismo passim demonstrarunt peccatum originale. 1. Quia, cum sine baptismo exclusi sunt regno coelorum, fatente Pelagio, sine peccato esse nequeunt. Augustin. contra Julian. l. III. 2. Christus non est mortuus nisi pro peccatoribus, qui redemtione tantum indigent, et remissione peccatorum: unde,

de, infantes peccato esse infectos, collegit Augustin. *de peccat. merit. et remissione*, quod multis exsecutus est Marius Mercator *subnotationum* cap. 8. 3. Baptismus vi pollet ablutionis, regenerationis, et remissionis peccatorum 4. Argumentati etiam sunt ex insufflationis ac exorcizationis viribus, in baptismo parvulorum usitatis, ut eos a Diabolo vexari, et sic peccatores esse, evincant, Augustin. contra Julian. III: 3, 5. Denique, quod infantibus non baptizatis vitam aeternam adsignent Pelagiani, illud aegre tulerunt Catholici, et refutarunt variis rationibus, praecipue ex peccato originali desumtis, ut et inde, quod sine Christo non detur vita, nec inter vitam aeternam, ac regnum coelorum, sit distinctio, nec sine baptismo concedatur vita. Ex Augustini sententia, quam distinctius exponam, 1. infantes, baptismo carentes, sive fidelium, sive non, cruciantur omnes, in infernum detrusi, ac daemonibus et inpiis accensiti, cum nullus sit locus medius: imo, si vel inpossibilis fuerit baptismus, eandem infans subit sortem, et cruciatur in aeternum: ita de *natura et gratia* c. 8. Quam paradoxam opinionem probare conatus est *a.* ex Matt. XXV., ubi duo tantum memorantur extrema, sicut in sermone ad eum locum, Carthagine publice habito, contendit: nec non ex Matt. XII., *qui mecum non est, adversum me est*, de peccat. merit. et remiss. I: 28. et autor *hypognostic.* l. V. Quod vero homo legitur 2 Cor. V. judicandus *secundum ea, quae per corpus gessit*, ad infantes ea ratione adplicat, ut, quod per ora et corda gestantium crediderint, vel non, baptizati sint, vel non, carnem Domini manducaverint, vel non, sanguinem biberint, vel non, secundum illa sint judicandi *b.* ex eo, quod, cum infantes ante baptismum sint sub *potestate* Diaboli, cum eo judicari debeant. Quo ea refert loca, quae, humanum genus Diabolo esse subjectum, putantur docere, ut Matt. XII: 29. et alibi, sic in *opere inperfecto* contra Julianum l. III. c. 200. *c.* Quia omnes sunt *filii irae*, et incredulus irae manet obnoxius, de *peccat. merit.*

monstrantur; porro ibid. c. 33. *ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, nisi inter fideles, sicut universae ubique Ecclesiae clamat autoritas? ergo inter eos, qui crediderunt: hoc enim iis acquiritur per virtutem sacramenti, et offerentium responsionem:* addit, *ac per hoc eos, qui baptizati non sunt, inter eos, qui non crediderunt.* Denique ibid. III: 4. — — *nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiae, id est, Christi corpori membrisque socientur. Parvulos novimus,* inquit Fulgentius *de remissione peccatorum* lib. I. c. 14. *non propria voluntate, sed fidelium, pro iis confitentium, recta credulitate salvari.* Quod ex peccato originali, a parentibus in eos etiam transfuso, illustrat. Sed quid tum latroni fiet, cui Christus paradisum promittit? respondet Augustinus de *anima* I: 9. et III: 9. dupliciter 1. eum sanguine martyrii fuisse ablutum, sic servatum, 2. aqua illa, quae de vulnere lateris Christi emicuit, tanquam sacratissimo sacramento, fuisse perfusum. Sed adjungit, neminem probare posse, eum antea non credidisse, aut baptizatum non esse. Denique notandum est, infantibus baptizatis, si, cum ad rationis usum venerunt, non crediderint, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerint, nihil prodesse, quod parvi acceperunt, secundum Augustinum de *peccat. merit. et remiss.* I: 19. Si vero, percepto baptismo, de hac vita emigrarint, soluto reatu, eos sanctificari, autumat, ibid. Quod vero alii infantes sine baptismo moriantur, alii eum participent, et horum aliqui in infantia moriantur, et serventur, alii adulti facti deficiant, in eo inscrutabile Dei judicium adorat. ibid. c. 21. Sed inputatur ipsi quoque opinio, infantes sine actuali eucharistiae usu servari non posse. Argumentatur quidem ex eucharistia contra salutem infantum non baptizatorum, quatenus Christus Joh. VI. dixit, *nisi manducaveritis carnem meam* etc. *vitam habere non poteritis,* et sine baptismo nemo ad eam admittitur; de *peccat. merit. et remiss.* I: 20. et alibi. Sed num infantes baptizati sine S. coenae usu pereant, hinc non adeo certo colligi potest, cum

cum per baptismum corpori Christi inserantur, et ita coenae mysticae participes fiant, adeoque damnari nequeant. Ita ipse Augustinus ratiocinatur, et Fulgentius Ruspensis ejus sententiam declarat. Vid. Norisius Vindic. Augustin. cap. 4.

§. CLXII. Veterum opinioni de salute infantum non fuerit abs re subjunxisse singularem plane Semi-pelagianorum: quae habet, salutem eorum dependere a meritis praevisis, sed non futuris. Putant, Deum praevidisse, quid facturi sint, si adultam adtigerint aetatem, et ex eo principio alios infantes servari, alios damnari in infantia mortuos. Ita de iis tradit Prosper in epist. ad Augustinum, praemissa libro Augustini de *praedestinatione* sanctorum, et inter hujus epist. 225. Haec porro Dei praescientia sufficiens putatur ratio, quare alii infantes sine baptismo et regeneratione moriantur et pereant, alii per baptismum serventur. Vid. Augustinus de *praedestinatione* c. 13. ubi hanc opinionem refutat; cum quod originale peccatum tollatur, si enim propter futuram incredulitatem pereant, ergo non ob peccatum originale, tum quod *hominum futura, quae non sunt procul dubio, nulla sunt merita*, tum quod Sapient. IV: 11. dicitur, *justum rapi, ne malitia mutet intellectum ejus*; quod falsum foret, si praevisa, et non futura, peccata inputentur. Tetigit quoque et refutavit eam opinionem in lib. de Anima l. I. c. 12. Vid. etiam Fulgentius *de veritate praedestinationis* etc. lib. I. Sed Faustus Semi-pelagianus *de libero arbitrio* l. I. cap. 14. ad quaesitum de infantibus nihil aliud respondet, quam illud esse inane, et responsione indignum; cum ad occulta Dei pertineat. *Quid rationis est*, inter alia inquit, *ut interrogare velis occulta, cum sollicitudini tuae plenissime videas respondere manifesta? quid utilitatis est certa omittere et incerta consulere, de quibus nihil invenis Catholica lectione conscriptum — — — Materiam de liberi arbitrii ratione proponis, et ad discutiendum infantiae statum pernicioso errore*

 dela-

delaberis? in quo nullum penitus vestigium liberi arbitrii, nullum adparere potest propriae voluntatis indicium.

PRAEDESTINATIO.

§. CLXIII. Haec controversia cum inter Catholicos et Semi-pelagianos praecipue viguerit, adeoque postea sit pertractanda, contentus hic ero observasse, praedestinationem secundum Pelagianos in praescientia ac praevisione sanctitatis, propriis viribus praestandae ab homine, sine gratiae internae auxilio, vel una cum ea, sed ad hominum antecedentia et aliqualia merita danda, fuisse sitam. In quo ab iis discesserunt Semi-pelagiani, licet in ipsius praedestinationis intellectu inter eos convenerit; quatenus est ex praevisione, qua Deus praescivit, quinam insisterent viam salutis, qui non: cum autem in illa via definienda dissenserint, inde diversa praedestinationis orta est explicatio. Semi pelagiani enim gratiam internam agnoverunt, quam Pelagiani vel negarunt, vel, ob pracedentes hominis operationes dari, statuerunt. Causam itaque praedestinationis ad vitam quaesiverunt Pelagiani in homine ipso, et recto liberi arbitrii, ac virium naturalium, usu: ut supra exposui. Augustini de *Praedestinat.* c. 18. haec sunt notabilia verba, quae Pelagianorum hypothesin clare exponunt. *Praesciebat*, ait Pelagianus, *qui futuri essent sancti, et inmaculati, per liberae voluntatis arbitrium, et ideo eos ante mundi constitutionem, in ipsa sua praescientia, qua tales futuros esse praescivit, elegit: elegit ergo, inquit, antequam essent, praedestinans filios, quos futuros sanctos, inmaculatosque, praescivit, utique Ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse, praevidit.*

ORTUS PELAGIANISMI.

§. CLXIV. Pelagianismo, cum ejus autoribus, in lucem pro-

protracto, quantum scopo sufficit, de ortu, progressu, et fatis ejus disserendum est. Ad *ortum* cum et occasionales, seu moventes, causae, et principes autores, vel praelusores, pertineant, de iis distincte agam. *Causae* illae sese mihi obtulerunt sequentes. 1. Ingens seculi corruptio, ac Christianismi depravatio, per hominis infirmitatem, vel prostratas vires, excusari ac foveri passim solita, quatenus vulgo statuebatur, vires hominis esse deperditas, nec gratiam Dei sufficiente mensura nunc dispensari, nec posse hominem ad inpeccantiam pervenire. Ipse Pelagius illud haud obscure indicat in epist. ad Demetriadem, dicens: *quoties mihi de institutione morum, et sanctae vitae conversatione dicendum est, soleo prius humanae naturae vim, qualitatemque, monstrare, et quid efficere possit, ostendere, ac jam inde audientis animum ad species incitare virtutum, ne nihil prosit ad ea vocari, quae forte sibi inpossibilia esse praesumserit* etc. Addantur quae in superioribus adtuli. 2. Patrum dicta, quibus liberi arbitrii vires nimium extulerunt, fidei quoque initium hominis in potestate esse, visi fuerunt statuere, eo multum contulerunt, utique ad eos provocare solebat Pelagius. 3. Manichaeismo ut fortius se opponeret, in oppositum praecipitatus est extremum, quare Catholicos ejus passim reos fecit, quatenus a natura derivarunt corruptionem Manichaei, et libero arbitrio nervos succiderunt. 4. Augustini dictum, quod omnibus in ore erat, *da quod jubes, et jube quod vis*, ipsum valde irritavit: ut tradit Augustinus de *bono perseverantiae*. l. II. c. 20. *in eis* (libris *confessionum*) *certe dixi Deo nostro, et saepe dixi, da quod jubes, et jube quod vis. Quae mea verba Pelagius Romae, cum a quodam fratre, coepiscopo meo, fuissent, eo praesente, commemorata, ferre non potuit, et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo, qui ea commemoraverat, litigavit.* 5. Denique ardens liberi arbitrii studium, quippe sine quo nullam putavit esse posse pietatem ac virtutem, eum ad illud nimis urgendum permovit ac incitavit: ut Hieronymus ad Ctesiphontem observat,

dicit Pelagii discipulus, inquiens, *destruitur voluntas, quae alterius ope indiget, quod aliter liberum non erit, nisi fecero, quod voluero.* Sic et inter Celestii capitula est, *non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid, aut non facere.*

§. CLXV. Inter Pelagii praecursores principem locum tenent, praeter Origenem remotiorem, de quo Vid. Norisius in hist. Pelag., et de Synodo V*ta* c. 12. et ante ipsum Jansenius in *Augustino* l. VI. c. 13. etc. duo viri insignes, Ruffinus inter Occidentales, et Theodorus Mopsuestenus inter Orientales, quorum notitiam supra dedi: mitto Jovinianum et Evagrium Ponticum, cujus aliqua opuscula exstant in *monument.* Gr. Cotelerii tom. III., quos Hieronym. ad Jerm. l. III. praecursores quoque vocat Pelagii. De *Ruffino* res est manifesta et nota, a Vossio Hist. Pelag. I: 3. jam in lucem protracta. Ipse Celestius professus est in concilio Carthagin., *se audivisse Ruffinum dicentem, non esse traducem peccati. Augustin.* de *peccato origin.* II: 3. Adpellat quoque eum Hieronymus praef. l. I. et III. in Jerm., *praecursorem et Magistrum* Pelagii, et ignominiae ergo *grunnum*, alludens, inquit Vossius, ad *grunnii Corocottae porcelli testamentum, quod a cirratis pueris olim cum risu multo excipiebatur in Scholis.* Esse autem hunc Ruffinum celebrem illum Aquilejensem, de quo supra suo loco egi, quae communis est opinio, et non alium aliquem ejus nominis, quod vult Garnerius ad Mar. Mercat. diss. I., mihi adhuc videtur verius, cum de alio aliquo Ruffino non constet, nec rationes Garnerii sint sufficientes. 1. Adpellatur quidem *Syrus* a Mario Mercat. praefat. libri *subnotationum*, sed non quod gente talis sit, verum in Oriente diu fuerit versatus, per annos 25., ab a. 371. ad 396. ut Norisius hist. Pelag. demonstravit, ubi audivit, praeter Didymum, Alexandriae Origenistarum principem, Theodorum Mopsuestenum in Cilicia, consecratus quoque in Oriente

ente presbyter: adeo ut a Mercatore pro Syro haberi potuerit. 2. Dicitur quoque a Mercatore haeresin illam Romam invexisse sub Anastasio, licet Aquilejensis sub decessore ejus Siricio docuerit, quia motus demum sub Anastasio sunt suscitati, cum Siricius Origenistas in Urbe non represserit. Substitit autem Aquilejensis Romae per biennium, unde Mediolanum, et dein Aquilejam petiit. 3. Quod vero Celestius dicit, se apud Pammachium, Hieronymi amicum, vidisse Ruffinum, illud facile conciliatur ex intima amicitia, quae inter Ruffinum et Hieronymum semper viguit, donec motus Origenis causa exorti sunt, ut supra suo loco observavi; postea cum Ruffinus Aquilejae degeret, Siricio mortuo, Pammachius sese cum Marcella, vidua aliqua, et Oceano, Origenistis opposuit, et ad Hieronymum ea de re scripsit, missis ad eum libris Origenis *de principiis*, a Ruffino versis: a quo tempore illa erupit inter eos inimicitia. Denique 4. quod Ruffinus Aquilejensis nusquam accusetur negati *traducis* peccati, illud alium non arguit Ruffinum; modo res in vera sua luce consideretur. Aquilejensis, praecursor Pelagii dictus Hieronymo, τὴν ἀπάθειαν *inpassibilitatem* maxime ursisse traditur ab Hieronymo, quod principale erat Pelagianismi dogma; unde orta fuit quaestio de *gratia*, in qua praelusit Pelagio, et sic tandem ad eam de *traduce* peccati opinionem prolapsus est, quam a Theodoro Mopsuesteno inbibisse videtur, sed minus ursit; quare Celestius tantum dicit, se Ruffinum audivisse *hoc dicentem*: quae ratio esse potuit, quare iste error non fuerit ipsi speciatim inputatus. Quod si libellus, quo Origenianismus anathematizatur, quem Norisius exhibet l. cit. sit Ruffini, oportet ei postea renunciaverit: si vero *libellus fidei*, quem recenset Garnerius l. cit., eum habeat quoque autorem, perstiterit necesse est in opinione de morte temporali, et traduce peccati: de quo nihil definio. Est autem libellus egregie conscriptus, quo Origenis errores etiam condemnantur, quaestio de gratia

vix adtingitur, tradux peccati negatur: hominem quidem mortalem fuisse creatum dicitur, sed non moriturum, si non peccasset, mortem vero deinceps fuisse inpositam in bonum hominis, ad refraenandam peccati licentiam, et ne perpetuo peccaret, Adamum denique fuisse a peccato liberatum, nec nocuisse posteris.

§. CLXVI. *Theodorum Mopsuestenum*, cujus vitam supra suo loco descripsi, facem quoque Pelagianismo praetulisse, Doctos, ante Norisium et Garnerium, latuit; illi autem duumviri Marium Mercatorem in lucem protraxerunt, et ex Theodori excerptis, apud ipsum obviis, illud luculenter demonstrarunt. Patet autem ex illis excerptis, Theodorum in primis mortem temporalem pro sequela naturae habuisse, ita tamen, ut Adam non nisi post lapsum actu moreretur, sicut Ruffinum modo vidimus in *libello fidei* statuisse: argumento, hunc ab illo illud hausisse. Demonstratur autem inter alia ex eo, *quod pulvis dicatur, et in pulverem rediturus*. Interminatio autem, *morte morieris*, de morte violenta capitur, hominibus inferenda, non de mortalitate, sed quod digni essent, qui mortis sententiam per transgressionem subirent, Deum autem pro solita sua benignitate distulisse eam sententiam. Rejicitur porro, tanquam quid novi et absurdi, propter Adami unum delictum cunctos nondum natos homines morte mulctari; dicto etiam Dei Ez. XVIII. contrarium, et judicio ultimo, quo propter propria peccata damnabuntur homines, etc. Patet praeterea ex illis excerptis, Theodorum cum Origene poenarum aeternitatem negasse, et Adamum censuisse sex horis tantum in statu integritatis fuisse. Hisce addatur, Photium in Biblioth. cod. 177. memorare Theodori disputationem, sex libris comprehensam, *contra adserentes, homines natura peccare, non voluntate*. Quibus libris non illud tantum inpugnat, sed praeterea alia dogmata, uti, infantes ob Adae peccatum infectos esse peccatis, ab eo enim naturam peccatricem propagari: neminem mortalium esse justum, ne Christum

tum quidem sceleris esse plane inmunem, quod Catholicis inputabant Pelagiani, vel quod adserant, Christum humanam naturam figura tantum adsumsisse, quia Christus, in *similitudinem carnis peccati* venisse, dicitur Rom. VIII: denique matrimonium esse opus diaboli, seu ex peccato. Quae capita partim Catholica habebantur, partim a Pelagianis ipsis inpacta, vel objecta. Patet praeterea ex isto Photii loco, conscriptos fuisse hos libros contra Hieronymum, quem *haram* ignominiae causa adpellat, quod ἀρὰ Gr. maledictionem sonet, licet per ejus latus quoque feriat Augustinum: quare Mar. Mercator. tradit, eum contra Augustinum, originalis peccati, et Adami per transgressionem mortalis facti, defensorem, disputare.

FATA PELAGIANISMI.

§. CLXVII. Pelagianismum magnos fecisse progressus in Occidente, Oriente, et insulis quibusdam, in primis Siciliae et Rhodi, indicat Hieronymus praef. lib. IV. ad Jerem., ut et in epist. ad Alipium et Augustinum, ubi, *eam haeresin corda multorum infecisse*, refert. De quo oppositiones, a Catholicis factae, quoque testantur. Nec longe quaerendae sunt rationes, et causae hujus progressus, quarum aliquas exhibebo. 1. Ingens fuit Ecclesiae hoc tempore depravatio, ut ex superioribus liquet: unde de fidei catholicae defectu, in hominibus sanctificandis, facile convinci poterant, et Pelagius suam doctrinam, quae cum sanctitate videbatur conjunctior, facilius propagare potuit. 2. Patres, sic dicti, ab hac doctrina non adeo alieni fuerunt visi, ut ex superioribus notum est, nonnulli etiam emphatice de libero hominis arbitrio locuti fuerant, contra Gnosticos et Manichaeos. Peccatum esse voluntarium, ex. gr., et ex nobis ipsis, non ex alia causa extra nos, fortissime adserit Ambrosius ad Hexaemer. l. I. c. 8., sicut et liberum arbitrium in eligendo vel bono vel malo, Ephraem Syrus ad

Jer. I. Oper. Syr. t. II. p. 99., et fusius in sermonibus de eo, ibid. t. III. p. 359, 365. et deinceps. Chrysostomus prae reliquis sese liberi arbitrii patronum praestitit, adeo etiam, ut Satanae dixerit esse artes, homini persuadere, virtutem et vitium non esse in nostra potestate, ad Jes. II. Oper. t. VI. et ad Jer. X. ibid., ubi etiam statuit, nostrum esse *velle*, *et currere*, Dei esse *perficere et adjuvare*: similia ubique recurrunt. Vid. Oper. ed. noviss. tom. I. p 729, 789. et tom. II. p. 57, 267. etc. 380, 382, 441, 499, 503, 507, etc. tom. III. p. 125. de Paulo libere converso, quem non sola vocatio, sed et προαιρέσεως libera voluntas ad Deum adduxit, p. 127. vid. et pag. 241. ut et tom. IV. p. 87, 194, 522. *post gratiam in potestate nostra sunt virtutes et vitia*, sic et tom. VI. p. 290. et alibi saepe. Basilius M. quoque ad Jes. VII: 15. *naturam nostram* dicit *aequalem* habere ad bonum et malum propensionem; porro ad Jes. VIII: 20. magnam agnoscit homini ab ipsa natura inesse opportunitatem ad bonum. Sic et ad Jes. X. peccatum negat naturae nostrae insitum, sed postea intervenisse. Alibi in *Regulis moral. fusius tractatis*, *interrogat. et respon.* I. II. adserit, nos mandatorum Dei perficiendorum vim et facultatem a Deo accepisse, adeo ut, si illis viribus recte et apte utamur, vitam virtutibus ornatam pie traducamus, corrupto vero earum usu in vitium delabamur. Desino in unico Gregorii Nazianz. loco in apolog. Orat. I. p. 9., ubi pro bonitatis Dei signo habet, facere, ut virtus *nostra* quoque aliqua ex parte sit, nec natura tantum nobis inferatur, sed etiam per voluntatem, liberique arbitrii in utramque partem agitationes, excolatur, ad virtutis praemium consequendum. Sed qui doctrinam Gregorii de libero arbitrio et gratia clarius et plenius cognoscere desiderat, Orationem ejus XXXI. ad Matt. XVI. legat, et carm. LVIII. 3. Viri, qui Pelagio praeluserunt, in primis Ruffinus et Theodorus, fuerunt eruditione et pietate illustres, sicut et ipsi Pelagianismi autores, ut supra notavi. Loquitur quoque de

eorum

eorum ſanctitate et continentia laudabiliter Auguſtinus ep. 140. et alibi. 4. Nec parum ad progreſſum contulit patrocinium Johannis, Hieroſolymitani Epiſcopi, qui, licet ejus opiniones non probaverit, eum ſemper defendit, teſte apologetico Oroſii, et duplice ejus abſolutione Synodali, ope Johannis facta, una in Hieroſolymitana, ipſo Praeſide, altera Dioſpolitana, ipſo praeſente et adjuvante. De quo mox. Pelagius opiniones aliquatenus diſſimulavit, et Johannes eas benignius eſt interpretatus. Ad quae concilia paſſim deinceps provocavit Pelagius.

§. CLXVIII. 5. Uſi praeterea narrantur, ſed a Catholicis, in primis Hieronymo, hoſte eorum, variis artibus et fraudibus; quod verum eſſe poteſt, nec adeo mirum aut inſolitum, quum palam non licet eloqui, nec fraudes in re religionis, quae *piae* adpellantur, inter ipſos Catholicos fuerunt inuſitatae; ut ſuperiore ſec. notavi. α. Secreto docent, et publice negant, inquit Hieronymus l. cit., et in ep. ad Cteſiph. *ſola haec haereſis eſt, quae publice erubeſcit loqui, quod ſecreto docere non metuit.* β. Si, quod diſcipuli in publicum proferebant, placeret auditoribus, ad gloriam magiſtrorum referebatur, ſi diſpliceret, inputabatur diſcipulis, Hieronymo ibid. referente, qui addit, *ideo crevit haereſis veſtra, et decepiſtis plurimos.* γ. Solebat quoque in tertia perſona proponere dogmata Pelagius, et more opponentium, ac difficultates moventium. δ. Xyſti Pythagorei libellum de *perfectione* vulgarunt Pelagiani ſub nomine Sixti Papae Romani; et multis, ipſi quoque Auguſtino in initio, inpoſuerunt, donec Hieronymus fraudem detexit; de quo ipſe agit in epiſt. ad Cteſiphontem, et lib. IV. ad Jerem. 6. Doctrinam Catholicam, ſicut ſua fiebat a Catholicis, invidioſe propoſuerunt, et traduxerunt, Manichaeiſmi accuſarunt, et continuo in ore habebant laudes creaturae, nuptiarum, legis, liberi arbitrii, et Sanctorum; quibus injuriam a Catholicis fieri contendebant: quare Pelagianorum *nebulas* adpellavit Auguſtinus contra litteras Pe-

lag. l. III, qui alibi, contra Julianum l. II., omnia uno quasi fasce complexus, inquit: *dicitis, nos, adserendo originale peccatum, Diabolum dicere hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptismo dimitti universa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere.*

§. CLXIX. 7. Denique nacti sunt strenuos propugnatores, et Pelagianismi propagatores, inter quos Annianus, Victor Vincentius, et Fastidius Britannus celebre habent nomen, ne de Nestorio dicam, qui quidem eas opiniones palam non est professus, patronum tamen sese iis praebuit, quatenus eos benigne excepit, et litteras pro ipsis scripsit ad Celestinum Papam. Vid. Marius Mercat. in praefat. ad Nestorii tractatum contra Pelagium. *Annianus* Celadensis, vel secundum Garnerium, Celenensis, in Campania Diaconus, vir eloquentia celebris, et Pelagianismi strenuus promotor, Doctis fuit ante Norisium et Garnerium ignotus. Memoravit quidem Hieronymus, in epist. ad Alipium et Augustinum, aliquem Annianum, qui contra epist. suam ad Ctesiphontem scripserat; sed quis ille sit, expedire non potuerunt: donec Norisius hist. Pelag. l. I. c. 19. et Garnerius diss. I. ad Mar. Mercat. eum luci exposuerunt. Praefationes Anniani, praemissae homiliis Chrysostomi in Matth., ab ipso Latinitate donatis, et de *laudibus Pauli*, quas recensuit Garnerius diss. VI. in *adpendice* c. 5. eum Pelagianum manifeste arguunt. Adfuit autem semper Pelagio, et ei verba subministravit, quare ab Orosio ejus armiger dictus est. Plura de ipso peti possunt ex autoribus laudatis. Misso Victore Vincentio, qui contra Augustini librum de *anima* scripsit, ab August. in libris de *animae origine* refutato, et converso, de quo Vid. Norisius hist. Pelag. I: 19., memorandus est *Fastidius*, Britannorum Episcopus, qui sub Honorio et Theodosio, Inperatoribus, floruit a. 420. Demonstravit sese in libro de *vita Christiana* prorsus Pelagianum, ut Norisius l. cit. jam observavit, et exstat

ſtat ejus tractatus in adpendice operum Auguſtini tom. VI. Egit itaque Pelagianiſmus jam tunc in Britannia quoque radices. De quo etiam teſtatur, quod a. 429. fuerint legati a concilio Gallicano in Britanniam miſſi contra Pelagianos. De quo mox.

§. CLXX. Tantos autem fecit ubique progreſſus haec haereſis, ut niſi undiquaque, et quovis modo, in eam fieret inpetus, exſtirpari non potuerit. Oppugnatus quippe fuit Pelagianiſmus non tantum a viris Catholicis per Scripta, ſed et per Synodorum decreta, et Inperatorum edicta. De quibus nunc diſtinctius eſt diſſerendum. Inter Scriptores, qui eum refutarunt, primum quidem, ordine temporis, locum tenet Hieronymus, ſed praecipuum meretur Auguſtinus. Hieronymi ſcripta, huc pertinentia, ſunt praecipue litterae ejus ad *Cteſiphontem*, et *dialogorum* libri tres, in quibus pro Catholicis diſputantem introducit Atticum, et pro Pelagianis Critobulum; in quorum nominum rationem inquirit H. Valeſius *emendat.* l. I. c. 9. Alia ſcripta ſunt minoris momenti, uti epiſt. ad Marcellinum de *origine animarum*, ubi lectorem ad Auguſtinum ablegat, nec non ad Alipium et Auguſtinum, in qua Auguſtino de profligata haereſi gratulatur, eique ulteriorem refutationem commendat. Habet quoque hic illic in prologis *comment.* ad Jerem. nonnulla de Pelagio. Videtur vero, cum Auguſtini libros de *peccat. merit. et remiſſ.* legiſſet, a ſcribendo contra Pelagium, quem ſibi maxime elegerat adverſarium, abſtinuiſſe, et Auguſtino reliquiſſe, quem etiam per litteras rogavit, ut ad Pelagianorum ſcripta, contra ſe vulgata, reſpondeat. Auguſtinus longe melius, moderatius, et fuſius contra eos ſcripſit, et, praeter multos tractatus ac epiſtolas, edidit *triginta* contra eos libros, qui oper. tom. X. exſtant, et ab ipſo recenſentur in libris *Retractationum:* adeo ut ipſi fuerit profligatae haereſeos laus data, et Catholici, teſte Hieronymo in epiſt. ad Auguſtinum, *eum conditorem antiquae fidei venerati ſint et ſuſpexerint.*

§. CLXXI. Praeter illos sese in Pelagianismo oppugnando celebres praestiterunt Paulus Orosius et Marius Mercator: de quibus quaedam sunt dicenda. *Paulus Orosius*, cujus supra inter historicos mentionem feci, gente Hispanus, fama Augustini excitus, non, ut vulgo putatur, ab aliquo missus, sed *solo sacrarum litterarum ardore inflammatus*, ad eum venit Hipponem, ut in nonnullis quaestionibus de gratia instrueretur, uti Augustinus in epist. ad Evodium scribit, ipse quoque de se testatur in epist. ad Augustinum, in operibus Augustini obvia, ante librum ejus contra Priscillian. et Origen. Inde vero tetendit Orosius a. 414. in Palaestinam ad Hieronymum, in secessu Bethlehemitico degentem, et cum eo libros Augustini de *peccat. merit. et remiss.* communicavit. Cum autem Pelagii opiniones magis magisque in vulgus emanarent, et tanquam haereticae traducerentur, Johannes Hierosolymitanus, ut Pelagio amico suo succurreret, clerum suum coegit in unum, ac Synodum habuit urbanam. Ad quam invitatus Orosius exposuit quae a Pelagio audierat, *hominem sine peccato esse posse, et mandata Dei facile custodire, si vellet*, simul libros Augustini contra Pelagium obtulit. Sed cum Pelagius exciperet, se addidisse, *non sine adjutorio Dei*, et Orosius nihilominus eum urgere pergeret, Johannes, Orosii sententiam capiens, acsi, hominem nequidem cum adjutorio Dei mandata Dei observare posse, vellet, duriter eum excepit, et damnavit. Qui, ut se defenderet, paulo post conscripsit *apologeticum contra Pelagium de arbitrii libertate.* Qui liber superest, et genuinus ejus est foetus, non suppostititius, quod nonnulli putant, ipse etiam Jansenius, ut clare demonstravit Garnerius diss. VI. Plura qui de Orosio velit, adeat Norisium hist. Pelag l. I. c. 6. 7.

§. CLXXII. Augustini studiosissimus, et acerrimus Pelagianorum adversarius, in primis fuit *Marius Mercator.*, cujus ante Norisium et Garnerium vix aliqua fuit *notitia*, licet Augustinus in libro de *octo quaestionibus* ad Dulcitium honorifi-

norificam ejus fecerit mentionem, ut et Possidius, autor vitae Augustini; donec scripta ejus ab illis fuerint in lucem producta. Floruit autem ab ann. 418. ad a. 450., ac gente Latinus fuit, cujus muneris, incertum. Norisius quidem eum fuisse Episcopum censet, sed vitiata lectione apud Possidium, ubi pro *epistola* legitur *episcopus*, deceptus, ut recte observavit Garnerius praef. ad Marium, qui eum Campanum, vel Apulum putat, levi ductus conjectura. Cum vero Pelagiani sub Theodosio Inperatore radices per Nestorium agere inciperent CPoli, obtulit Inperatori Marius Mercator a. 429. *commonitorium*, in quo gesta contra Pelagium in Africa, Asia, et Europa paucis exposuit, simulque effecit, ut Pelagiani sint damnati, et urbe expulsi. Scripsit praeterea librum *subnotationum*, tempore concilii Ephesini, quo Celestii et Juliani dogmata refutavit. Quae contra Nestorium egit et scripsit, supra, suo loco, memoravi. Plura de Ipso suppeditant Garnerius praefat. generali ad opera Mercatoris, ab ipso edita, et Norisius hist. Pelag. l. I: 9, 17, et II: 7.

§. CLXXIII. *Synodi*, ut ad eas veniam, habitae fuerunt viginti quatuor in causa Pelagianismi, spatio 19. annorum, quod ad mortem Augustini, seu Synodum Ephesinam, fluxit: unde de progressu Pelagianismi judicium ferri poterit. Catalogum et historiam earum adcurate contexuit Garnerius diss. II. ad Marium Mercatorem, cui, praeter Vossium Hist. Pelag. l. I. c. 40. etc., addendus omnino est Norisius hist. Pelag. Faciam itaque, ut brevis sim. 1. *Prima* est Carthaginensis, habita a. 412., ut ex litteris Synodi ad Innocentium a. 416. patet, cum ibi dicatur, Celestium fere ante quinquennium fuisse ibi damnatum. Celestius enim, qui haeresin ibi spargebat, et ad Presbyteratum adspirabat, a Paulino, Ambrosii Mediolanensis diacono, accusatus, ac ab Aurelio primate, et coepiscopis, damnatus est; teste Mario Mercat. in *commonitorio*. Capita vero accusationis et damnationis, quae Mercator exhibet, et Augustinus de ges-

tis Pelagii, fuerunt, 1. *Adam mortalem factum, qui, sive peccaret, sive non, mortuus fuisset.* 2. *quoniam Adae peccatum ipsum solum laesit, et non genus humanum,* 3. *quoniam parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante praevaricationem,* 4. *quoniam neque per mortem, vel praevaricationem Adae, omne genus humanum moritur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgit,* 5. *quoniam Lex sic mittit ad regnum coelorum, quomodo et Euangelium,* 6. *Quoniam et ante adventum Domini fuerunt homines inpeccabiles*, seu sine peccato. Scribit vero Orosius in *apologetico*, ei etiam objectum fuisse, *hominem esse posse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit.* Ceterum Celestius, hic damnatus, adpellavit, vel provocavit, ad sedem Romanam.

§. CLXXIV. 2. *Secunda* in Synodo, quae Hierosolymae a Johanne episcopo celebrata est a. 415., et ex clero tantum constitit Hierosolymitano, Pelagius ab Orosio accusatus, sed a Johanne defensus est, ut modo in vita Orosii narravi. Decretum fuit, rem committere Innocentio Papae, quia Pelagius erat Latinus, et utrique parti est silentium inpositum, Vid. Orosius in *apologetico*, et Augustinus de *gestis Pelagii.* 3. *Tertia* eodem anno, aliquot mensibus post, habita est Lyddae, quae est Diospolis, urbs Palaestinae Caesareensis, a totius Palaestinae Primate Eulogio, Caesareae Episcopo, praesentibus *quatuordecim* Episcopis, ab Augustino nominatis. Cujus acta enarrat Augustinus de *gestis* Palaestinis, alias Pelagii. Vid. etiam Usserius Antiq. Brit. c. IX., qui articulos Pelagio objectos recenset ex Erotis et Lazari libello. In qua Pelagius, qui variis artibus Eulogium delusisse, et ad quaesita subdole respondisse, traditur, absolutus est: quare Synodum adpellat *miserabilem* Hieronymus epist. ad Augustinum. Hic vero eam excusat, tanquam subdole a Pelagio deceptam, quaeque capita Pelagianismi vere damnavit, l. cit. Praecipui accusatores fuerunt Eros et Lazarus, Episcopi Gallicani, de quibus vid. Norisius l. I. c. 12.,

c. 12., misso libello, capita accusationum complexo: ipsi enim non adfuerunt. Exhibet quoque Augustinus contra Julianum l. I: 5. specimina versutiae Pelagii; ex. gr. damnavit Pelagius eos, qui dicerent, *Adamum generi humano non nocuisse*, cum eum *exemplo* tantum nocuisse hominibus intellexerit: negavit etiam infantes in eo statu nasci, in quo Adam fuit, sed in animo habuit, infantes praecepti non esse capaces, Adamum omnino. Addatur, librum Pelagii Latinum, Graecis hominibus praelectum, non semper fideliter fuisse translatum. Ceterum, tumultu dein suscitato in Palaestina, a Pelagii sectatoribus, factum esse, refert August. de *gestis Palaestin.*, *ut Dei servi et ancillae ad curam sancti Hieronymi Presbyteri pertinentes*, *sceleratissima caede adficerentur*, *Diaconus occideretur*, *aedificia monasteriorum incenderentur*, *ipsum* Hieronymum *vix turris munitior tueretur.*

§. CLXXV. 4. *Quarta* Synodus celebrata est ab Aurelio Primate, a. 416., teste Innocentii responsione ad Epistolam Synodicam, quae est Carthaginensis II., praesentibus 68 Episcopis provinciae Proconsul., quorum nomina in Synodica ad Innocentium recensentur. Confirmata in ea sunt acta cum Celestio, et ita fundamenta Pelagianismi subversa. Cum enim Synodus Diospolitana a Pelagio esset decepta, adeoque Pelagianismus videretur triumphare, Aurelius, de eo certior factus per litteras Erotis et Lazari, ac ab Orosio admonitus, hoc coegit concilium. Scripsit quoque Synodus ad Innocentium, ipsique acta superioris Synodi Carthagin. exposuit, simul rogavit, ut ad Pelagianismi damnationem concurreret. Sic autem ajunt: *hoc itaque gestum*, *Domine*, *frater sancte! caritati tuae intimandum duximus*, *ut statutis nostrae mediocritatis*, *etiam Apostolicae sedis adhibeatur autoritas*, *pro tuenda salute multorum*, *et quorundam perversitate etiam corrigenda.* Ceterum adtigerunt Patres illi ea in epistola *duo* tantum capita, de *viribus naturalibus*, *et baptismo infantum*: sed, quod paradoxum est, fatentur, se ex epistolis et dictis aliorum sapere, nec scire

 ex

ex se ipsis, quid Pelagius teneat, aut credat. 5. *Quinta*, eodem tempore, et eadem de causa, est Milevitana, ab 61 Episcopis provinciae Numidiae habita in urbe Milevitana, quae urbs est Numidiae, praeside Sylvano, Episcopo Zummensi, et provinciae Primate; sed cujus anima fuit Augustinus. Damnata quidem hic sunt praecipua haeresios capita, supra memorata, sed de Pelagio et Celestio nihil est decretum, imo dicunt, eos *in Ecclesia se malle sanari, quam desperata salute ab Ecclesia resecari:* quare autoritatem Innocentii compellant, quem, non *fratrem*, sed *Patrem*, vocant, non autoritatis, sed *honoris* causa, nam in sequente Synodo titulum *fratris* ipsi dant. Mitius itaque illi egerunt quam Carthaginenses, qui anathematizandos decreverant, quicunque eam tenerent haeresin.

§. CLXXVI. 6. *Sexta*, in Africa habita, Synodus, si eo nomine sit insignienda, quia Marius Mercator *tres* Africanas memorat, in quibus libri Pelagii, cum litteris Erotis et Lazari, lecti sunt, vere privatus fuit quinque celebriorum Episcoporum conventus, in quo litterae ad Innocentium sunt exaratae, uti ex Augustino, ep. 47., liquet, ubi scriptum fuisse ad Innocentium refert de concilio provinciae Carthagin. et Numidiae, et *aliquanto diligentius a quinque Episcopis:* quos ibi nominat. Sic et Innocentius, in epistola responsoria, has litteras distinguit ab iis, quae a duobus conciliis missae sunt. Exstant illae litterae apud Garnerium l. cit. ex quibus ratio quoque patet, quare ad Papas confugerint reliquae Ecclesiae, non quod supereminentem sedis Romanae autoritatem agnoverint, Augustinus enim contra Epist. Pelag. I: 1. diserte adserit, *communem esse omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio, speculam pastoralem*, Papam vero in ea tantum *praeeminere celsiore fastigio*, quare in Africa et alibi fuerunt concilia, sine Paparum autoritate, celebrata: sed quia 1. Pelagius et Celestius erant Latini, 2. Romae multi erant, qui Pelagio favebant, sive quod minus recte instructi erant de Pelagianismo, et actis Palaestinis,

nis, sive ad eum inclinarent. Sicut ipse Innocentius in initio benignius de Pelagio judicavit, teste Augustino epist. ad Ipsum, apud Garnerium, 3. quia communio Ecclesiarum postulabat, ut in Pelagii damnationem consentirent, in primis Romana, quippe celebrior, cujus judicio multum solebat tribui, ut ex iisdem epistolis haud obscure patet.

§. CLXXVII. 7. Congregata itaque ad has Africanorum litteras est Synodus Romana a. 417. ab Innocentio, ut ex litteris decretalibus, responsoriis ad superiores litteras, colligitur, cum tales litterae, secundum morem Romanum, non nisi in concilio scribi solerent. Damnata itaque hic sunt Pelagii dogmata, sed ad resipiscentiam simul invitati, qui illis adsurgebant, aditu ad Ecclesiam aperto, alias expellendi. Exstant litterae apud Garnerium, nec aliquid peculiare habent, nisi quod fastum Papalem aliquatenus spirent. Ceterum est haec prima sedis Romanae sententia damnatoria in Pelagianos; qui, excepta Africa, nusquam in Oriente adhuc erant proscripti, ut ex superioribus patet. Quod vero Baronius refert, decretum, praeter epistolas, ab Innocentio fuisse contra Pelagianos conditum, quod Zosimus, ejus successor, ad omnes orbis episcopos direxisset, sublestum est et falsum, ut recte advertit Norisius l. cit. 8. Cum vero Celestius ad Atticum CPol., spe protectionis, quippe cum Innocentio litigantem, confugisset, tantum abest, ut votorum compos fuerit factus, ut ab Attico in concilio quoque fuerit damnatus, testibus litteris tractatoriis, quippe quae in concilio solebant scribi, in Asiam, Thessalonicam, et Africam, ad Episcopos missis, a. 417. Quae quidem non supersunt, sed a Mario Mercat. memorantur. Quo eodem anno habita est Romae Synodus, ordine 9na, in causa Pelagianismi a Zosimo; cujus acta ex Augustino, et Mario Mercat., praecipue ex Zosimi litteris ad Africanos, apud Garnerium, petenda sunt. Quae litterae, a nonnullis suspectae habitae, luculenter ex Mario Mercat., Facundo Hermianense, ipso Augustino, vindicatae sunt a Garne-

rio, sicut etiam a Norisio, et ante eos a Jansenio: merentur vero omnem animadversionem. Accusat Zosimus Africanos nimiae credulitatis, et damnandae facilitatis, in Pelagio et Celestio condemnando, cum quod id, ipsis non auditis, fecerint, tum ad Erotis et Lazari, hominum scelestorum, ut ibi depinguntur, scripta tantum. Quod severe perstringit Zosimus, additque, Pelagium et Celestium libellos fidei, nullam complexos haeresin, obtulisse, paratosque se professos litteris Innocentii subscribere, adeo ut eos censeat absolvendos. Unde elucescit quidem, res saepe in Synodis praecipitanter agi solere, sed simul mirum esse, si Zosimus fuerit fidei Catholicae, libellum illum, a Celestio compositum, pro Catholico potuisse ab eo haberi, cum peccatum originale in eo clare negetur. Voluntatem emendationis in Celestio, non ejus doctrinam falsam, fuisse adprobatam, regerit quidem Augustinus ad Bonifacium l. II. 3. sed, quam illud sit dilutum, in oculos incurrit. Interea bene est, Zosimum nihil praecipitanter voluisse agi: quare accusatores eorum intra unum et alterum mensem evocavit Romam.

§. CLXXVIII. 10. Missa Synodo Carthagin. a. 417., qua ad litteras Zosimi responsum est, variis cum instrumentis, ad hanc causam spectantibus, ad primum concilium Africanum universale venio, Carthagine habitum ab Aurelio a. 418., cui, ex omnibus Africae provinciis, interfuerunt 214 episcopi. Litteris ex hoc concilio ad Zosimum scriptis, ipsi, quae ad notitiam Pelagianismi faciunt, distinctius exposuerunt, nec sufficere dixerunt, eos in genere consensum Innocentii litteris praebere, sed expresse debere anathematizare, quae prava sunt in libello fidei ipsorum: ut refert Augustinus ad Bonifacium l. II: 3. Interea dum Zosimi responsum exspectabant, denuo, haud diu post, eodem anno, in unum coacti sanciverunt 19 canones, quorum *octo* ad fidem spectant, et capita Pelagianismi damnant, *quos* Norisius et Garnerius exhibent. Sunt autem, nominatim

expressa,

expressa, sequentia. Adamum esse mortalem creatum, parvulos non ad peccati originalis remissionem baptizari, gratiam Dei, ad solam remissionem, non ad adjutorium, valere, illam intellectum veritatis manifestatione tantum illustrare, non flectere voluntatem, eamque gratiam ideo tantum dari, ut facilius praestemus, hominem sine peccatis esse posse, precationem *dimitte nobis debita* ad totam communionem spectare, et humiliter magis quam veraciter subinde fieri. Ceterum notatu dignum est, has propositiones in plenario totius Africae concilio fuisse rejectas cum anathemate, antequam decretum Zosimi ad Africanos fuit delatum. Ultimus enim concilii canon habet, ut quindecim Episcopi, de singulis provinciis terni, ibi, reliquis dimissis, manerent: qui deinceps litteras, quibus Pelagianismus damnatur, a Zosimo acceperunt, et luculentas propterea gratias ei egerunt. Errat itaque Norisius, dum decretum Zosimi, ante canones illos cusos, opinatur ad Africanos venisse, ficta unice nixus hypothesi de sedis Romanae autoritate; ut recte observavit Garnerius.

§. CLXXIX. 11. Zosimus, acceptis Africanorum litteris, quarum modo memini, Celestium, qui tam nude detectus se subduxit, jam plenius instructus, et versutias ejus perspiciens, quoque damnavit, coacto concilio, misitque per totum orbem *tractatoriam*, ut adpellatur, epistolam, qua Pelagius et Celestius sunt proscripti, quod primum est solenne decretum Papale contra Pelagianos, quo haeresis quoque fuit profligata, cum mox secutum sit Honorii, et Theodosii, Inperatorum, edictum, quo illud corroboratum est; de quo mox. Vid. Marius Mercator., et Augustinus ad Bonifacium l. II: 3. Ceterum nobilissimi hujus decreti Papalis, quod Possidius, in vita Augustini, adpellat *Ecclesiae Catholicae judicium*, nihil superest, praeter fragmenta quaedam apud Garnerium, 12. Anno dein 419. canones illi octo, quos etiam recenset Usser. l. cit., iterum sunt recogniti et confirmati, et, pro more recepto, anathemate sanciti,

in concilio Africano, Carthagine ab Aurelio convocato, et accepta est Inperialis epistola de subscriptione comdemnationi Pelagii et Celestii ab omnibus episcopis exigenda.

13. Dum haec in Occidente et Africa agebantur, Orientales quoque haeresin eam solenniter damnarunt in Synodo Antiochena, a Theodoto, ejus urbis Episcopo, et totius Orientis supremo Exarcho, habita ann. 421., uti Norisius probavit. Cujus etiam meminit Marius Mercator. in *Commonitorio*. Occasio Synodi ab Ecclesiastica repetenda est ordinatione. Pelagio enim Hierosolymis a Johanne absoluto, causa fuit ad Eulogium, Palaestinae Primatem, devoluta, cum Hierosolymitanus subjectus esset metropolitae Caesareensi. Sed et ab eo, in Synodo Diospolitana, absoluto Pelagio, negotium pertinebat ad Patriarcham, qui Antiochenus erat Antistes.

§. CLXXX. Secutae dein sunt aliae Synodi, verbo tantum adtingendae, ut Ciliciae Secundae contra Julianum, CPolitan. ab Attico, Romae a Celestino contra Episcopos, qui Pelagio favebant, et formulae fidei, a Zosimo decretae, recusabant subscribere; in Africa ab Aurelio, in qua Leporii, Gallicani Monachi, ob haeresin expulsi, et ab Africanis conversi, confessio lecta est et subscripta, ac ad Gallicanos missa; cujus in vita Leporii memini. Denique de motibus Anglicanis, et Synodo Gallicana, propterea celebrata, aliquid subjungendum est. Vid. etiam Usserius l. cit. c. XI. et, praeter alios ex veteribus, Beda Hist. l. I. c. 17. et seq., qui etiam varia miracula a Germano patrata narrat. Inter quae est puellae coecae sanatio, oculis ejus adplicata capsula cum Sanctorum reliquiis. Agricola quidam, Severiani episcopi Pelagiani filius, dogma Pelagianum primus narratur in Britanniam introduxisse, simul tam late disseminasse, ut universa insula fuerit visa facta Pelagiana. Num Celestius, Italia per Celestinum Papam expulsus, eo quoque venerit, dubium est. Prosper contra Collatorem c. 41. dicit quidem, *inimicos gratiae solum suae originis occupasse*,

rupasse, quod ad Celestium referri posset, sed in Chronico Agricolae fit mentio, nulla Celestii. Britanni vero, Orthodoxiae tenaces, cum huic torrenti obicem ponere non valerent, ad Gallicanos sese contulerunt Episcopos, qui, Synodo coacta a. 429., ut Noris. demonstravit, ad eos ablegarunt Germanum Antisiodorensem, cujus vitam conscripsit Constantius, presbyter Lugdunensis, Sidonio l. IX. ep. 16. inpense laudatus, ex quo haec historia est petenda, Lupum Tricassinum, virum insignem, Sidon. Apollin. l. VI. ep. 1. ad eum, et alios, inter quos Hilarius, etsi juvenis, primum tenuit locum. Legationis effectus fuit Pelagianis funestus, adeo ut, publica habita collatione, pudefacti sint, et repressi, *populus* enim fuit *arbiter*, qui, teste Constantio, *vix manus continuit*, *judicium tamen clamore testatus est.* Hector vero Boëthius apud Usserium l. cit. tradit, Pelagianos, *qui resipiscere contumaciter sprevissent*, *flammis*, *regiorum Magistratuum opera*, *esse adustos*: *caeteros*, *pro admisso delicto Pontificum autoritate poenis adfectos*, *receptos esse in gratiam.* Quae si vera sint, quod non putaverim, zelum spirant Antichristianum. Cum vero caput deinde rursus exsererent a. 447. ab eodem Germano, adjuncto sibi Severo Trevirensi, Lupi Trecensis discipulo, magis in ordinem redacti et expulsi sunt, eaque ratione Britannia purgata est. Vid. Usser. l. cit. c. XII. Beda l. I. c. 21. dicit, *populum fuisse Orthoxum*, sed *paucos heterodoxos*, *qui inquisiti*, *et inventi*, *condemnati sunt.* Ultimam tandem manum Pelagianismo destruendo inposuit Synodus Oecumenica Ephesina, a. 431., occasione Nestorii, cui Pelagiani patrocinabantur.

§. CLXXXI. Quo sequentis temporis Papae etiam multum contulerunt. Licet de Sixto III., adhuc presbytero, fama ferret, eum Pelagianis favere, ipse tamen et tunc contrarium demonstravit, cum, tempore Zosimi, primus in frequentissimo coetu anathema in Pelagium et Celestium pronunciaverit, et litteris Zosimi ad Africanos addiderit suas, Augustin. epist. 104. Papa vero factus Julianum, in Eccle-

ſiam irrepere conatum, repulit, ut refert Proſper in Chron. a. 439., et, Synodo habita, haereſin damnavit. Superſunt etiam ejus quaedam carmina pro peccato originali apud Baronium in Annal. Nomen Sixti quidem praeferunt tres libri *de divitiis*, *de malis Doctoribus et operibus fidei*, *denique de caſtitate*, in Bibl. M. P. vol. VII. ſed falſo, ut jam eſt obſervatum. Principia Pelagianiſmi ubique per eos ſparſa ſunt. Lectu tamen digni ſunt, in primis *ſecundus*, in quo eos late et egregie refutat, qui ſola fide, ſine operibus, ſalvari ſe poſſe, et praetextu inpoſſibilis obſervantiae praeceptorum Dei ea negligi poſſe, ſtatuere cenſebantur; et *tertius*, in quo virginitatem mire extollit, et nuptias vilipendit. Ex quo diſcere licet, quibus rationibus tunc illuſi fuerint virginitatis patroni. Floruiſſe videtur autor haud diu poſt Jovinianum, ſic dictum haereticum, quem nominat in ſpecie, tanquam *quondam* ſparſiſſe haereſin. in lib. *de caſtitate*. Memorat quidem l. II. de *malis doctoribus* diſerte, et tanquam receptum dogma, *purgatorium*, *in quo*, inquit, *ad tempus piorum animae*, *corporibus ſolutae*, *expiantur*. Sed vix dubito, quin haec verba fuerint ab alio intruſa, quod vel ipſa ſermonis ſeries oſtendit. Ipſe *duo tantum loca in ſcripturis divinis ſe invenire* dicit et adfirmat, *Regni et gehennae*.

§. CLXXXII. *Leo* M. tam ſeveris legibus haereſin coercuit, ut per 30 et amplius annos nihil contra eam legatur a ſede Romana ſancitum, ſecundum Noriſium l. II: 13. Sed in Campania et Romae latitantes Pelagianos repreſſit a. 443., ut ex Proſpero de *Promiſſionibus Dei* c. 6., et ejus Chronico, colligitur. Cum vero a. 447. in provincia Veneta plurimi Clerici, erroribus in ſpeciem damnatis, in conſortium Catholicorum recepti, haereſin clam inſtaurarint, Leo, a Septimio, Altini Epiſcopo, admonitus, ſcripſit ad Januarium, Aquilejenſem Epiſcopum, et provinciae Metropotam, litteras, quibus in lucem protracti ſunt, ſpeciali et adcurata errorum Pelagii damnatione injuncta. Meminit

quoque studii flagrantis Leonis Photius Bibl. cod. 54. ubi Leo *fervente zelo contra inpietatem* dicitur *depugnasse*. Denique Gelasius Papa, cum haeresin in Dalmatia vires acquirere intellexisset, litteras a. 493. misit ad Honorium, Episcopum Salonitanum, Dalmatiae Metropolitam, quibus *cunctos Domini sacerdotes*, dicit, *se commonere*, *adfectu fraterno*, *ut ne recipiant perversitatem*, *toto orbe damnatam*. Recenset dein Innocentium, Zosimum, Bonifacium, Caelestinum, Sixtum, Leonem, qui haeresin oppugnarunt, quam etiam concilia et Inperatorum decreta prostraverunt; Augustini quoque libros commendat. Honorius vero, sese negligentiae insimulari, aegre ferens, fictas esse delationes de Pelagianis rescripsit. Sed in ipsam Italiam deinceps propius penetravit haeresis, quam Seneca quidam senex in Piceno renovavit, tria urgens capita, 1. pueros non teneri Adae peccato 2. eos, baptismo privatos, non damnari propter Adae peccatum, 3. gratiam ad salutem non esse necessariam, eamque ex merito dari. Quos conatus Gelasius retudit.

§. CLXXXIII. Nihil restat, quam ut Inperatorum decreta contra Pelagianismum recenseam. Pelagianismo a Synodo Africana, dein a Zosimo et concilio Romano, damnato, Honorius Pelagianos publico decreto pellendos esse inperio Romano constituit. Quod edictum emendatius editum est a Salmasio de *Urbicariis Ecclesiis* p. II., ab Usserio l. cit. cap. X. et novissime a Norisio l. I. et Garnerio Diss. III. Datum est ad Palladium, Praefectum Praetorio Italiae et Illyrici, a. 418. Kalend. Maji, adeoque post Synodum Carthagin. et Romanam, eodem anno Mens. Mart. celebratam: sic et Possidius in vita Augustini: *et*, *hoc tale de illis Ecclesiae Dei Catholicae prolatum judicium etiam piissimus Inperator Honorius audiens ac sequens*, *suis eos legibus damnatos inter haereticos haberi constituit*. In oculis autem habuit Possidius judicium Ecclesiae in Synodis memoratis, quarum modo fecerat mentionem. Habet quoque titulus re-

ſcripti, a Salmaſio e Bibliotheca Thuani eruti, *reſcriptum*, *acceptis Synodi geſtis*, *datum*. Ceterum capita de morte temporali, et peccato originali, in eo memorantur ſola. Honorii *reſcriptum* per ſingulas ſuarum praefecturarum dioeceſes mox promulgarunt tres Praefecti Praetorio, Palladius in Italia et Illyrico, Flavius Monaxius in Oriente, et Agricola in Galliis, edito edicto, quo *urbe* ſubmoventur Pelagiani. Quae phraſis, a Praefectis praetorio uſurpata, exilium a Romano Inperio denotat, ut ex ipſo hoc edicto, nec non ex reſcripto Inperatoris, patet. Sed alium et reſtrictiorem habet ſenſum in edictis *Praefecti Urbis*, quo vel expulſionem e muris Urbis, vel ad centeſimum lapidem tantum, ſignificat.

§. CLXXXIV. Excepit ſtatim a. 419. novum Inperatoris reſcriptum ad Aurelium, Primatem Africae. Cum enim ad aures Inperatoris veniſſet, in Africa eſſe Epiſcopos, qui vel damnationi Pelagii non ſubſcripſerant, vel Pelagianiſmum, Chriſtianae libertati et tolerantiae litantes, doceri ſinerent, illud ſevere prohibuit, eoſque, qui non ſubſcribant, vel ad haereticos conniveant, aut non detegant inpediantve, praecepit deponendos et relegandos. Cujus reſcripti exemplum ex Vaticano codice ſiſtit Baronius. Obſervatu dignum eſt, Inperatorem in eo dicere, *ſe in priore edicto ſecutum eſſe Aurelii Epiſcopi judicium, quo conſtabat, eos ab univerſis, juſtae ſententiae examinatione, eſſe damnatos.* Aurelius vero, his Honorii litteris acceptis, encyclicam ſcripſit ad omnes Byzacenos et Arzugitanos, qua Inperatoris edicta ipſis notificavit. Cum vero Romae adhuc latitaret Celeſtius, et Pelagianiſmus vires acquireret, Conſtantius, genere Illyrius, antea Honorii fortiſſimus dux, nunc vero, Placidia ejus ſorore ducta, in conſortium Inperii adſcitus a. 421., Pelagianorum hoſtis acerrimus, litteras eodem anno, praefuit enim ſex tantum menſes, ad Voluſianum, praefectum Urbi, dedit, quibus Celeſtius *Urbe expellendus praecipitur*, cum reliquis Pelagianis. Meminit epiſtolae

epistolae Photius Bibl. cod. 53., eamque emendatius edidit Salmasius l. cit. Nec moram traxit, in jussu exsequendo, Volusianus, licet adhuc gentilis, sed Celestium ac Pelagianos mox manifesto edicto, sub severis poenis, Urbe submovit, in quo Pelagiani traducuntur, *tanquam fidei divinae hostes et quietis publicae* turbatores. Quae persecutores solent conjungere, ut praetextum persecutionis habeant. Denique a. 425. Placidia Augusta, nomine Valentiniani III*tii*, edictum publicavit, et ad Anianum praefectum praetorio Galliarum misit, quo praecipitur, ut Patroclus, Arelatensis Episcopus, conveniat diversos Episcopos, Pelagii et Celestii errores tenentes, et, si sese inter viginti dies non convertant, Galliis ejiciendi sint, fidelioribus in locum surrogatis. Postremo moderatiores quoque non fuerunt Orientis Imperatores. Utique Theodosius junior duas dedit hanc in rem sanctiones. Sed quarum memoria tantum superest. Refert enim Marius Mercator, commonitorium suum, Inperatori oblatum, eum habuisse effectum, ut edicto publico Urbe expulsi sint. Quod a. 429. contigit.

SEMI-PELAGIANISMUS.

§. CLXXXV. Semi-Pelagianismum adpellat Prosper in epist. ad Augustinum *reliquias Pelagii*, cum autem in Gallia, et praecipue Massiliae, fuerit ortus, *Galli et Massilienses* nuncupari solent, qui ejus sunt sententiae. Quorum princeps fuit Cassianus, primum diaconus, dein presbyter Massiliensis, vir in Scripturarum S. studio reliquis praestans, acutus disputator dictus Prospero, in libro contra eum, seu *collatorem*, c. 2., qui, ut ejus verba habent, nec cum Pelagianis, nec cum Catholicis, consentiens, *informe, nescio quid tertium, et utrique parti inconveniens, reperit.* De quo itaque, tanquam autore, quaedam sunt praemittenda. Johannes *Cassianus*, inquit Cave in hist. Litt., *genere Scytha, ex Taurica Chersoneso oriundus, Athenis natus est*, infidum

 forte

forte ducem, Joh. Bapt. Guesnay secutus, qui in libro, cui titulus, *Joh. Cassianus illustratus*, ejus vitam ex cerebro, non ex certis monumentis, descripsit. Demonstravit vero post Holstenium, in praef. *ad regulas Monachorum*, Norisius l. cit. l. II: 1., eum in Galliis apud Provinciam lucem primum adspexisse. Quod vero *natione Scytha* ipsi Gennadio *de vir. Illustr.* adpellatur, illud forte inde est ortum, quod Anachoretis AEgypti in *eremo* σκήτεως *Scetensi* fuerit familiaris, sicut Johannes Maxentius sec. VI., ut postea tradam, Scetensis Monachus, per eandem nominum confusionem, Scytha apud Historicos adpellatur. Juvenis degit in AEgypto, et dein in Bethlemitico coenobio, ubi cum Germano arctam contraxit amicitiam. Deinde, Chrysostomo Episcopo CPol. facto, Cassianus Diaconus, et Germanus Presbyter, ordinatus est. Sed eo, ope Eudoxiae Augustae, in exilium acto, Romam petierunt, legatione pro Chrysostomo apud Innocentium Papam functi. Postea, mortuo Chrysostomo a. 407., Cassianus, Byzantio discedens, in Galliam adpulit, et Massiliae sedem fixit, constructo coenobio. Ubi, cum fama ejus inclaresceret, rogatu Castoris, Aptensium Antistitis, duodecim composuit libros de *Institutis Monachorum AEgypti*, in quibus hypotheses suas tectius proposuit, quas clarius in libris *Collationum Patrum* exposuit a. 417. Sunt autem *primae* decem collationes Patrum, in Scythica eremo commomorantium, dicatae Leontio Forojulensi, et Helladio Monacho: *septem*, quae sequuntur, Patrum in Thebaide AEgypti consistentium, Honorato et Eucherio inscriptae: *septem* vero postremae, post a. 426., ut videtur, exaratae sunt. Denique *septem* scripsit libros de *Incarnatione Christi* contra Nestorium, adhuc CPoli degentem, adeoque ante Synodum Ephesinam, a. 431. celebratam, Leoni, adhuc Archidiacono Ecclesiae Romanae, nondum Papae, dicatos. Mortuus est post annum 433., incertum quo praecise tempore. Plura vid. apud Norisium l. II: 12. Opera ejus junctim edita prostant, novissime edita a Gazaeo, Monacho Benedictino, cum prolixis commentariis.

§. CLXXXVI.

§. CLXXXVI. Praecipua controversiae inter Semi-pelagianos et Catholicos capita fuerunt de naturalibus hominis viribus, gratia praeveniente, et efficace, peccato originali et praedestinatione. Quorum notitiam paulo adcuratius dabo ex genuinis Veterum monumentis, in progressu citandis. Conferri cum nostris merentur Jansenius in Augustino l. VII. et Vossius in Hist. Pelagiana.

VIRES NATURALES ET GRATIA PRAEVENIENS.

Hominem propriis et naturalibus viribus ad *cognitionem* boni moralis pervenire posse, natura quoque ad bonum illud esse inclinatum, ita ut potentiam actus morales bonos edendi habeat, contendit Cassianus, adpellatque *semina virtutum*, homini natura insita; porro, posse eum sese ad fidem et sanctitatem praeparare, fidemque ac poenitentiam inchoare, ita ut oret, et petat a Deo, quaerat gratiam salutarem, peccatorum aliquam agat poenitentiam, desideret; quin proponat sibi, pie et sancte vivere: attamen 1. non posse ullum opus spirituale et euangelicum non tantum non perficere, sed nequidem inchoare sine gratia Dei, adeoque gratia *praeveniente* indigere non quidem ad fidem, adfectum et propositum, sed ad bonum opus euangelicum incipiendum et perficiendum. In quo a Pelagianis differebant, etiam a Juliano, qui gratiam adjuvantem hac parte, non praevenientem, statuit. 2. Has naturales operationes, si homo viribus suis recte utatur, sesque ita, ut dixi, disponat, eum ad *gratiam salutarem* consequendam aptum reddere, et praeparare, non quidem *mereri*, ut Pelagianis inputatum est, eam gratiam, sed bonum illum adfectum tenebant esse occasionem, qua Deus ad eam gratiam dandam moveatur. Hanc puto genuinam fuisse Cassiani opinionem; quae peti potest ex libris collationum. Vid. col-

lat. III. c. 10, et 19., in specie collat. 12ma, nec non ex Prosperi et Hilarii epist. ad Augustinum, illiusque libro contra *Collatorem*, Vid. etiam Cassianus *Institut. Coenob.* l. XII. c. 14. Illud adhuc addendum est, ubi gratiam Dei adserit *praeveniri* ab homine, eum non negare gratiam aliquando *praevenire*. Sic ex. gr. Zachaeum dicit et Cornelium petiisse gratiam, et quaesivisse, sed Matthaeum, Paulum, aliosque Apostolos, a Domino fuisse praeventos; uti *collat.* 13*tia* se explicat.

§. CLXXXVII. Augustinus, ut Augustinianorum fidem explicatius hac parte tradam, lib. I. c. 3. de *praedestinatione Sanctorum*, fatetur, se in initio gratiam praevenientem quoque non agnovisse, et fidem ea ratione esse donum Dei negasse, sed ex nobis esse statuisse; sed postea meliora edoctum, hoc Pauli dicto, *quid habes*, *quod non accepisti*, etc., convictum. Vid. et Retractat. l. I. c. 23. A quo tempore fidei initium Dei gratiae adscripsit in universum: adeo ut fides, conversio, precatio, omnesque boni motus animi, quibus homo convertitur, gratiae Dei sint accepti referendi. Quod ipsum Catholici post Augustinum passim statuerunt, iisdem fere locis, quibus et hodie utuntur Theologi, adhibitis. Sic fidem esse donum Dei, nos nihil habere, quod non accepimus, hominem esse mortuum, et liberum arbitrium esse servum, urserunt. Augustin. de *correptione et gratia* c. 13. de *gratia et libero arbitrio* c. 16. *et contra duas epist.* Pelag. l. IV. c. 3. *voluntas captiva non potest, nisi gratia Dei, respirare in salubrem libertatem*, et ibid. III. 8. *liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet.* Alterum, quod in Semi-pelagianis fuit reprehensum, ad *meriti* notionem spectat. Licet enim naturales vires, recte usurpatas, non dixerint, ulteriorem *mereri* gratiam; cum tamen Deus per eas operationes, secundum eos, moveatur, ad illam gratiam concedendam, aliquod *meritum*, etsi ex gratia, videbantur admittere debere. Sed haec disputatio, de voce maximam partem, facile terminari potuisset. Quod

si

si prior dissensus aeque facile tolli posset, Catholicos et Semi-pelagianos secum conciliasse, non foret difficile. Tentavit illud Vossius l. IV. c. I., statuendo, Cassianum velle, Deum ab homine *praeveniri*, non simpliciter et absolute, sed secundum hos illosve gratiae actus, scilicet, generales et primas operationes, quibus homo ad gratiam salutarem praeparatur, esse ex gratia quoque divina; hominem vero, nisi ea virtute, a Deo collata, recte utatur, non consequi gratiam salutarem; si vero gratiae primordiis obsequatur, ulteriorem gratiam inpetrare. Quae si vera esset opinio, divortium non adeo magnum foret, cum ipse Augustinus ab ejusmodi auxilio Dei generali et remotiore non videatur alienus: in lib. de *natura et gratia* c. 67. Cassianum id dicere, vel et vires naturales pro gratuito Dei dono habere, salvo suo systemate, potuisse, non nego, sed num id censuerit, nondum mihi liquet: nec Vossii argumenta aliud quid demonstrant, ac Deum speciali gratia non concurrere aliquando ad actus regenitorum, nisi post conatus ipsorum ex habituali gratia profectos: de quo mox. Sed unde ad primum fidei initium firmiter concludi nequit; nusquam dixit Cassianus, primas illas operationes, quibus Dei gratia praevenitur, esse a Deo, sed ubique ex libero arbitrio et viribus naturalibus, et ita secum disputarunt Augustiniani ac Semi-pelagiani. Quare ipse Vossius huic viae conciliationis non nimium tribuit. Faustum tamen, manifeste Semi-pelagianum, de quo postea, tradit Gennadius de *viris illustr.* cap. 85. in egregio libro de *gratia et libero arbitrio*, docere, *gratiam Dei semper et invitare, et praecedere, et adjuvare voluntatem nostram, et quicquid ipsa libertas arbitrii labore piae mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiae donum.* Quae alii hunc in finem adtulerunt, refutavit Norisius in adpendice ad Synod. V. cap. 2.

GRATIA, CREDENTES AD BONA OPERA EXCITANS, ET IN FIDE CONSERVANS.

§. CLXXXVIII. Credentes, qui salutarem gratiam nacti sunt, non nova semper et extraordinaria gratia ad omnes et singulos actus indigere, censuerunt Semi-pelagiani, sed ex virtute spirituali, in principio regenerationis indita, ex propriis viribus, quas gratia salutaris est largita, posse credentes praestare actus bonos; nec non tentationibus resistere, ac perseverare in fide, non per peculiarem Dei gratiam, ac speciale donum, habitualem ad id sufficere gratiam. Quod ex Abrahami, Davidis, et aliorum, exemplis demonstrat Cassianus collat. 13. ubi, ex. gr., Deum explorare voluisse Abrahami fidem, inquit, quam vocatus semel, et illuminatus, a Domino, per libertatem arbitrii poterat exhibere. Tentatori, addit, Deum dedisse tantam potestatem, quantam Jobum resistendi noverat habere virtutem. Pelagiani itaque viribus naturalibus, Semi-pelagiani gratiae divinae habituali, semel concessae, adtribuerunt perseverantiam, sed Augustiniani eam a singulari gratia, ac peculiari dono, derivarunt. *Ad actus singulos credentes indigere gratia* dixit Augustinus Oper. Inperf. contra Julianum l. VI. c. 12. Sic et epist. 107. ad Vitalem, *scimus gratiam majoribus ad singulos actus dari*, *scimus non omnibus hominibus dari*. Donum enim perseverantiae statuit Augustinus esse peculiare quid, quod omnibus, etiam credentibus, non contingit, sed ex decreto praedestinationis esse repetendum; adeo ut ipsi credentes deficere possint; dari itaque tantum nonnullis, qui Deum propterea orant, et illud quaerunt. Vid. Norisius in Vindic. Augustin. p. 56. et 86., nec non Thomson in diatriba de *amissione justificationis*. Habuit vero pro peccati originalis effectu, quae per baptismum non tollitur, concupiscen-

concupiscentiam, et privationem potentiae proxime expeditae ad perseverandum, et ideo peculiare censuit esse *donum* perseverantiam. Vid. in lib. *de bono perseverantiae*: ubi inter alia dicit, si potentiam a Deo jam accepissent perseverandi, non necesse haberent precibus eam petere, ut nunc a sanctis fit, sicut et Dominus pro Petro specialiter oravit, *ne fides ejus deficiat.*

GRATIAE EFFICACIA ET IRRESISTIBILITAS.

§. CLXXXIX. Vocationem Dei non tantum universalem statuunt Semi-pelagiani, cui quisque, si velit, obsequi potest, ut ex dictis constat, cum fidei initium sit in hominis potestate; sed et gratiam, quam Deus homini dat, posse ab eo respui, et amitti, ut Hilarius inquit in epist. ad Augustinum, vid. et Faustus de *libero arbitrio* lib. I. Sed Augustinus, qui nonnullos ad salutem statuit esse absoluto decreto destinatos, gratiam, ex hoc decreto datam, cum ad conversionem, tunc ad perseverantiam, esse *efficacem*, seu effectum semper sortiri, manifeste contendit, ut loca a Vossio jam adducta l. VI. th. X. extra dubium collocant. Verum num certum hunc effectum in nonnullis illis a majori gratia, ipsis concessa, derivarit, an a congruentia divinae vocationis cum libero arbitrio, acriter secum contendunt Romano-Catholici, et possunt sane, cum Augustinus sese modo hac, modo alia ratione explicet. Quam quaestionem, ne nimis prolixus sim, praetermitto, luculento aliquo ratiocinio ejus, in libro de *Spiritu et Littera* cap. 31 — memorato contentus. Quaerit ibi, num fides sit a Deo, et qua ratione id libero arbitrio conveniat? summa responsionis huc redit: *posse* credere est a Deo; *velle* autem Deo testanti consentire, et se ei tradere; dicit, partim esse ex libero arbitrio, partim ex internis et externis suasionibus;

cur autem, ſic pergit, *illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola reſpondere ſe poſſe: ô altitudo divitiarum! et num iniquitas apud Deum?* Unde patet, gratiam tantum moralem, cui reſiſti poteſt, ab ipſo admitti, quae tamen in *aliis* certum habet effectum, quod inperſcrutabilitati Dei adtribuit. Nihil hic videtur regeri poſſe, niſi, quod Janſenius diſputat, librum eſſe ſcriptum, cum principia Semi-pelagiana nondum depoſuiſſet: quod precario adſumitur, nec tunc ad inperſcrutabile Dei conſilium confugere neceſſe habebat. *Poſſe* credere etiam gratiae Dei acceptum refert, non ergo, fidem eſſe ex homine ſolo ſtatuit, uti antea fecerat. Alibi quoque adpellavit vocationem *congruam, quae uno tempore non efficeret, ſed alio id faceret*, in libro I. ad Simplicianum, Oper. tom. VI. p. 69. Vid. et plura loca a Voſſio congeſta l. VII.

PRAEDESTINATIO AD GRATIAM, ET GLORIAM.

§. CXC. Cum Semi-pelagiani hominem ſtatuerint ad gratiam Dei ſalutarem pervenire, occaſione operationum propriarum ex viribus naturalibus: praedeſtinationem ad eam gratiam non dari abſolutam, ſed conditionatam, conditione ab homine praeſtanda, et a Deo praeviſa, ex illorum hypotheſi, quiſque facile percipit. Deinde, cum perſeverantia ab homine propriis viribus, a gratia in principio datis, ſit praeſtanda, ſitque ea ſalutis inpetrandae conditio, praedeſtinatio ad ſalutem itidem ex praeviſione perſeverantiae derivari debuit. Quae etiam vera fuit eorum opinio, uti ex litteris Hilarii ac Proſperi ad Auguſtinum, ut et ex Fauſto l. I. c. 6., aliiſque, eſt manifeſtum. Nullam itaque praedeſtinationem ad fidem, nullam ad perſeverantiam, et ſalutem, ſtatuerunt, niſi in aliquibus, quos Deus ſua gratia praevenit: *ita ut, quia diverſae ſunt vocationes*, verba ſunt Proſperi ad Auguſtinum, *in his qui nihil operaturi ſalvantur,*

quaſi

quasi solum Dei propositum videatur existere, in his autem, qui aliquid boni acturi sunt, per praescientiam possit stare propositum. Quo etiam spectat canon 8. Arausicanus; quo statuitur, *non alios per misericordiam, alios per liberum arbitrium, salvari, sed neminem venire ad Christum, nisi quem Pater adtraxerit.*

§. CXCI. Augustinus vero, ex quo initium conversionis hominis, qua gratia Dei, ipsi concessa, recte utitur, non a libero hominis arbitrio, sed a gratiae efficacia, quae effectu non caret, derivavit, non potuit non absolutum ad gratiam illam statuere decretum, ita ut ratio, quare hic gratiae respondeat, seque ei tradat, ille resistat, ab arcano Dei consilio sit repetenda. Decretum itaque electionis ad gratiam statuit absolutum, non ex praevisione, ut ex multis locis satis constat, quae Vossius jam produxit l. VI. th. X. Porro, quod alii credentium a fide deficiant, alii vero vel a graviore lapsu liberentur, vel, si labantur, resipiscant, illud quoque ab arcano electionis decreto ad gloriam repetiit. Praedestinationem itaque ad vitam aeternam quoque agnovit absolutam, non ex praevisa perseverantia natam, quippe ipsius perseverantiae caussam decernentem, et fontem. Omnes credentes non dixit perseverare, ut modo observavi, sed eos, qui in fide constantes manent, illud a Dei destinatione habere, contendit. Vid., praeter Vossium l. cit., Norisius in vindic. Augustin. p. 59. Quae doctrina de absoluta praedestinatione ante Augustinum fuit vel ignota, vel minus vulgata, nec post ipsum universaliter a Catholicis recepta. Patres ante Augustinum, qui fidei initium gratiae quoque adscripserunt, praedestinationem nihilominus ex praevisione, qua Deus, quinam gratia recte uterentur, praecognovit, derivarunt. De quo, si hujus esset loci, pluribus differere possem; nunc ad Vossium l. VI. th. 8. et ad ea, quae in superioribus ex Patribus produxi, ablegasse suffecerit. Addo autorem commentar. ad Epist. Pauli ad calcem oper. Ambro-

 sii,

sii, qui se in fide catholicum profitetur, diserte dicere ad Rom. VIII: 29. *istos quos praescivit, futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa praemia capessenda* etc. Vid. etiam ad cap. IX. et alibi saepe. Post Augustinum ea opinio omnibus sese quoque non adprobavit. Semi-pelagiani enim non tantum, sed et Catholici, qui gratiam praevenientem admiserunt, eam ex absoluto aliquo decreto noluerunt dari, sed, qui ope istius gratiae crederent, Deum praevidisse, et ita praedestinasse, dixerunt. De quo ex epist. Hilarii ad Augustinum clare constat. Vid. etiam Vossius l. cit. th. 14., qui etiam in seq. recte advertit, quaestionem de *praedestinatione* fuisse, non principalem, sed *incidentem*. Augustino vero hac parte adsurrexerunt Prosper, Hilarius, Fulgentius, et Africani exules. De quibus postea.

REPROBATIO.

§. CXCII. Absolutam ad gratiam et gloriam etsi admiserint praedestinationem aliquam Augustiniani, attamen ad incredulitatem, peccata, et aeternum exitium, neutiquam putarunt *absolutum* statuendum esse decretum, sed *conditionatum*, adeo ut homines ex praevisa incredulitate et corruptione fuerint a Deo reprobati. De quo ut clarius constet, systema eorum paulo distinctius exhibebo. Praedestinationis objectum statuerunt massam in primo homine lapso corruptam; quam humani generis conditionem ex generali providentiae Dei ratione derivarunt, qua Deus hominem labi, et libertate sua uti, sivit. Qui vero in peccatis perseverant, Deo recusantes obedire, eos censuerunt propterea reprobari, ac damnari: adeo ut causam reprobationis positivae ad exitium quaesiverint in peccato hominis, sive originali, in infantibus non baptizatis, sive actuali in adultis. Causam vero, quare in peccato perseverant homines, censuerunt perversam eorum esse voluntatem, qua gratiam *salutarem* respuunt: Deum quidem omnibus offerre gratiam sufficien-

sufficientem, sed non conferre, quia eam negligunt, vel, si initio adsumant, non perseverant, Deum deserendo, cum ab ipso quoque deseruntur. Causa itaque reprobationis aeternae secundum ipsos est *praevisio*, vel incredulitatis, vel defectionis, in genere peccatorum, ipsique a praedestinatione ad peccatum sibi solicite caverunt, cum ea, secundum ipsos, sit *efficax mediorum ad salutem cum effectu certo destinatio et praeparatio*, ut loquitur autor Hypognost. l. VI. c. 5., qui propterea reprobos dicit esse *praescitos*, non praedestinatos, salvandos vero et *praescitos* et praedestinatos. Vid. etiam Fulgentius Ruspensis, sec. VI. scriptor, in epist. ad Monimum de *praedestinatione ad bonum et malum*, ubi, pradestinationem ad poenam quidem dari, sed non ad peccatum, poenae caussam, multis disputat. Notabilis est in hanc rem penultimus canon Arausicani II. concilii; sec. VI., *aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse non solum non credimus, sed, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in eos anathema dicimus.* Sic et concilium Valentinum, sec. VI. in Gallia Viennensi, de quo mox, *non ex praejudicio Dei aliquem, sed ex merito propriae iniquitatis, credimus condemnari; nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali, permanserunt.* Ceterum, cum hominibus, in eadem massa constitutis, aliis gratia ita offertur, ut recipiant, aliis vero, ut non, alii excidant, alii perseverent, addunt, eos, qui gratia efficace non donantur, queri non posse, quia per peccatum originale se indignos praestiterunt, praeterea arcanum Dei consilium esse adorandum. Vid. Vossius l. cit., etc. Norisius in vindic. Augustin. p. 88. Quibuscum tamen conferendus est J. Basnage Hist. Eccles. l. XI. c. 9., qui etiam l. XII. c. 3. qua ratione Catholici argumenta Semi-pelagianorum contra absolutum decretum, et gratiam particularem efficacem, solverunt, fusius exhibet.

PRAEDESTINATIANI.

§. CXCIII. Praedestinatianorum haereseos, ab Augustino ortae, ut Tiro Prosper ait, vel ab ejus libris male intellectis, secundum Sigebertum, capita referuntur sequentia: Praedestinationem aeque ad malum, et peccatum, esse ac ad bonum: etiamsi voluerit praedestinatus ad malum bene agere, non posse ad salutem venire; si vero voluerit ad vitam praedestinatus male vivere, non posse quoque: hominem invitum trahi et cogi: virtutis studium frustraneum ad vitam consequendam, vitia etiam et negligentiam nihil nocere praedestinato ad vitam: denique electionem bonorum et recusationem malorum Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente. Decretum itaque Dei non tantum faciunt absolutum, sed et efficientem, ac directam caussam virtutis et vitii, salutis et exitii, et quae inde sequuntur admittunt cruda et horrenda omnia. Hanc haeresin primus memoravit Prosper Tiro, et a. 417. testatur erupisse: quem alii secuti sunt. Edidit quoque Sirmondus aliquem scriptorem, quem adpellavit *Praedestinatum*, qui, ipso teste, libellum publicavit ante annos 1200 nomine Augustini, hanc haeresin complexum, et ab ipso refutatum: quem scriptorem Sirmondus conjicit fuisse Arnobium juniorem. Sed autorem esse ineptum, qui Semi-pelagianus fuit, et librum sub nomine Augustini finxisse, ex ejus sententiae consectariis, pessime ei adfictis, haeresin confinxisse, demonstrare conatus est Avraeus Sorbonista, quem alii volunt Vergerium, Jansenii sodalem, fuisse, alii Arnaldum, qui *praedestinatum* illum cum censura edidit: quando Sirmondus exactiorem haereseos *praedestinatianae* notitiam dedit, quae Oper. ejus tom. IV. exstat, quam refutavit Gilbertus Manguinus, Regi Galliae a consiliis. Denique haeresin talem nunquam exstitisse, sed a Semi-pelagianis fuisse Augustinianis inpictam, ex eorum sententia de *Praedestinatione et gratia* violenter eductam, adfirmavit Norisius hist. Pelag. III. 15.

15. sed et ante eum Usserius in *Gotteschalcki* historia c. 2. ut et Manguinus in *vindiciis gratiae* etc., imo ante omnes Jansenius in *Augustino* t. I. l. VIII. c. 33.

§. CXCIV. Quam posteriorem hypothesin existimaverim praeferendam esse ob sequentes rationes. 1. Omnia illa capita utique certum est Augustino, ejusque adseclis, fuisse a Semi-pelagianis objecta, ut Usserius et Norisius demonstrarunt. 2. Soli Semi-pelagiani haeresios, ut Augustino scilicet facerent invidiam, meminerunt. Ipse Tiro Prosper in *chronici* Hieronymi continuatione diserte dicit, eam *haeresin ab Augustino dici coepisse:* haec enim vera est lectio, et non, ab Augustini *libris male intellectis;* uti Usserius jam observavit. 3. Praedestinatorum nomen quoque passim fuit Augustinianis datum: ut ex Arnobio ad Psalm. CXVII et CXLVII, Fausto, et aliis, constat. 4. Concilium Arausicanum II. can. 13., illam calumniam Semi-pelagianorum retundens, habet, ut modo notavi, *aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione anathema illis dicimus.* Possetne tam dubie loqui Synodus, si talis haeresis in vulgus emanasset? Denique 5. autor *hypognost.* l. VI: 1. in *adpendice* oper. August. tom. X. clare significat, omnia illa capita fuisse Catholicis objecta a Semi-pelagianis. Recenset enim ea, et sic incipit: *credere nos quippe et praedicare flagitatis* h. e. infamatis vel accusatis. Alia praetereo, ex citatis autoribus petenda.

§. CXCV. Haec licet vera sint, negare tamen nolim, extitisse hoc tempore, qui hisce calumniis, per duras suas phrases, occasionem praebuerunt, vel et, qui, Augustini sententia male-intellecta, ea ipsa consectaria admiserunt, ut vulgo fieri adsolet, Vid. Chrysostomus ad Ps. CXXVIII oper. t. V. p. 429. Lucidus quoque aliquis, in libello ad Gallicanos episcopos misso, eos ipsos suos errores damnavit. Exstant etiam litterae Fausti Reiensis ad ipsum, et

ipsius ad Episcopos, quibus errores recovavit, in actis conciliorum Harduini, vid. Norisius l. cit. p. 182., frustra contendente Manguino commentum illud Fausti fuisse de Lucido. Monimum quoque credidisse, homines ad *peccata esse praedestinatos*, liquet ex Fulgentio l. I. c. 3. ad eum. Quid? quod ex eodem Fulgentio, de *praedestin. et gratia* l. II. constet, plures liberum sustulisse arbitrium, et omnia gratiae Dei adscripsisse, sicut Praedestinatianis fuit inputatum. In coenobio Adrumetino, in provincia Byzacena, fuerunt quoque nonnulli, qui liberum arbitrium dixerunt per gratiam tolli, adeoque bonorum operum nullam esse in judicio ultimo rationem. Vid. Augustini epist. 2. 14. et Jansenius in Augustino, l. V. c. 14. de haeresi Pelagiana: nisi quis malit, Semi-pelagianos fuisse, qui, illud ex Augustini sententia sequi, tenuerunt. Vid. Manguin. in dissert. *Praedestinatiana confutata.* l. I. c. 1. Fuerunt utique ibi, quos Augustini epist. 205. ad Sixtum, postea Papam Romanum, offendit, tanquam libero arbitrio contraria. Quos motus composuit Augustinus libro de *gratia et libero arbitrio.* Nec tamen existimandum est, illos homines quorum memini, Praedestinatianorum titulo fuisse insignitos, aut talem constituisse sectam. Utique ejusmodi haeresis, tanquam ab Augustino diversa, prorsus fuit ignota, et Augustiniani fuerunt *epitheto* Praedestinatianorum insigniti. Nata videtur demum fuisse opinio de peculiari illa secta tempore Hincmari, sec. IX., quippe qui adversariis illam haeresin inpegit, quando libellus iste, *Praedestinatus* dictus, videtur compositus: ut Avraeus, in *censura praedestinati*, jam conjecit.

ORTUS ET FATA SEMI-PE-LAGIANISMI.

§. CXCVI. Semi-pelagianismus cum inter Pelagianismum et

[redacted]

Augustini opiniones medium teneat, originem ejus non ex obscuritate doctrinae Augustini, ejusque pravo intellectu, sed inde esse repetendam patet, quod, eum in alterum extremum esse prolapsum, et liberum arbitrium sustulisse, existimatum fuerit a nonnullis, uti ex initio epistolae Prosperi ad Augustinum liquet. Sed adcesserunt alia, quae huc haud parum contulerunt. 1. Monachi, severiori adsueti disciplinae, eam doctrinam putarunt rigidiori pietati minus amicam esse, simul carnalibus hominibus occasionem securitatis praebere. Sic Cassianus collat. XII*ma*, *meliores*, ad gratiam divinam contra Pelagianos demonstrandam, *magistros* esse dicit *AEgyptios Monachos*, *qui ad eandem nos multis virtutum exemplis conducere possunt*, *quam illos*, *qui eam demonstrare conati sunt verborum jactantia*, *vaniloqua disputatione*, *syllogismis dialecticis*, *vel Tulliana facundia:* quibus verbis Augustini disputationes de gratia haud obscure perstringere videtur. 2. Nonnullorum Zelotarum, aut inperitiorum, vel inconditae phrases, vel duriores opiniones, quibus Augustini doctrinam nimis extenderunt, acsi libero arbitrio et pietatis studio adversaretur, hic quoque in censum venire possunt. Inter Monachos Adrumetinos fuerunt multi, per epistolam Augustini ad Sixum, postea Papam, quae est 105, tanquam libero arbitrio contrariam, offensi, ut modo notavi. 3. Robur addidit novitas doctrinae Augustini de absoluta praedestinatione, et gratia, secundum eam data, semper efficace: quam Augustino fuisse objectam, Prosper in epist. ad Augustinum tradit, dicens de Semipelagianis; *obstinationem suam vetustate defendunt* — — — *a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta*, *ut nunc sentiuntur*, *adfirmant*. Respondit tantum Augustinus de *praedestinat*. c. 14. *Veteres securius esse locutos*, *quod nulla tunc adhuc nata esset haeresis*. Ceterum Veteres, in primis sec. IV., plures non adeo alienos fuisse ad opinionibus Semi-pelagianis de gratia praeveniente, et efficace; simul statuisse, Deum velle omnium salutem, et Christum pro omnibus

nibus esse mortuum, ex superioribus facile patet. Quibuscum conferri praeter alios meretur J. Basnagius hist. Eccles. l. XI. Qui etiam recte observavit, Veteres nec inter se, nec secum, consensisse, dum alibi gratiam in detrimentum arbitrii, alibi hoc in illius imminutionem extollunt.

§. CXCVII. Ingentes fecit Semi-pelagianismus progressus in Galliis primum, dum una cum collationibus Cassiani transiit in coenobium Lerinense, quod per totam insulam Lerinam, quae nullas urbes aut villas, habebat, sed tantum cellulas Monachorum, sparsum erat, quodque, non Augustini, sed Cassiani, regulas sequebatur: ut pluribus demonstravit Norisius l. cit. l. II. c. 3., qui etiam, illud anno 410., et non, ut vulgo, 375, fundatum esse, evicit. Florebant isto in coenobio Honorati Monasteriarchae discipuli, Maximus Abbas, Hilarius Arelatensis, Faustus Rejorum Antistes, postea Lupus Trecensis, cum Vincentio fratre, maximi ejus sectae patroni, et promotores. Quorum virorum aliqua danda est notitia, fusius ex Norisio petenda. *Maximus*, Honorati, ad Episcopatum Arelatensem evecti a. 426., successor, Lerinensis fuit Abbas annos septem, quando Rejorum factus est Episcopus a. 433. Cujus, ut et Honorati, nulla supersunt scripta, praeter homilias forte inter Eusebii Emeseni, vel Eucherii Lugdunensis homilias; ut tradit Joh. Savaro ad Sidonium Apollin. *Hilarius*, eruditione, et pietate reliquis praestans, Arelatensis factus Episcopus a. 429. Cassiano omnino adhaesit. Fuisse enim eum Semi-pelagianum ex litteris Prosperi, et alterius Hilarii, ad Augustinum, dubio procul est. Confusio autem duorum illorum Hilariorum fecit, ut Arelatensis a multis fuerit pro Augustiniano habitus; esse autem eos diversos, quod Bellarminus de *Script. Ecclesiast.* jam advertit, nunc satis constat. Vid. etiam Usserius l. cit. p. 186. Alter enim opinionem Augustini *in quaestionem trahebat*, ut Prosper inquit, alter vero in epist. ad Augustinum, *se nunquam de ea dubitasse*, testatur. Arelaten-

latensis nunquam in Africa degit, sed alter testatur, se in Africa fuisse Augustini discipulum. Ceterum Arelatensis Synodo Regensi a. 439., et Arausicanae a. 441., praefuit, et lites de suae ditionis extensione, dum sedis suae jura in Provincias Viennensem et Narbonensem adserebat, habuit cum Papa Leone; quare a Pontificiis traducitur; sed a Quesnellio defenditur. Scripsit etiam Honorati, decessoris sui, *vitam*, praeterea carmen heroicum de Genesios historia, et epistolam ad Eucherium Lugdunensem. Opuscula ejus exstant in Bibl. Patrum. Videtur denique, ut Norisius conjicit, autor esse carminis de *Providentia*, quod Prospero inscribitur. Spirat utique illud carmen Semi-pelagianum, qui gratiam praevenientem non admittit, uti ex. gr. sub finem.

Si tamen adsertoris (Christi) *opem festina voluntas*
Praeveniat fletu Dominum motura fideli.

Alia indicia mitto. Mortuus est a. 429., et vitam ejus conscripsit Honoratus, discipulus ejus. Ceterum Augustino fuit a nonnullis habitus doctior; unde de ipso dictum circumfertur; *si Augustinus post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.*

§. CXCVIII. Sed nemo Semi-pelagianismo propagando plus contulit, quam *Faustus*, Britannus, Rejorum Antistes, quem Sidonius epistolis et carminibus supra reliquos suae aetatis ad sidera usque extulit, uti l. IX. ep. 3, 9. et carmine 16. De quo etiam vid. Usserius l. cit. c. XIII. Fuit primum Abbas Lerinensis ab a. 433., dein Maximo in Episcopatu Rejense successit a. 462. Augustini sententiam inpugnandi haec narratur occasio. Cum fama ferret, nonnullos Augustini sequaces in absurdos errores Praedestinatianorum incidisse, Leontius Arelatensis Synodum Arelate coegit, a qua Fausto injunctum est, ut Synodi decreta fusius pertractaret: quae eorundem errorem refutandorum cura

 ipsi

ipsi iterum in Lugdunensi Synodo fuit demandata. Synodos quidem illas fuisse a Fausto confictas, contendit Manguinus in *Praedestinatae fabulae confutatione*, sed ratiociniis tantum invidiosis, ac argumentis negativis, utitur, nec rem evicit. Vid. Basnagius in observat. ad Faustum in Antiq. Lect. Canisii vol. I. et Huetius epist. ad Brullium in Dissertationibus a Tilladet editis, p. II. Sub praetextu itaque haereseos praedestinatianae confutandae, duos scripsit libros de *gratia et libero arbitrio*, quibus Semi-pelagianismum contra Augustinum defendit, ejusque fuit acerrimus patronus. Vid. Norisius in *adpendice ad dissertat.* de Synodo Vta cap. 3. Obiit summe senex a. 490. Scripsit, praeter libros modo memoratos, *epistolam* ad Lucidum Presbyterum, cujus supra memini, quem ab errore revocavit, libellum de *creaturis corporeis*, a Claudio Mamerto refutatum: censuit enim Faustus, nullam esse creaturam incorpoream, cum Deus sit incorporeus, in eo sese tantum fundans, quod Angeli et Spiritus in certo loco sint, vel eum inpleant. Alia opuscula mitto. Supersunt in Bibl. Patrum, sed epistolae cum libello de creaturis incorporeis quoque in *Antiquis Lection.* Canisii vol. I. Eandem opinionem tuitus est autor duorum librorum *de Spiritu S.* contra Macedonium; quod opus Paschasii, Ecclesiae Romani Diaconi, tempore Symmachi Papae, nomine prostat in Bibl. P., nisi verus autor sit ipse Faustus, quod non inprobabiliter disputat Oudinus de *Scriptoribus Eccles.* Ceterum idem quod Faustus de creaturis statuere videtur Junilius Afer, sec. VI. scriptor, in libro de *partibus divinae legis*, l. II. c. 2. ubi *nihil esse incorporeum comparatione Dei* esse dicit, *sicut nec inmortale, nec invisibile: alius enim modus est*, addit, *quo haec verba soli Divinitati conveniant, alius quo de creaturis loquitur, sicut animabus vel Angelis.*

§. CXCIX. Adnumerandi quoque huic sectae sunt Vincentius Lirinensis, Arnobius Junior, Salvianus, et Gennadius Massiliensis, de quibus paucis absolvam. Vincentium,

um, qui, in Massiliensi adhuc degens coenobio, scripsit *commonitorium* adversus haereticos, novissime, cum Salviano, editum Bremae, cum doctorum notis, et Calixti praemissa dissertatione, fuisse Semi-pelagianum, Vossius l. cit. l. I. c. 9. jam demonstravit, sed clarius et certius Norisius l. II. c. 11. Publicavit quoque *objectiones* adversus Prosperum, aliosque Augustinianos, ad quas respondit Prosper, edito libello, cui titulus; *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum*. *Arnobius*, adpellatus *junior*, ut ab Afro illo distingueretur, floruit circa a. 460., teste inscriptione *commentarii* ad Psalmos. Ex quo ejus libro eum fuisse Semi-pelagianum demonstravit Vossius l. I. c. 11., qui tamen putat, eum gratiam quandam, omnes bonos motus antecedentem, agnovisse; sed per illam intellexisse videtur externas tantum operationes, ut observavit Norisius l. III. c. 15. Vid. ad Ps. CXLVI. De Semi-pelagianismo ejus constat satis ex comment. ad Ps. XC., ubi liberum arbitrium et gratiam Dei adjuvantem conjungit. Vid. etiam ad Ps. CXVII., ubi gratiam praevenientem non agnoscit, sed adjuvantem tantum, nec non ex comm. ad. Ps. XCI., ubi electioni absolutae contradicit: sicut ad Ps. CVIII. haeresin adpellat, *quae dicit, Deum alios praedestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem*. Ad Semi pelagianos etiam pertinet *Salvianus*, presbyter Massiliensis, Gennadio valde laudatus, qui circa medium seculi floruit, et, praeter epistolas, scripsit 1. libros de *Gubernatione* Dei, quibus vitia et crimina Christianorum sui aevi recenset, et taxat, indeque judicia Dei in eos defendit. 2. *adversus avaritiam* libros, quos rectius *pro avaritia* Ecclesiastica dixeris, quibus demonstrare conatus est, bona vel in vita, vel tempore mortis, relinquenda esse non aliis, quam pauperibus, et Ecclesiae, vel Clero, ad peccata redimenda, et vitam aeternam consequendam. Disputat quidem acute, sed passim minus solide, nec modum tenet, aut superstitionem vitat. Prodierunt, ut modo dixi, cum Vincentii *commonitorio*. Denique memorandus est *Gen-*

 nadius,

nadius, Presbyter Massiliensis, qui circa ann. 490. scripsit *virorum illustrium* catalogum, inde incipiens, ubi desinit Hieronymus, ad annum dictum usque. Quo in libro cum Cassianum, Faustum, aliosque Semi-pelagianos, inpense laudasset, Augustino etiam reprehenso, quem quidem *fide integrum et vita purum* adpellat, sed ipsi *multa loquenti accidisse* refert, *quod dixit per Salomonem Spiritus S.*, *in multiloquio non effugies peccatum*, in suspicionem venit Semi-pelagianismi: quare *libellum fidei*, quo se excuset, cum, ea secta jam damnata, ejus opiniones tutum amplius non esset tueri, mittere debuit ad Gelasium Papam. Gratiam quoque praevenientem in opere *de Ecclesiasticis dogmatibus*, hic illic videtur admittere; sive mentem dissimulaverit, sive mutaverit. Sed luculentam gratiae divinae confessionem, a cap. *20mo* ad *52dum* in libris illis, non esse ejus, verum Catholici alicujus, qui tanquam antidotum adtexuit, contendit Jansenius in *Augustino* de haeresi Pelag. l. VIII. c. 7.

§. CC. Semi-pelagianismo in Galliis orto, ut de *oppositionibus* ipsi factis agam, primus sese praestitit adversarium Prosper Aquitanicus, qui cum Hilario aliquo, etiam Arelatense dicto, forte ex confusione cum altero Hilario, de quo supra, litteris ad Augustinum datis, eum de motibus illis certiorem reddidit, simul paucissimos esse indicat purioris gratiae defensores, a. 429. Ad quas litteras Augustinus duobus libris, *de praedestinatione Sanctorum*, *et dono perseverantiae*, luculenter respondit; quibus litterae memoratae praefixae exstant. Cum vero motus crescerent, et in Augustini libros palam insurgerent Semi-pelagiani, ad Caelestinum Papam causam hi ipsi duumviri detulerunt. Increpuit quidem eos, litteris ad Gallicanos Episcopos datis, Caelestinus, et Augustini doctrinam adprobavit, a. 432. sed ad silentium non redegit; priores, non posteriores, libros Augustini a Papa esse adprobatos, exceperunt. Adnexa quidem illis litteris Papae sunt decem capitula de *gratia*, sed non sunt Caelestini, sed vel, ut Quesnellius putat, Prosperii,

ris, de quo vid. Norisius vindic. Augustin. c. 8. et Antelmius de veris Leonis M. et Prosperi operibus, vel autoris ignoti, circa finem seculi, ut disputat Basnagius l. cit. l. XII: 4. Cum vero Cassiani *collationes* ubique spargerentur, scripsit Prosper a. 433. contra *Collatorem*. Nec tamen, nisi diu post, publice fuit haec secta et directe damnata. Imo inter capitula sedis Apostolicae, quae Leoni M. tribuit Quesnell., et in Leonis operibus exstant, de *gratia et libero arbitrio*, ultimum, quod notari meretur, habet, *profundiores quaestiones nec esse contemnendas, nec adserendas*. Illud ad capitales cum Semi-pelagianis quaestiones, uti de *praedestinatione absoluta* etc., non pertinere, sed alias incidentes, ut *de modo* propagationis peccati originalis, et origine animae etc. disputat quidem Quesnellus diss. III. sed in ipsis capitulis nihil definitur, praeter totalem hominis corruptionem, gratiam praevenientem, et ad singulas actiones necessariam; de praedestinatione et gratia irresistibili nihil: nec meliore fundamento putat Semi-pelagianos fuisse a Leone epist. VIta perstrictos. Primus, qui Semi-pelagianos damnasse censetur, est Gelasius Papa. Sed num is Synodum a. 494. habuerit, in qua consultatio est habita de libris a Catholicis legendis vel rejiciendis, ubi Augustini et Prosperi libri laudantur, Cassiani vero ac Fausti diserte, tanquam Apocryphi, damnantur; non est exploratum: de quo supra monui. Sed in epist. ad Episcopos per Picenum opinio Semi-pelagiana, de fide ex viribus naturae oriunda, diserte proscribitur a Gelasio. Plura Vid. apud Usserium p. 244.

§. CCI. Sec. VI. in principio, ut hanc telam pertexam, cum secta longe lateque sese diffunderet, et in ipsa Urbe regia CPol. patronos inveniret, Monachi quidam Scythae, ex ultimo excitati Ponto, venerunt CPolin., et utrumque orbem novis turbarunt motibus contra Nestorianos et Semi-pelagianos. Quam historiam prolixe narravit Norisius l. II: 28. Vid. quoque Usserius cap. XV. Quibus brevi sese adjunxerunt a. 520. Episcopi Africani, a

[redacted]

Trasamundo, Vandalorum rege, Ariano, expulsi, et in Sardinia exules: inter quos eminuit Fulgentius Ruspensis. Ad quos Monachi illi legationem, cum litteris et confessione fidei, direxerunt, et amplissimum retulerunt responsum, quo fides illorum adprobata, celebrata, et solidioribus rationibus firmata est. Exstat inter opera Fulgentii, et in act. conciliorum Harduini tom. II Hormisdas quoque Papa, licet ab ipsis, et nimio eorum zelo, alienior, damnavit tamen Fausti doctrinam, et Augustini adprobavit, ita tamen, ut mitius hac in causa egerit. Quam moderationem cum inprobarent zelotae Monachi, libros Fausti ad exules Sardiniae Africanos miserunt examinandos, a. 522., qui illos perlectos declararunt haereticos, a. 523. Ipse Fulgentius scripsit contra Faustum decem libros, quorum septem, qui perierunt, duos illos Fausti refutarunt, tres reliqui contra ejus adseclas directi sunt. Addiderunt Africani epistolam Synodicam, quam ad Monachos illos miserunt, in Bibl. Patrum inter Fulgentii opera obviam, quae etiam in *collectione maxima Conciliorum* Hispaniae tom. II. exstat. Quibus omnibus effectum est, ut CPolis ab eo tempore ab illis controversiis fuerit, quantum constat, liberata.

§. CCII. Sed dum haec in Oriente agebantur, Semi-pelagianismus quoque in Galliis fuit prostratus, opera Caesarii Arelatensis, qui juvenis Monachum egit in coenobio Lerinensi, dein Abbas constitutus in insula, quae adversus Arelaten adluitur Rhodano, tandem Eonio in sede Arelatense suffectus est a. 503, mortuus a. 543. Hic Caesarius, cum a Felice IV. Papa, cujus auxilium inploraverat, selectas Augustini sententias, de divina gratia et libero arbitrio, cum ingente encomio accepisset, recitavit ea omnia in conventu Arausicano, qui tunc forte in dedicatione Basilicae cogebatur; eo eventu, ut viginti quinque canones, a Romana sede missi, fuerint praelecti ac adprobati, quibus Semi-pelagianae hypotheses, hucusque libere defensae, pro haereticis declaratae sunt, adeo ut nemo in

posterum

posterum iis patrocinium praebere ausus sit. Addita quidem sunt alia, sed non a Felice, verum a patribus illis Arausicanis profecta. Synodum hanc a. 529. esse habitam, adfirmavit Norisius l. II: 23., qui etiam observavit, Synodum a Bonifacio Papa fuisse confirmatam. Ceterum integra Synodi acta etiam recensuit Usserius l. cit. Cum vero ne sic quidem sufficiente videretur pollere autoritate haec Synodus, quia in alio opere occupata, nec hunc in finem directe convocata, censeri poterat aliud quasi agendo damnasse Semi-pelagianos, Caesarius aliam indixit Valentinam; cui quidem ob valetudinem adfectam ipse adesse non potuit, sed ejus vices obiit, et zelum induit, Cyprianus, Episcopus Tolonensis. Confirmata licet in hac Synodo sit Semi-pelagianismi damnatio, deerat tamen adhuc, ad plenariam ejus destructionem, autoritas Papalis; quae itaque inplorata est et inpetrata a Bonifacio: qui ultimam inposuit manum. Reperitur etiam haec epistola Papae ad Caesarium Arelatensem in Act. concil. Harduini tom. II. Qua ratione lites, quae per integrum seculum Gallias in primis exercuerunt ab obitu Augustini, ita sunt terminatae, ut, Augustini sententia inter canones fidei relata, in utramque partem amplius non licuerit libere disputare; sicut hucusque factum fuerat. Quaestiones enim cum Semi-pelagianis ante non fuerunt pro capitalibus habitae, nec horum errores pro haereticis. Augustinus in libro de *perseverantia* eos passim adpellat *fratres nostros*, *dilectores nostros*, *qui nobiscum pro Catholica fide perniciem Pelagiani erroris inpugnant.* Prosper quoque in epist. ad Augustinum *sanctorum* titulo eos ornat, et fatetur, *se cum suis ad autoritatem talia sentientium non esse pares*, *quia multum nos et vitae meritis antecellunt:* vocat etiam eos *claros et egregios in omnium virtutum studio viros.* Postea quidem in lib. contra *Collatorem* ab hac Christiana moderatione multum descivit, eos adpellando calumniatores, lupos occultos, et hypocritas, nec tamen Catholicorum elogium iis denegavit, cum cap. 33. dicit, quis haec *prae-*

dicari a Catholicis inter Catholicos credat. Epistola quoque Synodica exulum in Sardinia, modo citata, cap. 24. *fratres* adpellat *aliter sentientes*, quibus charitatem vult exhibendam. *Oremus pro ipsis*, addunt, *ut dominus operetur in eis*; *exhibeamus ipsis bonam voluntatem* etc. Monachos etiam Lirinenses inpense laudat, et ubique celebrari declarat Caesarius Arelat. Serm. XXV. modo ejus sit autor. Quid? quod deinceps recentioribus seculis praecipui Semi-pelagianismi autores, ut Vincentius Lirinensis, Faustus, et Joh. Cassianus, fuerint ab Ecclesia Catholica inter sanctos relati, et honorati. Plura hanc in rem suppeditant Vossius l. VI. c. 18. et Norisius l. II. c. 5 et 11. Nec tamen e medio sublatae sunt opiniones Pelagianae, vel Semi-pelagianae, sed eas seculis sequentibus palam professi sunt nonnulli Doctores, ut sec. VII. in Hibernia et Anglia, teste Beda hist. Eccles. II: 19. et autore Vitae Kiliani apud Usser. hist. Gotschalk. c. I., et in Oriente ipse Maximus Abbas, Monothelitarum ille hostis acerrimus, ut ex collatione ejus cum Theodosio Caesareae in Bythinia, et cum Pyrrho, de quo postea, patet, dein sec. VIII. Johannes Damascenus; ut ex libris de fide Orthodoxa elucescit. De quo etiam postea.

VIGILANTIUS.

§. CCIII. *Vigilantius*, cui Ecclesiae a superstitione purgandae studium notam haeresios inussit, gente non fuit Hispanus, sed Gallus, ut recte demonstravit P. Marca in peculari diss. de *patria Vigilantii*, in ejus *opusculis posthumis*, et ex Gennadio script. Eccles. c. 35., ac Hieronymo contra Vigilantium, manifestum est. Dicit autem Hieronymus, patriam ejus fuisse *Convenarum* urbem, ad radices Pyrenaei, proprie *Calagorgin* vicum, urbi propinquum, unde *Calagurritanus* vocatur. Fuit autem primum Barcinonensis Ecclesiae in Hispania presbyter, sed postea in Galliarum aliquam Ecclesiam commigravit, ubi *sedens* docuit, et per Gal-

lias

lias haereſin ſparſit, teſte Hieronymo. Familiaris Paulini Nolani, et per eum ipſius Hieronymi, hujus odium ſibi concitavit, quod eum carperet, et Origeniſtam adpellaret; quem ab eo tempore acerrimum nactus eſt adverſarium, qui contra eum ſcripſit a. 405., ex quo libro Vigilantii opiniones unice ſunt repetendae; omnes ſuperſtitioni tunc invaleſcenti oppoſitae. Negavit martyrum interceſſiones, reliquias noluit coli, miracula ad eas fieri credita repudiavit, vigilias et pernoctationes in Baſilicis Martyrum, tanquam libidini patrocinantes, cenſuit auferendas, inter virginitatem, coelibatum, et conjugium, quoad ſanctitatem aut meritum, nihil diſtinxit, Clericorum conjugium probavit, et Monachorum ordinem, tanquam ſocietati hominum adverſum, inprobavit. Has ob opiniones miſere vapulavit Hieronymo, qui eum *dormitantium* adpellavit, et non ſine conviciis refutavit, in libro contra eum, et epiſt. ad Riparium. Sed habuit tamen Vigilantius plures Epiſcopos ſecum ſentientes, ipſum Epiſcopum, ad cujus dioeceſin pertinebat, ſibi faventem; uti ex Hieronymo l. cit. liquet. Fuerunt itaque iſtis in regionibus Galliarum Chriſtiani puriores et ſimpliciores, manſeruntque in poſterum, ut hiſtoria docebit.

DONATISTAE.

§. CCIV. *Primiano* in epicopatu Carthagin., a parte Donati, ut hiſtoriam Donatiſtarum, hucuſque perductam, perſequar, ſuffecto in locum Parmeniani, grave ſchiſma propterea inter Donatiſtas ortum eſt, adeo ut in Primianiſtas et Maximianiſtas fuerint diviſi. Inſurrexit enim contra Primianum Maximianus, a Primiano damnatus et exauctoratus, qui, duobus habitis conciliis, uno Carthagine, cui 43 interfuerunt epiſcopi, altero Cabarſuſi, a. 393., cui plures quam 100 adfuerunt, cujus epiſtola Synodica reperitur apud Auguſtinum conc. 2*da* ad Pſ. XXXVI., ubi corrupte *ca-*

vernas fusis legitur, uti a Benedictinis ibi jam est observatum, Primianum, qui comparere nolebat, deposuit, et in ejus locum successit. Augustin. de haeres. c. 69. Sed vices ipsi mox rependit Primianus, qui, Bagaiense in Numidia coacto concilio 310. episcoporum, Maximianum damnavit, tempore partes ejus deserendi statuto illis, qui eum ordinaverant. Exstat haec sententia in *nova collect. conciliorum* Baluzii. Effecerunt quoque Primianistae, ut leges contra Donatistas a Catholicis latae executioni in Maximianistas fuerint mandatae, quibus expulsi sunt. Ceterum, qui a Maximianistis venerunt ad Primianistas, sine novo baptismo recepti sunt. Quod Augustinus saepe notavit, qui contra Petilianum l. II. 23., de hac Maximianistarum persecutione agit, et telum in Donatistas non neglexit retorquere, quod ipsi idem in suos patrent, quod in Catholicis damnabant. Vid. contra Cresconium l. IV. Quem per omnia fere secula tenuerunt morem Zelotae, qui persecutionem passi in eam declamarunt, sed eam in alios dissentientes, si dominentur, instituerunt.

§. CCV. Habita sunt inter Catholicos et Donatistas aliqua colloquia, uti inter Augustinum et Fortunium apud Tibursеum a. 397., cujus acta recensuit Augustinus ep. 163., sed quod valde turbulentum fuit, ob multitudinis strepitum, et nihil effecit, praeterea celeberrima illa *Collatio* Carthaginensis, jussu Honorii, praeside Marcellino Tribuno et Notario a. 411., in thermis Gargileanis Carthagine. Cujus gesta supersunt, novissime quoque emendatius edita a Baluzio l. cit., quorum *breviculum* composuit Augustinus, in operibus ejus obvium; historiam vero ex recentioribus concinnavit Balduinus, quae in Optati Milevitani editione Paris. prostat. Membra, ut ejus historiam paucis perstringam, fuerunt a parte Donati 279., adnumeratis nonnullis absentibus, et repudiatis Maximianistis, qui non adfuerunt, ex Catholicis vero 286. Ex utraque parte septem sunt electi, qui secum disceptarent, quorum ex Catholicis praecipuus fuit

fuit Augustinus, ex Donatistis Primianus et Petilianus. Habita est Collatio a. 411., proximo post captam Romam a Gothis, ut Balduinus demonstravit, sed fuit valde turbulenta, et ad caedes venisset, nisi Marcellini autoritas inpedivisset. In principio, ut alia minoris momenti mittam, diu fuit disceptatum, quid in quaestionem mitteretur? num Caeciliani causa, fueritne *traditor*, nec ne? quae quaestio *facti* erat, an, sitne Ecclesia per communionem cum criminosis contaminata et falsa, nec ne? adeoque sitne Ecclesia penes Catholicos, an Donatistas? quae quaestio *juris* erat. Prius contenderunt Donatistae, posterius Catholici, qui quaestionem facti voluerunt ab ea juris separatam. Post longas et taediosas altercationes vicerunt Catholici, adeo ut, *facti* quaestione missa, de *jure* sit ventilatum. Sed in ea disputatione vix quicquam praeter cavillationes sese obfert, paucis locis exceptis, ubi arcem quaestionis utrinque invaserunt. Catholici, notam Ecclesiae esse diffusionem et *Catholicismum*, urserunt, sed inpugnarunt Donatistae, qui eam notam in *sanctitate* posuerunt. De his enim verae Ecclesiae notis unice fere fuit disputatum, ut et de necessitate *separationis* ab Ecclesia viciata, etc. Eventus collationis fuit Catholicis victoriosus, secundum quos pronunciatum est a Marcellino, Donatistis tantum domum redeundi potestate concessa, salvis edictis, quibus Ecclesiae ipsis ereptae sunt, quippe executioni mandandis. Post quam collationem licet multi fuerint ad Ecclesiam conversi, et pax aliquatenus sit restituta, teste Augustino de *gestis cum Emerito*, et ep. 50. ad Bonifacium, etiam Possidio in vita Augustini, Donatistae tamen non sunt ad silentium redacti: quin divulgarunt, Marcellinum fuisse judicem suspectum, et Catholicis faventiorem, praeterea sibi non licuisse omnia pro causa sua proferre. Qualia cum Emeritus in Mauritania Caesareense Donatista spargeret, ad novam collationem ab Augustino est provocatus; quae Caesareae est habita a. 418., cujus gesta in libro Augustini de *gestis cum Emerito* supersunt.

§. CCVI. Praeter libros ab Auguſtino, et aliis, contra Donatiſtas ſcriptos, et collationes, alia, longe efficaciora, ſed minus aequa, licet uſitata, ſunt ad eos reprimendos adhibita media, praeter Synodos ſcilicet leges Inperiales. Sic a. 393. in Synodo Hipponenſe ſtatutum eſt, ut ad Eccleſiam reverſi in Laicorum claſſem redigerentur, exceptis, qui non baptizaverint, aut cum *plebibus ſuis* redierint. Qui canones exſtant in *codice* canonum Eccleſiae Romanae Queſnelli. Praeterea a. 397. in concilio Carthagin. vetitae ſunt *rebaptizationes et reordinationes*. In alio ejus Urbis concilio a. 401. praeter alia ſancitum eſt, cum iis lenius eſſe agendum, in ſpecie Clericos, ad Eccleſiam ſe recipientes, Cleri dignitatem eſſe retenturos: cujus decreti ratio a paucitate Clericorum Catholicorum repetitur. Reliquis miſſis, ad Inperatorum decreta venio. Baptiſmi iteratio, non tantum ſub poena proſcriptionis bonorum, eſt lege Honorii a. 405. vetita, ſed et Clericis Donatiſtarum *multa auraria*, 10 librarum auri, eſt inpoſita, idque ad ipſius concilii Africani petitionem, in violentiis Donatiſtarum, verius Circumcellionum, fundatam. Deinde, cum, Stilicone mortuo, Gentiles et Haeretici denuo capita erigerent, praetendentes, leges Inperatore inſcio latas a Stilicone cum ejus morte evanuiſſe, leges a. 408. ab Honorio, a Patribus Africanis concitato, contra eos renovatae ſunt. Denique a. 410., legatis ad Honorium miſſis, qui de violentiis Donatiſtarum, aliorumque, querelas deferrent, et legis, paulo ante in favorem illorum latae, abrogationem, nec non collationem cum Donatiſtis peterent, utrumque inpetrarunt Africani praeſules. Collatio enim habita eſt a. 411., cujus hiſtoriam modo dedi, et ſeverius in eos inſurrexit Honorius, lege a. 412. publicata, qua ſeptem rationibus eorum pervicaciam, ut dicebatur, frangere tentavit. 1. metu mulctae, 2 conductoribus et procuratoribus in eos ſuſcitatis, ut eos detegant. Conductores adpellantur, qui locum in alienis praediis ſubminiſtrabant, ut Sacra in iis perage-

peragerent Donatistae, 3. uxoribus quoque mulcta inposita, 4. bonorum proscriptionibus post contumaciam. 5. servis ac colonis verberibus a Dominis eorum castigandis. 6. Clericorum exilio, et 7. Ecclesiis eorum et donariis traditis Catholicis. Quibus irritati Donatistae sunt, et vehementius saevierunt circumcelliones, maxime post mortem Marcellini comitis. De quibus facinoribus agit Augustinus ep. 158. ad Marcellinum, et inde severiores ortae fuerunt leges, a. 414. Denique ad eos quoque spectat lex Theodosii Junioris, qua haereticis conveniendi et orandi licentia in Romano solo adimitur, causa Nestorii lata.

§. CCVII. Meruisse severas has leges dicuntur Donatistae facinoribus suis, quibus sese, praeter alios, famosum praestitisse narratur Optatus, Thamagadensis Episcopus, a Gildone, cujus erat autoritate munitus, *Gildonianus* dictus, qui per decem annos, ab a. 388. ad 398. in Catholicos saevierat, Augustin. contra Petilianum l. II: 23. et alibi. Sed Marcellini Bagaïensis horrenda caedes occasionem severioris contra eos legis praebuit. Augustin. contra Cresconium l. III: 43. et ep. 50. ad Bonifacium. Alia, maxime circumcellionum, facinora praetereo. Ceterum Augustini sententia de his poenis, et legibus poenalibus, non semper fuit eadem: in initio omnia inprobavit media violenta, sed postea, cum Donatistarum furor cresceret, mulctas, bonorum proscriptiones, exilia, aliasque poenas, adprobavit, excepta morte. Vid. Epist. 48. ad *Vincentium*, 50. ad *Bonifacium*, Retractat. l. II: 5. *Onerosior*, inquit ep. 100. ad *Donatum*, *est*, *quam utilior*, *diligentia — — —cogi tantum homines*, *non doceri.* Haereticos non esse morte plectendos ex parabola de *zizaniis* derivat autor Quaest. XVII. in Matth. inter opera Augustini tom. III. Liberari nequit Augustinus ab horrenda haereticos persequendi doctrina, cujus principia clare posuit. Epist. 87. ad *Emeritum* agnoscit, omnibus non esse facinora illa inputanda, sed omnibus dicit inputari

 schismatis

schismatis crimen, quam etiam haeresin male perseverando fecerunt, et Magistratus punire debere sceleratos. Dein ep. 88. circumcellionibus acceptum refert, quod severius tractentur Donatistae, quorum scelera describit. Epist. vero 93. diserte tradit, *leniori severitate coërcendos esse omnes haereticos, et Donatistas;* in qua epist. ubique sparsit semina persecutionis, ut et ep. 173., ubi etiam illud tantopere postea decantatum, sed contortum, adhibet dictum, *compelle intrare.* Vid. et ep. 188. Sic, *quae est pejor mors animae*, inquit ep. 105., *quam libertas erroris?* Vid. et in Joh. tract. XI. circa fin. Donatistis *non fieri injuriam, cum persecutionem patiuntur, quia merentur*, disputat ad Ps. CXLV. Profecto, licet Donatistarum aliqui sese criminum reos praestiterint, illud non erat ipsis in genere inputandum, nec propterea vexati sunt, verum qua sectarii et haeretici, adeoque vera, et proprie dicta, persecutio fuit, quam approbavit Augustinus, non obstante, quod mortis poenam fuerit deprecatus Vid. etiam Barbeyracius Moral. Patr. c. 16.

§. CCVIII. Quibus mediis etsi repressi et inminuti fuerint Donatistae, postea tamen, cum Barbari Africam vastarunt, et omnia fuerunt confusa, nova fecerunt incrementa, adeo ut Justinianus Sec. VI. eorum licentiae frenum debuerit injicere: cujus edictum exstat apud Baron. ann. 535. Nec tamen eo multum est profectum. Quantum turbarum tempore Gregorii M. Papae datum sit, ex ejus epistolis constat: uti l. II. ep. 33. III: ep. 32. 35. V. ep. 63. Nec exstinctum est ibi schisma, nisi cum ipso Christianismo per Saracenos, ultores itaque hac parte quasi injuriarum, quas Christiani sibi invicem intulerunt, ac intestinarum divisionum, quibus veram Christianismi indolem obscurarunt, et depravarunt, et ad proprium excidium in se mutuo saevierunt, in utroque orbe.

PROPAGA-

PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. CCIX. Paganicae superstitionis destructionem per Romanum inperium eadem ratione, qua antea, promoverunt et compleverunt Inperatores, Arcadius, Honorius, et Theodosius Junior: quod strictim enarrabo. Celeberrimum illud, sed turpissimum ac obscoenum, spectaculum, Majuma dictum, in Syria, sublatum est a. 399. Festum erat, ab urbe navali Gazae Majuma adpellatum, ubi originem habuit; et conviviis, ludis, ac spectaculis celebrabatur, quo mulieres nudae cum omnibus infamis lasciviae signis ludebant in aquis. De quo Vid. Chrysostomus hom. VII. ad Matth., et peculiaris exstat Rivini erudita dissertatio in Syntagm. Graevii. Vid. et Gothofred. ad cod. Theodos. Duraverat maxime a Constantini M. tempore hoc festum hucusque, legibus modo vetitum, modo permissum, modo temperatum, ut omnis obscoenitas abesset; donec ope Chrysostomi res eo sit adducta, ut, lege ab Arcadio lata, illud penitus fuerit abolitum, a. 399. Ludos vero seculares, et gladiatorios, tantum abest, ut Honorius celebrari Romae permiserit, quod Baronius opinatus est, ut primus fuerit, qui eos, hucusque non prohibitos, e medio sustulerit. Vid. Pagi ad Baron. a. 404. et in dissert Hypatica. Narratur quidem in martyrologio Notkeri, in Antiq. Lect. Canisii t. II. p. III. illud occasione lapidationis alicujus Monachi a spectatoribus, quia ex Oriente veniens illos inpedire volebat, factum esse, sed nescio quam vere.

§. CCX. Quatuor post annis reliquias Gentilismi in Italia et Africa abolevit Honorius. Cujus rei etiam meminit autor libri de *promissionibus et praedictionibus*, inter opera Prosperi Aquitanici, p. III. *promiss.* 38., et nonnulla singularia de simulacrorum et idolorum prostitutione, a Christianis facta, refert. Annonas Templorum ad militares transtulit a. 408., simulacra evelli jussit, aras ubique destrui, Templa publicis addixit usibus, convivia et ludos

gentilitios prohibuit, ut lex 19. cod. de *Paganis* habet. Qua occasione tumultus Gentilium suscitatus est in Africa. Anno sequente 409. mathematicos gentiles, qui urbium et hominum fata praedicere solebant, expulit omnibus urbibus, Sozom. H. IX: 6. et Zosim. l. V. Deinde ann. 415., superioribus nonnullis legibus confirmatis, ludos gentilitios, in Africa nominatim, permisit quidem, sed simul jussit, ut sacerdotes Africae, mox post ludos, ad proprias redeant civitates, ne curiae, a quibus sacerdotes eligebantur, quid detrimenti caperent: ut lex 20 ejusdem cod. fert. Anno vero sequente, 416., gentiles, per legem Theodosii Jun., quae est ejusdem cod. cit. 20., omni militia, administratione, et judiciis, arcentur: quod hucusque non erat effectum. Renovatae quidem sunt a. 423. superiores leges, sed poena capitalis, sacrificantibus inposita, sicut antea non sacrificantibus a Gentilibus, quos imitati sunt Christiani, persecutionis suae obliti, commutata est cum exilio, et bonorum proscriptione: secundum legem 23. cod. cit. Additur interdictum de Judaeis et Paganis vexandis, *si se* quietos teneant: ut lex 24. cod. cit. habet. Attamen sacrificia rursus per Illyricum Orientale, sub poena capitis, vetita sunt, Templa, quae supererant, jussa destrui, et collocatione crucis expiari, ipsa poena capitali contravenientibus inposita; a. 426. Qua ratione Gentilismus quidem censebatur ultimo confectus ictu per Theodosium; nec tamen eo cum successu, ut gentiles superesse desierint. Mansit contra ingens adhuc eorum, vel Semi-paganorum, in Romano inperio copia, licet Romae parva. Vid. Hieronymus ep. 7. et Prudentius l. I. vers 579. et 609. In Africa vero innumerae gentes barbarae, tempore Augustini, fuerunt, quibus lux euangelii nondum adfulserat, teste Augustino epist. 80. 197. et 199., ne dicam multos professione fuisse Christianos, et animo idololatras, qui cum Christianismo copularunt idololatriam, ut ex Salviano de *Providentia* l. VIII. init. patet.

§. CCXI.

§. CCXI. Ex Judaeis aliqui hoc ſeculo leguntur ad Chriſtianiſmum converſi, uti ex Cretenſibus, poſtquam a Moſe quodam Cretenſe, qui ipſis viam per mare ad terram Canaaneam promiſerat, ſe miſere, cum aliquorum nece, qui aquis ſe commiſerant, et ſuffocati erant, deluſos ſenſiſſent. Socrat. H. VII: 38. Accidit ſub Theodoſio a. 432. Majoris momenti fuit Judaeorum converſio in Minorca, inſula Baleari, a. 418., quam fuſe enarravit Severus, ejus inſulae Epiſcopus, in epiſtola encyclica, quae ſupereſt apud Baronium in Annal., et in adpendice Oper. Auguſtini tom. VII. Sed quae ſuperſtitionis plena eſt, nec per omnia fide digna, et converſio per vim et metum maximam partem facta eſt: uti obſervavit Baſnagius hiſt. Jud. l. VI: 16. In Palaeſtina quoque, cum multae civitates terrae motu eſſent collapſae, tantus, ut fertur, gentiles et Judaeos corripuit terror, ut ad ſeptem millia fuerint baptizati; additur, in Judaeorum baptizatorum veſtibus adparuiſſe ſignum Chriſti. Vid. Auguſtinus ſerm. 19. ad Scripturam S. et Marcellinus Comes ad ann. 419. Sed ipſe Auguſtinus alibi, ut de civit. Dei l. XVII. c. 5. dicit, Judaeos rariſſime nunc ad Chriſtum converti. Nata quoque hoc ſeculo eſt, ſaltem ſub Honorio, nova ſecta *Coelicolarum*, medium aliquod inter Judaiſmum et Chriſtianiſmum tenens, quae verum Deum ſub dio coluit, unde eorum nomen ortum eſt, ut videtur, et baptiſmum cum circumciſione conjunxit. De quibus hominibus multae exſtant leges, ab Honorio latae. Vid. Gothofredus ad leg. 19. cod. Theodoſ. l. XVI. tit. 8. de *Judaeis*, *coelicolis*, *et Samaritanis*, nec non Scaliger in *elencho Trihaereſ* c. 31. Sed, ſimiles coelicolis, medium inter Judaeos et gentiles obſervantes, qui Deum ſummum colebant et aſtra, ſuo tempore in Phoenicia et Palaeſtina fuiſſe, tradit Cyrillus Alexandr. de *Spiritu et Littera* lib. III. p. 92. qui addit, eos ſe adpellare *religioſos*.

§. CCXII. Ex gentibus Barbaris, quae *euangelium* admiſiſſe feruntur, primo ſeſe offerunt Scoti, ſeu Hiberni,

quippe qui hoc seculo nomine Scotorum veniunt, ut ab Usserio Antiq. Brittann. c. XVI., aliisque, observatum est. Primus eorum Episcopus, a Celestino Papa missus, memoratur a Prospero in Chron., et contra Collatorem c. 41. *Palladius* a. 431., non tamen, acsi Christiana religio hoc demum tempore in Hibernia innotuerit, ipse enim, eum ad credentes esse ablegatum, tradit, et ante eum in Hibernis convertendis laborarunt Kinzenus, Alberus, Declanus et Iberus, ab initio seculi. Testantur quoque Chrysostomus, et Augustinus, Christum in illis jam fuisse notum. De quo legendus Usserius Antiq. Britann. c. 16. Sed Palladius primus fuit eorum aut Episcopus, aut Patriarcha, probe a Palladio, vitae Chrysostomi autore, distinguendus, ut idem ibid. jam notavit. Circa idem tempus in Hiberniam adpulit *Patricius*, gente Britannus, filius Calpurnii diaconi, pro Hibernorum Apostolo haberi solitus, nec inmerito. Ipse enim conversionem, antea, licet haud magno successu, inceptam, perfecit; et insulam fecit Christianam, regibus, principibus, et populis gregatim tinctis lavacro, ejusque opera plurimae sunt erectae Ecclesiae, et Episcopi constituti, litteris quoque et scientiis introductis, vitam produxit usque ad a. 493. secundum Bollandum ad ann. 490., in Actis Sanctorum Mens. Mart., qui de ipso praeter Usserium l. cit. c. 17. legendus est. Fabulam de pallio Archiepiscopali a Papa accepto, et ejus legato constituto, jam explosit Usserius. Opuscula Patricii edidit Waraeus, eques auratus. Ceterum Brigittam virginem legitur velasse, cujus vita, a Cogitato, incerti temporis autore, conscripta, et fabulis referta, reperitur in Antiq. Lection. Canisii vol. I.

§. CCXIII. *Burgundiones*, qui, a Burgundionibus cum Attila in Galliam irrumpentibus a. 452., vere Scythis, quos Ptolemaeus *Frugundiones* adpellavit, probe distinguendi, ex Germania ad Moenum, ubi sedes habebant, in Gallias irruerunt, cum Vandalis, Alanis, et aliis a. 406., et sedes ipsis concessas acceperunt a. 413. in prima Germania apud Mogun-

Moguntiam, ut ex Olympiodoro patet, hi, inquam, Burgundiones conversi sunt ante a. 417., teste Orosio l. VII. c. 19., qui historiam eo anno absolvit; cujus conversionis etiam meminit Socrates H. VII: 30. Sed Arianismo infecti sunt demum post tempora Clodovei M., Francorum regis, antea Catholici: Gunderichi enim, regis eorum, filii, excepto Chilperico, qui Lugduni inperavit, Gundobaldus, Godegesilus, et Godomarus Arianismum susceperunt a. 472. ut Gregor. Turon. H. l. III. c. 1. refert. Protulerunt vero hoc tempore pomoeria per vicina loca, et Galliae Sequanae tenuerunt magnam partem, circa a. 456. *Norici* quoque, et Vindelicorum, Apostolus, qui ibi euangelium adnunciavit, cui miracula et extraordinaria dona tribuuntur, fuit hoc seculo *Severinus* Abbas, cujus vita exstat apud Velserum oper. p. 637. ab Eugippo scripta, cujus hac de re epistola reperitur in Antiq. Lection. Canisii vol. I. De Morinis, in Nervici littoris tractu, per *Victricium*, Rhotomagensem Episcopum, conversis, testatur Paulinus Nolanus epist. 28. ad ipsum. *Ubi quondam deserta*, inquit, ut haec notabilia verba excerpam, *deserta sylvarum ac littorum, pariter intuta, advenae barbari, aut latrones incolae frequentabant, nunc venerabiles, et Angelici sanctorum chori, urbes, oppida, insulas, sylvas, Ecclesiis et Monasteriis, plebe numerosis, pace consona celebrant.*

§. CCXIV. Sed omnium illustrissima est conversio Francorum, sub Rege Clodoveo in fine seculi. Clodoveus in pugna cum Alemannis, Deorum ope frustra inplorata, ad Christum fertur se vertens dixisse, *Te nunc invoco, et Tibi credere desidero, tantum ut eruar ab adversariis meis*, et victoria impetrata Christianismum suscepisse. Sed principia jam jecerat uxor ejus Clotildis Christiana, Chilperici Burgundi filia, et spes totius Galliae, Christianis plenae, occupandae regem ambitiosum quoque compulisse videtur. Baptizatus est a Remigio, Episcopo Rhemensi, cujus vita exstat apud Flodoardum hist. Rhem. I: 10. multis mirabilibus celebris,

qui etiam de Clodoveo, ejus conversione, et baptismo, miraculis illustrato, agit. Fuerunt autem ejus ad Clodoveum voces memorabiles; *mitis depone colla Sicamber* (Franci Sicambrorum loca tenebant, et rex videtur origine fuisse Sicamber, vel Geldrus, Vid. praeter alios Browerus, doctus Jesuita, ad Fortunat., l VI. carm. 4.) *adora quod incendisti, et incende quod adorasti.* Baptizatus cum fuerit ipso *die natali* Domini, ut ex epist. 41. Aviti Viennensis ad Regem liquet, usus in natilitiis baptizandi perseveravit inter Francos, et cum primus Regum, qui tunc in Occidente erant, fuerit Christianus factus professione, hinc Reges Galliae titulum *Christianissimi, et Primogeniti Ecclesiae,* sibi adrogarunt. Baptismum cum rege admiserunt supra tria millia de exercitu, et regni conversio brevi secuta est. Anastasius vero Papa Regi mox per Litteras, in principio Pontificatus scriptas, a Dacherio editas, gratulatus est, unde illustrem hunc casum a. 496. contigisse quoque constat. Vid. de hac conversione Gregor. Turon. Hist. Franc. l. II. autor vitae Vedasti, Episcopi Atrebatensis, Anonymus de *gestis Regum Francorum*, Fredegarius in Miscellis, *vel hist. Francor. epitomata* cap. 21., qui etiam refert, Regem, audita lectione de passione Christi, *dixisse, si ego ibidem cum Francis meis fuissem, injuriam ejus vindicassem.* Quae vero, ut illud subjungam, de *ampulla Rhemense*, oleo plena, et columbae ore coelo demissa, unde sacro chrismate fuisset rex unctus, narrantur, fabulam sapiunt. Primus, qui ejus meminit, est Hincmarus, sec. IX., in vita Remigii, et Capitularibus Caroli Calvi, silente Gregorio Turon. hist. l. II. licet miraculorum et commentorum studiosissimo collectore, et *sacrum chrisma* simpliciter memorante, ut et Alcimo Avito ep. XLI. in epist. ad Regem. Gregorius tamen indicat *divino odore* totum Templum baptisterii fuisse *respersum.* Vid. Chiffletius de *ampulla Rhem.*, et Blondellus, in *apologetica praefat.* Genealogiae Francicae: licet defenderit, praeter Mabillonium Annal. Benedictin. l. III., nuper etiam Ver-

tot.

tot. in *hist. et memoriis Academiae Inscriptionum* etc. tom. IV.

PERSECUTIONES.

§. CCXV. Passa eas est Ecclesia Catholica, partim in Romano Inperio a Barbaris populis, partim extra illud a Persis. Priores sunt Vandali in Africa, Gothi in Gallia, et Saxones in Britannia. De quibus breviter absolvam. *Vandali*, sedibus suis, Dacia et Pannonia, exciti, posteaquam multiplices vastationes per Italiam, Gallias, et Hispaniam produxissent, tandem in Africam progressi, Duce, vel Rege, Geiserico, eam occuparunt totam, sede fixa Carthagine, a. 429., eamque per annos amplius centum tenuerunt, donec per Belisarium, strenuum illum Ducem Justiniani, fuerint superati, et Africa recepta. Erant quidem professione Christiani, sed Ariani, simul truces et barbari, qui, per Arianos, ut fertur, excitati, inmanem in modum, per tormenta, carceres, exilia, et caedes, saevierunt in Catholicos, fidei causa. Quam persecutionem, autor aequalis, Victor Vitensis, et ex Recentioribus Ruinartus, in dissertatione, Victori addita, fuse descripsit. Incepit a. 437. a Genserico, et usque ad finem Hunerici, a. 484., licet non aeque graviter, praecipue duravit. Hunericus in principio quidem mitius in re religionis egit, concessa quoque Carthaginensibus Episcopum eligendi potestate, quo per 24 annos caruerant, sed, brevi mutatus, saeviit per 5 annos in Manichaeos, et ipsos Arianos, praetextu, quod Manichaei partim erant, partim regno suo obstarent. Quando ab a. 483. in Orthodoxos omnem effudit furorem; in quos primum exiliis saeviit, Episcopis partim in Corsicam missis, partim per varias Africae provincias dispersis. Edictum hac de re exstat in actis conciliorum Harduini tom. II. p. 867., et eo nomine notabile, quod se in Catholicis persequendis dicat imitari ipsorum exemplum, ea ratione dissentientes

tractantium, dein variis cruciatibus, et inter eos linguarum exscissione: qua occasione nonnulli narrantur, linguis exsectis, perrexisse loqui: ut testantur testes oculati, inter quos, praeter Victorem Vit., sunt Aeneas Gazaeus in Theophrasto in fin., et Marcellinus Comes edit. Scaligeri, qualem testem se etiam vidisse adserit Gregorius M. dialog. l. III. c. 32. Procopius quoque de *bello Vandalico* t. I. c. 8. testatur, eorum nonnullos *sua aetate* superstites Byzantii *explanate esse locutos*. Duos, addit, rem cum meretricibus habere ausos, usum sermonis amisisse. Simile quid de excisa lingua, manente loquela, accidisse Romano in persecutione Diocletianea, tradit Chrysostomus, homil. de ipso, oper. tom. II. Sed ipse Rex, post septennii regnum, misere periit, *vermibus putrefactus*, teste Victore Vit. l. V. c. 20. Gundamundus vero, successor ejus, Christianos in initiis *excarnicavit atrocius*, ut Procopius, l. cit. inquit, sed dein maxime favit Catholicis, Ecclesiis restitutis, et exulibus revocatis. Verum, eo ann. 495. mortuo, Trasamundus, successor ejus, promovit rursus persecutionem: sed alia via, non corporum laniena, sed honoribus, magistratibus, effusaque largitione, sollicitando ad Arianismum; etiam delictorum veniam concedendo, in religionis mutatae praemium; ut tradit Procopius l. cit. Concludo verbis autoris *Chronici veteris*, ad calcem Victoris, ed. Ruinarti, *Hunericus Rex Vandalorum Arianus in Africa, exulatis, diffugatisque plusquam trecentis triginta quatuor Episcopis Catholicis, Ecclesias eorum clausit, plebem variis adfecit suppliciis, et quidam innumeris manus abscindens, linguas praescidit, nec tamen loquelam Catholicis eripere potuit*, additur mox, *Trasamundus, Vandalorum Rex catholicas Ecclesias clausit*, et 220 *Episcopos exilio Sardiniam misit.*

§. CCXVI. *Gothos* in Aquitania, prima et secunda, ipsis subjecta, operam dedisse, ut Ecclesiae Catholicorum intercidérent, eaque ratione fides Trinitatis Catholica sensim in obscurum iret, ex Sidonio Apollinar. l. VII. ep. 6. ad Basilium,

Basilium, Aquarum Sextiarum Episcopum, manifestum est. Sed sita tantum fuit vexatio in Episcoporum exilio, et novorum, in locum defunctorum, electione inhibita, *summis sacerdotibus*, ut verba Sidonii habent, *ipsorum morte truncatis*, h. e. novis non suffectis, unde Ecclesiarum oriri debuit vastitas, sicut orta est, desertis Parochiis rusticis, lapsis Ecclesiarum culminibus, earumque aditu vepribus obstructo. Qua ratione instituit Euricus, Gothorum Rex, a. 475., ut epistola citata docet. Gregorius Turonens. H. l. II. c. 25. quidem refert, Episcopos quoque fuisse occisos, et in vincula conjectos, sed ex male intellectis verbis Sidonii, *sua morte truncatis sacerdotibus*, ad quem autorem provocat. Ex quo colligi potest, Gregorio, dum aliorum verba tam male intelligit, fidem semper haberi non posse. Sed et Gothicam persecutionem in ipsa Gothia aliquam memorat cruentam Augustinus de *Civit. Dei* l. XVIII. c. 52., quae est Athanarici, regis Gothorum, cujus meminit Orosius hist. l. VII.

§. CCXVII. In *Britannia* Christianismus fere hoc seculo exstinctus est per invasiones Saxonum et Anglorum, ex Jutia, Saxonia, et Anglia. Qui, antea quidem frequenter in Britanniam irrumpere soliti fuerunt, ut docuit Usserius l. cit. p. 181., sed nunc a Britannis in auxilium contra Scotos et Pictos evocati, hostibus devictis, sibi regnum Britanniae vindicarunt, et, cum Gentiles essent, Christianismo simul bellum moverunt. Venerunt autem illi populi in eam insulam a. 449. Ducibus Hengisto et Horsa, Frisiis, sed ex Danica Frisia, non Hollandiae vicina, eamque a. 459. subjugare adgressi sunt. Quae historia aliunde petenda est. Vid. etiam Usserius l. cit. cap. XII., qui unde ex Germania venerint, et quibus in locis fixerint sedes, distinctius enarrat. Nostri tantum fori est, observare, quantopere religio Christiana illis in regionibus fuerit imminuta, imo fere exstirpata, et quam gravia passi sint Christiani, partim trucidati, partim dilapsi, ita ut parum Christianismi

aniſmi ſuperfuerit. De quo legendus eſt Gildas, ſeculi ſeq. autor, de *excidio Brittanniae*, et Beda in hiſt. *Anglo-Saxonum*, et ex recentioribus Uſſerius Antiq. Britann. l. cit. c. 12. Qui vero evaſerunt, partim ad montana Walliae ſe receperunt, ſeu Cambriae, partim in oppoſitam continentem, ſive Batavam, ſive Armoricam Galliae, poſtea Britanniam *minorem* dictam. In Wallia vero et Cornubia perſeveravit Chriſtianiſmus. Vid. Uſſer. c. XIV. fin.

§. CCXVIII. Praeterquam quod Alexandriae, ut illud obiter adtingam, Judaei per ſeditionem multos trucidarint Chriſtianos, Socrat. H. V: 13., qui etiam in Homeritarum regione, ab ipſis occupata, ſaevierunt in Chriſtianos, de quo vid. Aſſeman. Bibl. Orient. tom. I. p. 366. duplex ſaeviit perſecutio Perſica, una in Chriſtianos ſine diſcrimine, altera in Eutychianos, ſeu Catholicos, ſub eo nomine. *Prior* per 30 annos duravit, quam deſcripſit Theodoret. H. V: 39. et ex Orientalibus ſcriptoribus Aſſeman. l. cit. vol. IV. p. 62. Incepit, ſecundum Pagi ad Baron., a. 414. ſed Aſſemanni ex opinione a. 419. ſub Iſdigerde, et continuavit ſub Varane, ejus filio, et ſucceſſore, finita ſub Iſdigerde, II., anno ejus 4*to*, ſecundum Pagi, ſed 9., ſecundum Aſſemannum. Attamen continua non fuit perſecutio, ſed ſaepe interrupta, ſicut, eodem quo coepit anno eam fuiſſe ſedatam ſub Iſdigerde I., teſtantur Orientales. Sub Varane fuit omnium ſaeviſſima, quae etiam triennale produxit bellum inter Perſas et Chriſtianos Orientales, Socrat. H. VII: 18. Cauſam, vel occaſionem, praebuit importunus zelus *Abdae* alicujus, qui Pyreum πυρεῖον, Templum igni ſacrum, deſtruxerat. Quod facinus Rex primum leniter reprehendit, addito juſſu, ut illud reaedificaret. Quod cum recuſaret Abdas, Rex Iſdigerdes in Chriſtianos irritatus, eos, inſtituta perſecutione, ſaeviſſime tractavit, Magis quoque eum incitantibus. Qualem inprudentem, et abſurdum, Chriſtianorum zelum, quo Gentiles exacerbarunt, et eorum iram in ſe provocarunt, jam taxavit

Ambroſius

Ambrosius Offic. l. I. c. 41., ipse etiam Theophanes in Chronographia, et, facinus Abdae fuisse injustum, post Baelium in *Abda*, quoque probavit Barbeiracius *moral. des Peres.* cap. 17. Fuit vero atrocissima persecutio, quae ingentem produxit martyrum copiam, et per exquisitissimos cruciatus, sine horrore nequidem legendos, peracta est, sed et incredibilem Christianorum constantiam ac patientiam in lucem protraxit.

§. CCXIX. Qua persecutione defuncti Christiani in propria saevire coeperunt viscera, Regem in fidei socios incitando, zelo, adhuc magis damnando, opinionum suarum inflammati. Pheroze enim, qui Isdigerdi II. successit, regnante, Christiani, in duas divisi factiones in regno Persiae, Nestorianorum et Eutychianorum, omnem singuli dederunt factioni suae firmandae, et propagandae, operam. Nestorianorum princeps fuit Barsumas Nisibensis, Eutychianorum praecipui Barsumas Archimandrita, et Xenaia Persa. Cum vero Inperator Romanorum Zeno favere censeretur Eutychianis, et Nestorianos vexaret, Pherozes sese opposuit Eutychianis, et tutatus est Nestorianos. Unde exarsit in omnes persecutio, qui non erant Nestoriani, in ipsos etiam Catholicos, quos, Eutychianis esse adsociatos, traduxerunt Nestoriani. Jussit itaque Rex plurimos interfici, et ipse Barsumas, Nisibis Episcopus, hac potestate munitus, obvios quosque sibi adversantes fertur e medio sustulisse. Vid. Asseman. l. cit. p. 65.

SECULUM SEXTUM.

SCRIPTORES.

§. CCXX. GRaecos inter Scriptores, quorum jam hoc seculo insignis coepit penuria, primus occurrit *Procopius* Gazaeus, probe a Procopio Caesareense, de quo deinceps, distinguendus, qui Justino Imperante floruit, circa a. 520., a Gaza Phoeniciae, unde oriundus est, et ubi docuit, adpellatus Gazaeus. Fuit professione Sophista, sed eloquentia non magis, quam divinarum litterarum scientia, celebris: ut Choricius, discipulus ejus, et in schola successor, testatur in oratione funebri in ipsum, edita a Fabricio Bibl. Gr. vol. VIII. Quod commentarii ejus, in nonnullos Script. S. libros, qui supersunt, confirmant; uti in *Octateuchum*, seu heptateuchum, qui Latine exstant, *Jesaiam*, Gr. et Lat., ex editione Curterii, *scholia* in libros quatuor Regum, et duo Paralipomen., Graece et Latine, edente Meursio. Prodierunt praeterea aliquot ejus epistolae in collectione Gr. Aldina: sicut et aliquam ejus epistolam ad Hieronymum, non Stridonensem celeberrimum illum, quod IS. Vossius putavit, sed AEgyptium aliquem, edidit Fabricius l. cit. Licet vero, pro more seculi, aliorum presserit in commentariis vestigia, judicium proprium minus secutus, utilissimam tamen praestitit operam, et ubique consuli meretur.

§. CCXXI. Eodem floruit tempore *Johannes Maxentius*, etiam Scythopolitanus dictus, Monachus et Presbyter Antiochenus; qui, quaestione inter Monachos Scythas et Victorem

Victorem quendam Diaconum orta, num recte dicatur, *unus ex Trinitate pro nobis passus est*, quod Monachi adfirmabant, non tantum eos defendit, sed et cum aliis primum ad legatos Hormisdae, CPol. praesentes, dein ad ipsum Papam, tetendit, ad propositionis confirmationem impetrandam; votorum vero compos non factus, propositione etiam a Papa damnata, in ipsius Papae judicium insurrexit, et Monachos tutatus est: quare male audit Catholico-Romanis, sed defensus est a Forbesio Instruct. hist. Theolog. L. III. c. 21. De quo postea suo loco. Exstant ejus aliquot hanc in rem opuscula, nec non contra Nestorianos et Acephalos etc., sed Latine, in Bibl. Patrum. Celebris quoque studio in Schismaticos fuit *Ephraemius*, primum Comes Orientis, dein Episcopus Antiochenus, in locum Euphrasii, terribili terrae motu ibi exstincti, a. 526., ut narrat Theophanes. Edicto Justiniani de *tribus capitulis* cum initio restitisset, subscripsit invitus, et minis compulsus; et anno seq. obiit, a. 545. Scripsit tres libros pro Ecclesiasticis dogmatibus, et Synodo Chalcedonense, quorum prolixa tantum exstant excerpta apud Phot. Bibl. cod. 228, 229.

§. CCXXII. Memorandus etiam est *Jobius*, Monachus Orientalis, cujus librorum de *incarnatione Domini* longa quoque excerpta habet Photius ib. cod. 222. Ex quibus elucescit, doctores jam ad Scholasticas fuisse subtilitates prolapsos. Continentur utique in iis multa ejus naturae quaesita, ex. gr. quare Filius, et non Pater, aut Spiritus S. sit incarnatus? quare non Angelus? quare homo ita conditus, ut labi possit? quare Moses historiam creationis ab Angelis non sit orditus? quare pro Angelis non sit mortuus Christus? Celebris etiam medio seculo fuit *Cyrillus* Schythopolitanus, ab anno aetatis 16to jam Monachus, dein Monachis *laurae*, Hierosolymis vicinae, adsociatus, autor vitarum *Anachoretarum et Hesychiastarum* illustrium, ex. gr. Johannis Silentiarii, Gr. et Lat. in *actis Sanctorum*, Cyriaci anachore-

 tae,

tae, Gr. et Lat. in *Analectis* Graecis Benedictinorum, Euthymii Abbatis ibid., Sabae, Hierosolym. Abbatis, et confessoris, apud Cotelerium in Monum. tom. III. Vixit etiam circa idem fere tempus *Eustratius*, Presbyter CPol., cum Episcopus esset Eutychius, cujus meminit, autor libri de *vita functorum statu*, in quo demonstrare conatus est, animas post mortem operari, et eas esse spectra mortuorum, ipsisque prodesse preces, oblationes, et eleemosynas viventium. Primus edidit Leo Allatius ad calcem libri de *Purgatorio*.

§. CCXXIII. Seculum cum maxime illustrarunt duo Anastasii, alter Episcopus Antiochenus, alter Sinaita, a monte Sinai, ubi Monachum egit, adpellatus, qui a multis confusi sunt, sed ab aliis, ut Leone Allatio de *Simeonibus*, Blondello et Albertino de *eucharistia*, recte distincti. Prior *Anastasius*, Patriarcha Antiochenus factus ann. 559., Justiniano in Aphtardocetarum dogmate, de quo postea, urgendo animose restitit, postea a Justino Juniore, in cujus odium inciderat, a. 570. in exilium actus, post 23 annos, mortuo Gregorio, in ejus locum intruso, restitutus est a. 593., defunctus a. 598. Vid. de Ipso Evagrius H. l. IV: 40., qui ipsum a peritia Script. S., et virtutis studio, valde laudat. Alter vero *Anastasius* superiori fuit superstes, cum rerum post ejus mortem meminerit, et Hodegum scripserit post Eulogium, papam Alexandrinum, qui a. 608. obiit. Uterque Anastasius scriptis fuit celebris, sed quae saepe secum permiscentur, a Fabricio Bibl. gr. vol. IX. recte distincta. Antiocheni pauca tantum aetatem tulerunt, ut *quinque sermones* de quaestionibus ejus temporis, in adnunciationem Mariae, transfigurationem Christi, expositio fidei Orthodoxae, a *Beza* edita, et de tribus quadragesimis, apud Cotelerium monum. tom. III. Anastasii vero Sinaitae praecipua sunt opera 1. ὁδηγὸς *Hodegus*, seu *dux viae*, adversus Eutychianos, qui unam statuunt naturam in Christo. Publicavit quidem hunc librum Gr. et Lat. Gretserus, sed valde imperfecte, et vitiose; adeo ut nova indigeat, uti dignus

est,

est, editione usui nobis erit in posterum. 2. *Anagogicarum* contemplationum in Hexaemeron libri 12. lat. in Bibl. Patrum, ultimis etiam Graece cum notis Dacerii seorsim editis Londini. Excerpta ex reliquis hic illic obvia sunt, ut in Hexaplis Montfalconii, apud le Quin ad Joh. Damascenum tom. I., Grabe spicileg. Patrum tom. II. Est autem opus illud paradoxis et monstrosis allegoriis refertum, nec tamen inutile. Homiliae 3. ad Ps. VI. duae editae a Combefisio in *auctario novo*, et prior a Canisio in Antiq. Lect. vol. I. Aliis missis, 4. monuisse suffecerit, *quaestiones et responsiones* 154 de variis argumentis non esse ejus opus genuinum, vel saltem interpolatum, quod Gr. et Lat. edidit Gretserus. Prodit autem sese Semi-pelagianum, uti ex. gr. Quaest. 55. Est ceteroquin lectu dignus liber, qui varia habet praeclara.

§. CCXXIV. Silentio neutiquam involvendus est, qui circa a. 580. floruit, ut est probabile, *Johannes* Magnus, Asceta, inde Abbas montis Sinai, ab eruditione scholasticus, sed a titulo libri *Climacus* dictus, quo titulo est notior. Inscribitur iste liber *κλίμαξ Climax*, seu scala, etiam *πλάκες πνευματικαὶ tabulae* praeceptorum asceticorum *Spirituales*; et in 36 capita est divisus, totidem veluti virtutum gradus, quibus coelum conscenditur. Fuit hic liber Monachis per multa secula commendatissimus, et variorum scholiis illustratus, grandi etiam commentario Eliae Cretensis, sec. VIII., saepe typis inpressus, Graece et Lat., etiam a Radero Parisiis. Ceterum vita ascetica ingentibus ornatur elogiis, et qualis esse debeat, quibusve mediis acquiratur, et sese tueatur, luculenter describitur: multa etiam praeclara, ad veram devotionem pertinentia, proferuntur. Est itaque hac parte opus lectu dignum. Celebre etiam nomen nactus est *Johannes* Antiochenus, primum scholasticus, seu caussarum patronus, dein presbyter et apocrisiarius Antiochenus, denique Patriarcha CPol., in locum Eutychii deportati a. 564. per annos 12., mortuus a. 577. Ipse enim, novo in-

ſtituto, Synodorum canones, qui tunc exſtabant, ad eandem materiam ſpectantes, ſub uno poſuit titulo, eaque ratione omnes in 50 titulos digeſſit, primus quoque collectioni ſuae inſeruit canones 85, ſic dictos, Apoſtolicos. Quae collectio canonum proſtat in *Bibliotheca juris Canonici.* Patriarcha factus *nomocanonem* compoſuit, quo canones Eccleſiaſticos cum Principum legibus, in primis Juſtiniani *novellis*, contulit: qui liber ibid. exſtat. Plura dabit Maſtrichtius in *hiſtoria Juris Eccleſiaſt.* §. 163.

§. CCXXV. Celebrior eſt *Johannes* Cappadox, Patriarcha CPol., in locum Eutychii reſtituti et mortui a. 582., diverſus ab altero, ejuſdem nominis et muneris a. 517., cujus paucae exſtant epiſtolae, duae in actis Synodi CPol. ſub Menna a. 536., tres Latinae tantum ad Hormiſdam. Sed Johannes, de quo loquor, titulo *jejunatoris* notus eſt, et a Graecis, tanquam ſanctus, colitur, autor nonnullorum libellorum de poenitentia et diſciplina, apud Morinum ad calcem operis de *poenitentia.* Sed liber *poenitentialis* non eſt ejus, verum recentioris autoris, cum *tres quadrageſimas* apud Graecos memoret, quae non niſi poſt ſeculum hoc in uſu fuerunt, ut Oudinus de *ſcript. Eccleſ.* obſervavit. Hic vero eſt Johannes, qui celebre nactus eſt nomen per contentionem cum Papis, Pelagio II. et Gregorio M., de titulo epiſcopi *oecumenici*, quem ſibi vindicavit, licet non primus, antiquior enim ille Johannes, modo memoratus, eo jam fuit uſus, vid. Anſelm. Bandurius de Inperio *Orientali*: ſed Jejunator eum, contra Paparum voluntatem, confirmavit in Synodo CPol. a. 588. Quam ob cauſam odioſus factus eſt Latinis, et deſpectus, ſed apud Graecos, a voluptatum contemtu, jejuniis, aliiſque devotionis exercitiis, in magno honore. Vid. Theophylact. l. VII. c. 6., ubi etiam refert, Mauricium Inperatorem, tempore quadrageſimae, pretioſo et commodo lectulo ſuo relicto, Antiſtitis defuncti viliſſimo cubili ligneo totam noctem incubaſſe, ſe divinam gratiam inde percepturum ratus.

§. CCXXVI.

§. CCXXVI. Inter Historiae Ecclesiast. conditores, quos pro more subjungo, primum ordine temporis meretur locum *Theodorus* Byzantius, majoris Ecclesiae CPol. *Lector*, propterea Theodorus Lector adpellari solitus, qui circa a. 518. claruit, quousque historiam perduxit. Duplex condidit opus historicum; *unum* ex Socrate, Sozomeno et Theodoreto collectum, *historiae tripartiae* nomine propterea insignitum, duobus libris, nondum editis, sed a Valesio visis et collatis; *alterum* itidem tot libris, quod historiam Ecclesiae continet ab eo, quo superiores historici desierunt, tempore, usque ad suum, seu Justini senioris principatum: sed cujus excerpta a Nicephoro Callisto, serioris aetatis, conservata tantum sunt, quae cum notis suis edidit Valesius ad calcem hist. Eccles. Scriptorum. Integrum ut exstaret opus, foret optandum, cum multa comprehendit memorabilia. Floruit quoque circa finem seculi *Evagrius*, Syrus genere, ex urbe Syriae secundae Epiphania oriundus, ipso in operis titulo teste. Relictis Grammaticorum scholis, operam dedit Rhetoricae, et dein, advocatorum ordini adscriptus, causas egit Antiochiae, propterea dictus *Scholasticus* h. e. causidicus. Fuit utique Antiochiae diversatus, simul in magno honore, adeo ut, secundarum suarum nuptiarum occasione, tota civitas dicatur publicam egisse festivitatem. Scripsit quoque ibi historiam suam, in qua res Antiochenas studiosius enarravit, et aera Antiochena usus est. Egit quoque Gregorii Patriarchae urbis consiliarium, cui epistolis et relationibus conscribendis ad manus fuit. Denique, ob orationem de laudibus Mauritii Inperatoris, ab eo accepit codicillos praefecturae honorariae, quare se ἀπὸ ἐπάρχων adpellavit. Historiam vero Ecclesiasticam composuit sex libris, a tempore Synodi Ephesinae, a. 431., usque ad Mauricii annum 12*mum*, seu 594. Laudatur quidem in ipso adcuratio, et Orthodoxiae studium, sed in stylo luxuriatur, zelo Orthodoxiae flagrat nimio, et vix ferendam spirat superstitionem. Ex-

ſtat quoque inter ſcriptores hiſt. Eccleſ. Valeſii. Denique hiſtoriam Eccleſiaſt. conſcripſit *Zacharias*, Eutychianus, Melitinenſis Epiſcopus, uſque ad Juſtiniani 20*mum*; cujus excerpta exhibet Aſſeman. Bibl. Orient. tom. II. Memoravit ipſum ſaepe, ſed et refutavit, Evagrius.

§. CCXXVII. Conferendus cum hiſce eſt unus alterque Hiſtoricus civilis, paucis memorandus. *Procopius* Caeſarienſis, primum Rhetor Sophiſta CPol., dein Beliſario, celeberrimo Duci, adjunctus comes, ſimul conſiliarius, a Juſtino et Juſtiniano, tandem Senatorum et illuſtrium virorum ordini eſt adſcriptus. Bella, duce Beliſario geſta, quibus interfuit, cum Perſis, Vandalis, et Gothis, conſcripſit, octo hiſtoriarum libris, et dein ſex libros, dictos κτίσματα de *aedificiis*, vel exſtructis vel inſtauratis a Juſtiniano, denique ἀνέκδοτα *Anecdota*, ſeu librum nonum hiſtoriarum; quo in opere Juſtiniani et Theodorae uxoris ſceleſtiſſimos et inpudicos mores vivis depinxit coloribus: quod ejus opus praeclare vindicavit Alemannus, qui illud in lucem protraxit. Fueritne Procopius Chriſtianus, nec ne, vel Semi-Chriſtianus, diſputatur quidem, ſed, quin Chriſtianiſmum fuerit profeſſus, mihi dubio carere videtur ex libris de *aedificiis*. Tantum, quare atro fuit notatus carbone, de quaeſitis Theologicis tanquam politicus magis, quam orthodoxus Theologus, judicavit, uti l. I. c. 3. de *bello Gothico*, ubi Dei naturam, quam nemo plene percipere poteſt, adcuratius inquirere, adrogantiae et dementiae plenum eſſe dicit, illudque unum addit ſibi liquere, eſſe *illum ſummum bonum*, *ac ſua potentia res univerſas continere*, *quemque porro*, *ſive ſacerdos ſit*, *ſive privatus ſit*, *de divinis loqui pro ſenſu ſuo*. Praeterea perſecutiones, fidei cauſa, a Juſtiniano inſtitutas, condemnavit in hiſt. *arcana* cap. 11, 13. Ubi deſinit Procopius, quantivis pretii in hiſtoria hujus temporis hiſtoricus, incipit, in rebus Juſtiniani memoriae mandandis, *Agathias*, ortu Myrinenſis in Aeolide, et, ſtudiis juris civilis Alexandriae confectis, profeſſione ſcholaſticus, religione vero Chriſtianus,

tianus, et providentiae ac justitiae in judicando adsertor continuus, aeque ac Procopius justus et aequus erga circa religionem dissentientes, *commiseratione et venia potius quam odio esse dignos* dictitans lib. I. haud procul ab initio, *quotquot a vero aberrant, neque enim volentes errant et labuntur, sed boni ac recti studiosi, judicio autem decepti, conceptas semel opiniones mordicus tenent, cujuscunque generis fuerint.* Denique licet innumeris scateat fabulis, negligi tamen non debet *Johannes Malelas*, ut recte scribitur, Rhetor Antiochenus, ab alio Johanne, Antiòcheno, autore Chronici ab Adamo usque, cujus excerpta exhibet Valesius in *excerptis legationum*, licet similia fere tradat, recte distinguendus, qui *Chronicon* scripsit ab orbe condito ad obitum Justiniani; quod Oxonii prodiit, cum eruditis H. Hody prolegomenis, et singularis eruditionis plenissima Bentleji epistola ad J. Millium. Detrusit quidem Hody hunc autorem ad sec. IX*num*, sed meminit ejus J. Damascenus de *Imaginibus* L. III. Plura qui velit, adeat Cave hist. litt. p. II.

§. CCXXVIII. Postremo memorandus est topographus non spernendus, licet a fabulosis narrationibus non sit liber, *Cosmas*, Alexandrinus, qui, negotiationis et quaestus causa Aethiopiam, Indiam, aliasque regiones orientales, peragravit: unde *Indicopleustes* est adpellatus, postea monasticam vitam amplexus, scripsit τοπογραφίαν πάντος κόσμυ *descriptionem totius mundi* Christianam, unde *Cosmae* nomen forte tulit. Constat opus duodecim libris, a. 547. scriptum, imperante Justiniano, et luci est expositum a Montfalconio in *collectione nova*. Unde multa disci possunt de rebus Aethiopicis, AEgyptiacis, et Indicis, etiam de Christianismo in India. Veterum praeterea opinio de orbe terrarum, non sphaerico, sed plano, explicatius non modo hic traditur, sed etiam, quantum pote, demonstratur: cujus picturam dedit Fabricius in Bibl. Graeca vol. III. Alia, hinc petenda, suis locis traduntur.

§. CCXXIX. Inter Latinos, ad quos accedo, floruit in

ſeculi primordiis, *Caeſarius*, primum Monachus Lirinenſis, dein Arelatenſis Epiſcopus ab a. 502. Bis fuit in exilium miſſus, et reſtitutus, priore vice ab Alarico, Viſigothorum rege, tanquam criminis proditionis reus; ſed mox, innocens deprehenſus, revocatus; altera a Theodorico, Gothorum rege, eadem de cauſa, ſed et, innocentia in lucem protracta, liberatus. Interfuit variis conciliis, coenobium virginum condidit, et alia, ad vitam monaſticam pertinentia, inſtituit: defunctus eſt a. 542. Scripta ejus praecipua ſunt *homiliae*, bonae frugis plenae, et tractatus *monaſtici*, in adpendice Operum Auguſtini nov. edit, et alibi. Vitam ejus exhibet Mabillonius in *actis Benedictin.*, duobus libris deſcriptam, cujus prioris autor eſt Cyprianus, Tolonenſis Antiſtes, poſterioris Meſſianus Presbyter, et Stephanus Diaconus, ſcriptores aequales. Conferatur Idem in Annal. Benedictin. tom. I. et Oudinus Script. Eccleſ. tom. I., ubi notitiam quoque novae editionis operum ejus, quam molitus eſt, dedit.

§. CCXXX. Viris eruditis adnumerantur quoque duo Afri, Fulgentius, et Ferrandus, non praetereundi. *Fulgentius*, Ruſpenſis, gente Afer, primum procurator urbis patriae Leptes, dein Monachus, tandem Epiſcopus Ruſpenſis, in Byzacena Africae provincia, a. 504., et poſt 25 annos Epiſcopatus mortuus, a. 529. Cujus vitam deſcripſit diſcipulus ejus, ſive Ferrandus, ſive alius. Opera ejus edita ſunt Pariſiis, et inde in Bibl. Patrum: et praecipua ſunt, praeter homilias et epiſtolas, contra Arianos et Pelagianos. Libellus vero de *regula verae fidei* exſtat etiam in Adpend. oper. Auguſtini tom. VI. Habuit quoque partes ſuas, cum aliis Catholicis, in perſecutione Vandalica: cujus ſupra memini. *Ferrandus*, ejus diſcipulus, et Diaconus Carthagin., celebratus eſt a Victore Tununenſe in Chronico a. 547., et Facundo Hermianenſe l. IV. c. 3. Ipſe in epiſt. ad Anatolium, diaconum Romanum, et Severum ſcholaſticum CPol., defendit, recte dici, *unum e Trinitate eſſe paſſum*; nec non,

de

de tribus capitulis consultus, mortuorum condemnationem esse injustam in epist. ad Pelagium et Anatolium Diaconos Romanos. Vixit usque ad a. 548. Opera ejus edita sunt a Chiffletio, et inde in Bibl. Patrum. Inter quae utilissimus ejus liber est *paraeneticus* ad *Reginum Comitem*, quo ipsi septem praescribit regulas, a militari observandas. 1. Gratiae Dei adjutorium tibi necessarium per actus singulos crede. 2. Vita tua speculum sit, ubi milites tui videant, quid agere debeant. 3. non praeësse adpetas, sed prodesse 3. dilige rempublicam, ut te ipsum 5. Humanis divina praepone 6. Noli esse multum justus. 7. Memento, te esse Christianum. Quas regulas fusius deducit, et demonstrat. Exstat etiam ejus *breviatio canonum Ecclesiast.*, capitulis 232., quibus singulis concordantes canones et decreta subjicit: in quo differt a Dionysio Exiguo: qui canonum consequentiam texuit uno tenore, et numerorum serie continua. Sed scatet illa breviatio variis naevis; ut Quesnellus diss. XV. ad Leonem M. demonstravit.

§. CCXXXI. Nemo hoc saeculum magis illustravit Boëthio et Cassiodoro, ut in Italiam transeam, qui omnino innotescere debent. *Boëthius*, cujus vitam praeter alios egregie descripsit Clericus in Bibl. selecta t. XVI., ex illustri familia natus, et ipse fuit illustrissimus, vel nomine ejus teste: appellatur enim *Anicius Manlius Torquatus Severinus* Boëthius, vel Boëtius, ut in Mss. et inscriptionibus. Ex Patre Consule ortus, et ipse fuit Consul, duosque suos filios Symmachum et Boëthium vidit Consules a. 522. Fuit vero Vir integris et antiquis moribus, qui se populi et innocentium oppressionibus pro virili objecit, sed quo ipso in scelestorum incidit invidiam et odium. Delatus est ad Theodoricum, Italiae tunc Regem, tanquam Romanorum fautor, qui populum a Gothorum dominio tentabat liberare. In antiquo codice libri Boëthii de *consolatione Philosoph.* Lauretianae apud Florentiam Bibliothecae praemittitur litteris Saxonicis inter alia, Boëthium, *clam litteris ad Graecos mis-*

 sis,

sis, conatum fuisse, *Urbem et Senatum ex ejus* (Theodorici) *inpiis manibus eruere, et eorum subdere defensioni:* uti exstat apud Mabillon. Itin. Ital. p. 221. De quo quicquid sit, relegatus est propterea Ticinum, et arcto carceri mancipatus, in quo libros illos, qui reliquis palmam praeripiunt, de *consolatione Philosophiae*, praeter alios, ut de Trinitate etc., conscripsit. Haud diu vero post, jussu Theodorici, inter multos cruciatus fuste est occisus, ann. 424., ut refert Anonymus apud Valesium, ad calcem Ammiani Marcellini. Ridiculum est, quod ex fabuloso autore narrat Baronius, eum esse decollatum, et caput amputatum manibus aliquandiu tenuisse: quod recte quoque reprehendit Pagi. Praecipua ejus opera versantur circa logicam et metaphysicam, multosque libros Aristotelis in linguam vertit Latinam, ac commentariis illustravit. Jecit quoque fundamenta Theologiae Scholasticae, quae Philosophiae est et Theologiae mixtura. Scripsit praeterea de Trinitate, et duarum in Christo naturarum unione. Exstant ejus opera, Basileae inpressa, cum variorum commentariis: sed praestantissimi operis de *consolatione Philosophiae* sunt innumerae editiones, et variae translationes: quibus non inmoror.

§. CCXXXII. Illustrissimis aeque ac eruditione praeclaris adnumerandus est Marcus Aurelius *Cassiodorus*, *Senator* eximie dici solitus, quod proprium ejus erat nomen. Natus est Scyllacii, quae Bruttiorum fuit urbs primaria. Vir fuit praeclarus, qui in administratione Italiae sub Theodorico, et Athalarico, ac successoribus, Gothorum Regibus, maximam habuit partem. Imo sub Odoacro, Herulorum Rege, Italiae inperante, ad praeclara munera, adhuc adolescens, fuerat admotus. Quo a Theodorico victo, in hujus gratiam venit, in primis, quod Siculos rebelles, eloquentia et autoritate sua, ac armorum vi, ad ejus obedientiam traduxerit: quare primum Bruttiis et Lucanis praefectus est, mox post annum unum Quaestura donatus, dein Magister officiorum renunciatus, denique Praefectus Praetorio; quam digni-

dignitatem a. 501. gessit, quo Theodoricus Romam venit, sed postea, deposita Praefectura a. 538., seculo valedixit, et coenobium condidit Vivariense, haud procul Scyllacio, ubi lucem primum adspexit, in extrema Calabriae parte, in quo reliquum vitae tempus devotionis exercitiis, ac studiis exegit. Multum vero ad contemtum seculi, et vitam Monasticam amplectendam, contulit Regni Gothici ruina praevisa, et miser Italiae status, accessit aetas grandaeva, cum jam septuagenarius esset, et dignitatum satur. Fuisse autem Monachum Benedictinum, et eam secutum regulam, post alios disputat Garetius in dissert. vitae Cassiodori subjuncta. Ceterum duplex ibi condidit Monasterium, unum pro coenobitis Vivariense, alterum pro anachoretis Castelliense, in quo positis lauris habitabant in divisis cellulis. Vid. Mabillon. Ann. Benedict. l. V. Tempus mortis vix adcurate definiri potest; vulgo in ann. 575. differunt. Plura de ipsius vita et laboribus suppeditat Garetius Benedictinus, qui ejus opera in lucem dedit, sed novissime illustris Maffejus. Sunt vero opera ejus praecipua 1. Epistolarum variarum libri *duodecim*, in quibus regias epistolas et diplomata, novo et utilissimo instituto, collegit 2. Historia *tripartita*, ex Sozomeno, Socrate, et Theodoreto, sed ejus tantum jussu per Epiphanium Scholasticum in linguam Latinam conversis, collecta: quae minoris solet fieri, non tantum quod ipsi supersint historici, sed et versio minus sit exacta et fidelis. 3. Chronicon Consulare, ab orbe condito ad ann. 519., ex Eusebio, Prospero, Hieronymo et Victore confectum: sed valde negligenter, nisi vitia sint librariorum 4. Computus Paschalis 5. Commentarius ad Psalmos, ex Augustino, Hieronymo, Hilario et Ambrosio 6. Institutionum ad *divinas lectiones* libri duo, quibus exponit, qua ratione, et quo ordine, legendi sunt libri Sacri, nec non quinam in Script. S. cum laude sunt commentati. Ceterum inter opiniones ejus, de quibus postea suis locis, est, justos et injustos praemia et poenas ante judicium ultimum non

esse reportaturos. Vid. lib. de *anima* in fine, et ad *Psalmos.*

§. CCXXXIII. Adjungo ipsi *Dionysium Exiguum*, natione Scytham, quippe familiarem, et in dialectica addiscenda socium: quem in monasterium suum, ut in tradendis Philosophiae praeceptis adjuvaretur, adscivit. Beda quidem eum Abbatem Romanum fecit, unde Dionysius Abbas vulgo adpellatur, sed ejus non tantum non meminit Cassiodorus, ubi *divinarum lectionum* cap. 23. ejus fecit elogium, sed et de eo, tanquam viro privato, loquitur, eumque tantum *Romanum* moribus dicit. Celebris admodum est Dionysius *Cyclo* paschali confecto, et *canonum* Ecclesiast., ac Epistolarum decretalium Paparum, collectione; ne alia ejus opuscula memorem. In Cyclo paschali condendo duo praestitit, alterum, quod Cyclos paschales Alexandrinos transtulerit ad Latinos, alterum, quod periodo annorum 532., ab ipso non inventae, et antiquiori, sed adsumtae, aeram incarnationis Christi Antiochenam adjunxerit, rejectis annis aerae Diocletianeae, quacum cyclum suum conjungere solebant Alexandrini et Antiocheni. Aera vero Antiochena annum incarnationis auspicatur a die 25. Martii, anni Juliani 46*ti* et Mundi 5493. Quam secutus Dionysius, primum ejus annum statuit Juliani 46*tum*, ita ut secundus annus periodi Dionysianae, 532 annorum, fuerit primus incarnationis. Licet enim periodum suam ante annum Christi 532*dum* composuerit, ei tamen anno eam adligavit, quia Cyrilli cyclus, cui suam periodum annorum 532 substituit, annis 95 constans, anno Christi 531. erat absolutus. Cum itaque anno 532. incipiat periodus Dionysiana, oportet primus primi cycli annus, cyclo solis IX*no*, Lunae I*mo* praeditus, concurrat cum anno Juliano 45*to*. Primus enim annus periodi Dionysianae incidit in annum Christi 532*dum*, cum Lunae est I. et Solis IX. vid. Pagi ad a. 527. et de *Periodo Graeco-Romana*. Historiam cycli Dionysiani luculenter explicuit J. Janus, in opusculis

a Klotsio

a Klotsio editis, qui, hisce dudum scriptis, nuper demum ad manus pervenerunt. Cum vero antiqua Canonum Eccles. versio, et collectio Latina, quam e tenebris eruit Quesnellus, in adpend. ad Leonis M. opera, de qua vid. ejus dissert. XII., valde esset inperfecta et confusa, Dionysius concinnavit novam, Graecae collectioni magis consentaneam. Quem codicem Ecclesia Romana, teste Cassiodoro, l. cit., est amplexa, ut et haud diu post Gallicana. Vid., praeter Sirmondum praefat. ad *Concilia Gallic.* tom. IV. operum ejus, Quesnellus diss. XII. et XVI. ad Leonem. Hoc autem in codice, praeter canones antiquos Ecclesiae Universae, de quo ad sec. IV*tum* egi, qui a Nicaeno primo usque ad CPol. canonem tertium, canones enim reliqui CPol. hoc tempore non fuerunt ab Ecclesia Romana recepti, canones 165 continet, reperiuntur 50 canones Apostolici, 21 Sardicenses, 27 Chalcedonenses, et 138 codicis Africani, desunt vero Ephesini: in universum itaque canones 394. Sed ne huic collectioni quid deesset, Paparum Romanorum decreta, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, quoque collegit, initio facto a Siricio a. 385., usque ad Anastasium II. a. 498.

§. CCXXXIV. *Magnus Felix Ennodius*, Gallus, quem omisi, ex illustri familia ortus, primum Epiphanii, Ticinensis Episcopi, Diaconus, et individuus comes, dein et ipse Ticinensis Episcopus, celebrem sese cum maxime praestitit 1. panegyrico, quo Theodoricum publice laudavit a. 507. vel 508. 2. apologetico pro Symmacho Papa. et Synodo Romana, de quo postea, 3. legatione pro Hormisda in Orientem ad Anastasium, fidei orthodoxae, et pacis inter sedes Romanam et CPol. conciliandae, causa suscepta; licet frustra ceciderit. Obiit a. 521. Varia scripsit versu et prosa, quae emendatiora exstant in Operibus Sirmondi tom. I. Praeter panegyricum et apologeticum supersunt Epistolae, vita Epiphanii, Episcopi Ticinensis, et Antonii, Monachi Lirinensis, duae benedictiones cerei paschalis, dic-

tiones, ſeu declamationes, breves; aliae ſacrae, aliae Scholaſticae et Rhetoricae etc. Ceterum fuit Paparum Romanorum adulator, qui, ut poſtea patebit, ſedem illam vehementer extulit, et, quod notandum, primus eſt, qui *Papae* nomen ſolis Epiſcopis Romanis adtribuit; quod Sirmondus ad lib. IV. ep. I. non neglexit quoque obſervare. Sed, Ipſum ſeſe, in epiſt. ad Conſtantium, Pelagianum, vel Semi-pelagianum, prodere, contendit Manguin. in *vindiciis gratiae* tom. II. p. 623. contra Sirmondum: eſt autem epiſt. 19. lib. II., nec male, cum ea Semi-pelagianiſmum redoleat manifeſtiſſime.

§. CCXXXV. Nomen ſuum hoc ſeculo illuſtre reddidit *Facundus*, Afer, Hermianenſis in Africa epiſcopus, ut in Africam redeam, acerrima trium *capitulorum* defenſione, pro quibus certavit in Synodo CPol. ſub Menna a. 547., ſeſeque ab ipſo primum, dein ab ipſo Vigilio Papa, ob judicatum emiſſum, quo tria capitula damnavit, conſtanter ſeparavit. Denique pro eorum defenſione ſcripſit 12 libros ad Juſtinianum Inperatorem, et contra Mucium Scholaſticum, in quibus Vigilium acerbe admodum perſtrinxit. Edidit primum Sirmondus, dein Priorius, ad calcem Optati Milevitani. Subjuncta eſt epiſtola fidei Catholicae, quam ediderat Dacherius in ſpicilegio tom. III. Sunt autem utiliſſimi, et lectu digniſſimi, hi libri. Floruit etiam *Primaſius*, omnino noſcendus, gente itidem Afer, Epiſcopus Adrumetinus, in Provincia Byzacena, trium quoque capitulorum defenſor. Synodo Oecumenicae CPol. intereſſe recuſavit, Vigilii decreto pro tribus capitulis, Inperatori oblato, ſubſcripſit, ſtante Synodo. Exſtant ejus Commentarii, lectu digni, in Epiſtolas Pauli, ex Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, et aliis collecti, praeter myſticam Apocalypſios explicationem, minoris faciendam: ſed num ejus, an Uticenſis, ſit, cui in antiquis codicibus tribuitur, dubium eſt. *Junilius*, Epiſcopus Africanus, incertum cujus urbis, in *ſcripturis valde doctus, in ſecularibus diſciplinis ſufficienter, meo judicio, inſtructus,*

tus, verba sunt Trithemii de *scriptoribus Ecclesiasticis*, *sensu profundus*, *eloquio dulcis*, *et ornatus*, qui tempore Primasii, cui librum dedicavit, floruit, vel ideo memorandus est, quod utilissimum, et bonae frugis plenissimum, a paucis legi solitum, sed ab omnibus legendum, in Bibl. M. Patrum tom. X. obvium, conscripserit, *de partibus divinae legis*, quo de Scripturis Canonicis, earumque materia, historica, proverbiali, prophetica, et dogmatica, succincte, clare, et utiliter disserit. Inter plura notabilia, praeter suis locis recensita, haec sunt, ut aliquorum mentionem faciam. 1. *Naturalis est in nobis boni malique communis discretio*, lib. II. c. 12., *spontaneus autem motus in his*, *quae jam discreta*, *et sequenda sunt. Ipsum lex quidem erudit*, *gratia autem praeparat*, *adjuvat*, *corroborat*, *coronat.* 2. De typorum differentiis agens ib. c. 17. adnumerat typis sub gratia euangelica, *baptizatorum Indumenta*, *et sacerdotum vestes*, *et*, quod notandum, *corporis Dominici participationem*, *et singula alia.* 3. De praedictionibus sub lege de Christo disserens, ib. c. 22. sancti Spiritus infusionem recenset, *quam utique homo*, *ab eo susceptus*, *meruit* (scilicet tanquam dignus consecutus est) *sive in principio ipsius incarnationis*, *sive incremento*, *sive in baptismate*, *sive in miraculis*, *sive in doctrina*, *sive in resurrectione.* Quod parum a Nestorianismo abest. 4. Deinde de iis agens, quae servanda sunt in Scripturarum intelligentia, cap. 28. asserit, inter alia, *causam malorum in ipsis esse*, *qui mali sunt*, *qua*, *dum libero arbitrio*, *atque bene concesso*, *inordinate utuntur rationales creaturae*, *et malitiae et poenae causa sibimet existunt.* 5. Denique cap. 29. ad quaesitum, *unde libri Catholicae religionis adseruntur?* respondet, *ex multis*, *quorum primum est*, merentur enim omnia ejus verba hic legi, *ipsius scripturae veritas*, *deinde ordo rerum*, *consonantia praeceptorum*, *modus locutionis*, *sine ambitu*, *puritasque verborum. Additur conscribentium et praedicantium qualitas*, *quod divina homines*, *excelsa viles*, *infacundi sublimia*, *non sine divino repleti spiritu tradidissent. Tum praedicationis*

virtus, quae dum praedicaretur, licet a paucis despectis, obtinuit. Accedunt his testificatio contrariorum, Sibyllarum, vel Philosophorum, expulsio adversariorum, utilitas consequentium, exitus eorum, quae per acceptationes, et figuras, et praedictiones praedicta sunt. Ad postremum, miracula jugiter facta, donec scriptura ipsa susciperetur a Gentilibus. De qua hoc nunc ad proximum miraculum sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur. Ex quo colligi posse videtur, miraculis nunc opus non esse, nec amplius patrari.

§. CCXXXVI. Celebris etiam hoc tempore fuit poeta *Fortunatus*, Italus quidem, sed in Gallia Episcopus Pictaviensis; cujus vitam conscripsit Browerus, Jesuita, qui carmina, aliaque opuscula, ejus edidit cum notis; unde recusa sunt in Bibl. Patrum. Scripsit autem varias sanctorum vitas, ut et expositionem fidei in Symbolum Athanasianum, quam publicavit Muratorius in Anecdot. Latinis, tom. II., subjuncta dissertatione de illo Symbolo. Sed nulli secundus suo tempore habitus, secundum Gregorium Turonens., fuit *Martinus*, Pannonius, primum Dumiensis monasterii, ab ipso exstructi, in Gallicia Abbas, et Episcopus Dumiensis, dein Braccarensis, Suevorum gente ipsius ope sub Theodomiro conversa a. 560. celebris, mortuus a. 580. Sententias Aegyptiorum Patrum Latine vertit, et de differentiis quatuor virtutum scripsit ad Mironem, Suevorum Regem; praefationem edidit Dacherius in spicil. tom. III. Continet libellus egregias, et captu faciles, sententias; et in Bibl. P. tom. X. reperitur. Concinnavit quoque collectionem Canonum, ex codice potissimum Ecclesiae Orientalis, et nonnullis Synodis Occidentalibus, ac Hispanicis, post a. 569. cum jam esset Braccarensis Episcopus, in quo, quod notandum, canonum Apostolicorum nulla fit mentio. Quae ipsa collectio in Synodo Lucensi in Gallaecia est approbata, a. 572., et ab eo tempore viguit in Hispania, ubi antea Dionysiana in usu fuit. Colitur et ipse ibi, et in parte Lusitaniae, tanquam divus, festo in honorem

ejus

ejus dicato 13tio Kalend. Aprilis: ut tradit Mariana hist. Hisp. l. V. Scripsit quoque *breviculum canonum* circa idem tempus, a. 570., *Cresconius*, Episcopus Africanus, ad Episcopum Liberinum per titulos 300, ubi non tantum comparent canones Apostolici, sed et Epistolae decretales Pontificum, ab Ipso, quod observari meretur, omnium primo inter canones relatae, et sic quasi canonizatae. Collegerant quidem eas Dionysius Exiguus, sed speciali volumine, non inter canones, nec ut ejusdem sint autoritatis. Denique *Leander*, frater Isidori, de quo ad sec. sequens, primum Monachus, dein Episcopus Hispalensis a. 576., duas ob rationes memorandus est, *unam*, quod Gothorum ab Arianismo ad Catholicismum conversionis fundamenta posuerit, unde nomen *Apostoli* eorum accepit, et Synodo Toletana III. habita a. 589. eos ad communionem Ecclesiae admiserit, homilia mox habita, *de triumpho Ecclesiae ob conversionem Gothorum*, in tomis conciliorum, et apud Baronium: *alteram*, quod officii et missalis Mozarabici, de quo postea, habeatur autor, quod postea perfecit Isidorus Hispalensis. Edidit Ximenes Cardinalis, et exstat, sed non integre, in Bibl. Patrum. Sed minime spernenda est *regula* ejus, seu de *institutione virginum, et contentu mundi*, ad Florentinam sororem, in Bibl. M. P. vol. XII., eleganter scripta, et ad virginitatem recte tuendam, ac agendam, utilis, licet in virginitate extollenda modum vix teneat, et in nuptias injuriosus sit, et secundum opiniones tum receptas ratiocinetur magis, quam rei veritatem.

§. CCXXXVII. Historici, ut eos pro more subjungam, fuerunt praecipui sequentes. 1. *Marcellinus*, sub Justiniano *Comes*, unde Marcellinus Comes adpellari solet: cujus Chronicon, ab initio Theodosii, ubi desinit Hieronymus, ad quartum Justiniani Consulatum a. 534. perductum, exstat ad calcem Eusebii et Hieronymi, ex editione Scaligeri; sed adcuratius, una cum adpendice, ab alia manu, ad finem Justiniani, in oper. Sirmondi tom. II. Vid. de ipso Cassio-

dorus institut. c. 17. 2. *Jornandes*, vel, ut alii, Jordanes, ad quem exstant Honorii Scholastici, discipuli ejus, versiculi apud Mabillonium in *Analectis* tom. I., gente Gothus, primum notarius Regis Alanorum, dein, ad fidem Catholicam conversus, Episcopus Ravennae, scripsit a. 532., praeter librum de Regnorum et temporum successione, quo Florum compilavit, ingentis pretii librum de *rebus Gothicis*, seu historiam Gothorum, a Gentis origine usque ad Vitigin regem, a Belisario devictum: qui varie est editus, uti inter opera Cassiodori, in Thesauro Italiae, et antea a Vulcanio inter Gothicarum et Longobardicarum rerum scriptores, nec non in Grotiana Sylloge rerum Gothicarum 3. Prosperi Chronicon concinnavit *Victor Tununensis*, in Africa Episcopus, acerrimus trium capitulorum defensor, et propterea exilio, variisque molestiis, vexatus, sed autor superstitiosus, et perduxit ad initium Justini Junioris a. 566.: exstat ad calcem Eusebii etc. Scaligeri, et in Antiquis Lect. Canisii tom. I. Ubi Victor desinit incipit Chronicon, et continuavit ad a. 590.. 4. *Johannes Biclariensis*, Gothus Lusitanus, sed in fide Trinitatis orthodoxus, et propterea multum a Leuvigildo, rege Gothorum Ariano, passus, Barcinonem in exilium relegatus, ibi ad radices Pyrenaeorum erexit monasterium, *Biclaro*, seu vallis clarae, dictum; unde titulus Biclariensis ipsi adhaesit. Sed postea Gerundensis in Catalonia Hispaniae factus est. Exstat chronicon., ubi Vict. Tunun.

§. CCXXXVIII. 5. *Gregorius*, *Turonensis* Episcopus, celebris iste Francorum historicus, quem Valesius *historiae Francorum fundum* merito adpellat, unde rerum Francicarum prima notitia praecipue petenda est, sed valde superstitiosus et credulus, a. 573. Cujus exstant, praeter libros miraculorum, a sanctis patratorum, de vitis Patrum, seu quorundam religiosorum Galliae, fragmenta commentarii in Psalmos, quorum duo reperiuntur in Analectis Mabillonii etc. *Historiae Ecclesiasticae Francorum* libri X. Opera omnia sunt

novissime

noviſſime edita, cum adpendice Fredegarii ſcholaſtici, Chronici ſec. VIII., ejuſque continuatorum, a Ruinarto, 6. Inter Britannos floruit hoc ſeculo *Gildas*, Anglus, non Epiſcopus, ſed Monachus, de quo praeter alios legendus eſt Uſſerius in Antiq. Britann. c. XIV., qui prolixa dedit libri ejus excerpta. Scripſit circa a. 543. librum querulum, *de excidio et conqueſtu Britanniae*, ſtilo admodum horridum, et materia *querulum*, unde *queruli* nomen nactus eſt, et ipſi adfictus liber *querolus*, ſeu *aulularia*, Plauti nomen mentiens, in quo vitia Britannorum prolixe recenſet, et cujus poſterior pars *correptionem Eccleſiaſtici ordinis* continet. Eſtque hoc antiquiſſimum hiſtoriae Britannicae monumentum. Prodiit quoque noviſſime inter ſcriptores Britannicos Galei tom. I., et *caſtigatio in Eccleſiaſticum ordinem* proſtat quoque in *Lection. memorab.* Joh. Wolfii ann. 580. 7. Denique memorandus eſt, et reliquis ſubjungendus, *Liberatus*, in hiſtoria Neſtorianorum et Eutychianorum ingentis pretii. Fuit Archi-diaconus Carthaginenſis, et trium capitulorum patronus. Scripſit a. 553. *breviarium cauſae Neſtorianorum et Eutychianorum*, quo res annorum 135 ſuccincte narravit. Exſtat libellus in nonnullis Conciliorum collectionibus, ſed et ſeparatim editus a Garnerio. Tandem 8. verbo adtingendus eſt Pſeudo-*Abdias* (quod eſt idem ac Thaddei, unius e LXX, ut volunt, diſcipulis, nomen) qui *hiſtoriam Apoſtolorum* ſcripſit, maximam partem ex actis a Lucio inpoſtore ſec. II. confictis, ſed interpolatam. Scopus autoris fuit, ut ex ipſa hiſtoria facile pellucet, Apoſtolos eſſe martyrio adfectos, evincere, et Virginitatis laudes contexere. Infidus itaque eſt dux in hiſtoria Apoſtolorum concinnanda, et multarum fabularum autor.

DOCTRINA ET FIDES.

§. CCXXXIX. De *Canone* Scripturae nihil, quod hic obſervem, habeo, praeter haec duo. Quorum *unum* eſt,

libros, quos Protestantes adpellare solent apocryphos, a Gregorio M. l. XIX. moral. in Job. c. 13. haberi pro *non canonicis* quidem, attamen *ad aedificationem Ecclesiae editis*. Quam phrasin ad canonem Judaicum, non Christianum, respicere observarunt Benedictini in *praefat. generali* p. 11. Notari tamen meretur, Gregorium, ubi librum *Ecclesiast.* citat, solere autorem simpliciter adpellare *quendam sapientem*, uti in moral. libris, in cura pastorali, et aliis in libris. *Alterum* habet, epistolas Catholicas, praeter tres, priores Petri et Johannis, ac Jacobi, pro indubiis non agnosci apud Syros, teste Cosma Indicopl. in topograph. l. VII. p. 292., ubi etiam adserit, reliquas epistolas, praeter tres memoratas, *ne quidem apud eos haberi*. Praeter Script. S. Vet. et Nov. Test., tanquam normam Script. S. explicandae, et regulam fidei agnoverunt Synodorum Generalium decreta, ac Patrum interpretationes. Gregorius M. lib. I. epist. 24. haec notabilia protulit verba, *Sicut S. euangelii quatuor libros, sic quatuor concilia me et venerari fateor, Nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii, et Macedonii, error convincitur, Ephesinum etiam* I, *in quo Nestorii inpietas judicatur, Chalcedonense vero, in quo Eutychis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima adprobatione custodio: quia in his, veluti in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit.* Quibus mox addit concilium Oecumenicum Vtum. Sic et Ferrandus in epist. ad Pelagium, et Anatolium, Romanae Ecclesiae Diaconos, cap. 7., *universalia concilia, praecipue illa, quibus Romanae Ecclesiae consensus accessit, secundae autoritatis locum post canonicos libros tenent.* Sic et cap. IX. *sola sunt in Canonicis libris praecepta divina, et in Generalibus Synodis paterna decreta, non refutanda, nec respuenda, sed custodienda et amplectenda* etc. Anastasius Sinaita in Hodego cap. III. concludit his verbis. *Qui sanctos eos Doctores* (quos modo recensuerat) *non sequuntur, damnatos dicimus,*

a Christo-

a Christoque alienos. Agnoscit quoque Facundus Hermian. pro *tribus capitulis* l. V: 5. Synodorum summam autoritatem, quae omnes lites finire debeat. Quid? quod Justinianus novell. 131. dicere non fuit veritus, se earum generalium decreta *tanquam scripturas divinas recipere.* Addatur denique Vincentius Lirin. in *commonitorio*, ubi idem de *traditionibus et Patrum testimoniis* fere adfirmat. Unde etiam est, quod a Patrum interpretationibus vix unquam discesserint, et commentarii sint potius *catenae*, seu collectiones ex Patribus, quam proprii judicii explicationes.

§. CCXL. Specialia capita de Trinitate, incarnatione, gratia auxiliari, et similibus adnexis, cum ex damnatis haeresibus, et formulis inde natis, satis nota sint, nec hoc saeculo aliquid mutationis acciderit, iis inmorari non est necesse. Notanda tantum est confessio fidei, quae ab Episcopo, cum ordinabatur, fieri solebat, apud Gregorium M. in libro *Sacramentorum*, quae sola sufficit: addatur Fulgentius ad *Donatum de fide Orthodoxa*, et diversis haereticorum erroribus, nec non ad *Petrum Diaconum* de recta fide. De Justificationis tantum doctrina, quae ad causam remissionis peccatorum, et juris ad vitam aeternam, pertinet, quaedam dicenda sunt, cum ea per satisfactiones humanas, et merita bonorum operum, haud parum deinceps fuerit obscurata. Ignorarunt adhuc famosam inter culpam et poenam distinctionem, ut et satisfactiones pro poenis temporalibus, praeterea gratiae et meritis Christi acceptum retulerunt remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Quae ex multis Gregorii locis constant: ut moral. l. XVIII. c. 22. XXXIII: 20. et in Ps. VII. poenitentialem. Sed Moral. XX: 36. dicit, et deducit, mediatorem, cum potuisset nos non moriendo salvare, ut charitatem et misericordiam demonstraret, nostras subiisse infirmitates. Singularia sunt, quae de fine et effectis mortis Christi habet Gregentius, de quo suo loco, *in disputatione cum Judaeo*, huc praecipue tendentia, ut ad Diabolum vincendum, et homines a morte

liberandos, ac ad virtutem adducendam, mors Chriſti reſpexerit, nulla mentione ſatisfactionis pro peccatis Divinae juſtitiae vindicativae facta. Conf. etiam Fortunatus l. XI. in *expoſitione ſymboli Apoſtolici*, ubi crucifixionis dat rationem, quam per ſingulares adluſiones unice tradit: ex gr. *in cruce ſuſpenſus eſt, ut nos a damnatione ligni vetuſti diſſolveret, felle vero potatur, ut amaritudinem praevaricati pomi et nimis acidi amputaret, lancea percutitur, ut per plagam lateris aqua fluente, vel ſanguine, baptiſmum vel myſterium martyrii promulgaret.* etc. Denique ſola fide nos ſervari ſine operibus, vel operum meritis, adſerit Anaſtaſius Sinaita ad Pſ. VI. in Antiq. Lection Caniſii vol. I. Attamen anſam hac doctrina abutendi, vel eam tenebris involvendi, dederunt, cum per male ſanas phraſes et opiniones, tum per novum dogma de Purgatorio. Opiniones enim de externorum mediorum efficacia ſicut antea tenuerunt, et phraſibus uſi ſunt ſatisfactionis ac meritorum etc. Caſſiodorus, ut ejus teſtimonio abſolvam, ad Pſ. VI. ſeptem modis dicit ex doctrina majorum remitti peccata 1. per baptiſmum 2. per paſſionem Martyrii, 3. eleemoſynam 4. per peccatorum in nos ab aliis commiſſorum remiſſionem 5. per aliorum converſionem 6. per charitatis abundantiam, et 7. per poenitentiam. Quibus modis mox additur Euchariſtia. Recenſuit etiam varios modos expiandi peccata Joh. Caſſianus collat. XX. c. 8. Ipſe Ambroſius ſec. IV. jam dixit Epiſt. LXX. ad Horontianum, *alia peccata ſanguine Filii ablui a Deo, alia nobis donari, ut bonis operibus et confeſſionibus noſtros errores tegamus.* Vid. etiam de *Noa et arca* cap. 31. Similia ſaepe occurrunt apud Caeſarium Arelatenſem in *ſermonibus*. Imo *ſerm.* XVIII. Monachis dicit: *taliter vos exhibere debetis fratres, tam ſancte, et tam juſte, tam pie, ut merita veſtra non ſolum vobis ſufficere, ſed etiam peccantibus aliis in hoc ſeculo poſſint veniam inpetrare.* Qui etiam homil. XXXVIII. decem recenſet modos remiſſionis peccatorum, ſimiles illis, quorum

rum modo memini ex Caſſiodoro. Exſtant praeterea duo tractatus Laurentii, Novarienſis Epiſcopi, in initio ſeculi in Bibl. M. Patrum tom. XI. *de poenitentia et eleemoſyna*; quibus peccata, poſt baptiſmum commiſſa, ablui et remitti per lacrymas poenitentiae, et eleemoſynas, fuſe, et valde hyperbolice, diſſerit: ubi etiam dicit, peccatum originale a Chriſto eſſe expiatum, peccata vero propria *labore hominum et ſolicitudine exſtingui*.

§. CCXLI. De *Purgatorio* mox poſt mortem paulo fuſius eſt diſſerendum, re altius repetita. Invaluit jam antiquis temporibus, apud multos Eccleſiae doctores, opinio, ex Platonica derivata philoſophia, defunctos ad peccata purganda et expianda ſuppliciis eſſe adficiendos, ignis etiam purgatorii adhibito nomine: ſed illud ultimo judicio demum futurum eſſe, et per ignem conſummationis mundi; quippe per quem omnes ſervandi, nemine excepto, ſunt tranſituri, ſed alii citius, alii tardius, pro ſingulorum meritis. Vid. Clemens Alex. Strom. VI. p. 704. et ibi Potterus, Origenes contra Celſum l. IV. p. 168. et ibi Spencerus, nec non Huetius in Origen.: quod Origenes ad inpios quoſcunque et ſpiritus malos extendit. Baſilius M. ad Jeſ. IV. Gregor. Nazianz. Orat. XXXIX. in fin., ubi *ignis et ultimum* adpellat baptiſmum, nec non Orat. XL. p. 642. in carmine in patientia apud Murator. Anecdot. Gr., ubi Muratorius male intelligit purgatorium, poſtea apud Latinos introductum, Gregorius Nyſſen. Orat. de mortuis Oper. t. III. Ephraem Syrus tom. III. p. 249. Ambroſius ad Pſ. XXXVI. et CXVIII. Serm. III., ubi tamen diſtinguit inter ignem hunc purgantem, quo, ut dicit, *exuruntur peccata non voluntaria, ſed fortuita*, et alium ignem, quem *deputavit Jeſus Diabolo et angelis ejus*. Quem poſteriorem ignem alibi, ad exemplum Origenis, non corporalem intelligit, ſed ſpiritualem, in conſcientiae facibus et flagellis ſitum; uti ad Luc. lib. VII. §. 205. Cujus ſententiae plures alios fuiſſe tradit Hieronymus ad Epheſ. V., qui eam, ut et Auguſtin.

de Civ. Dei l. XXII. rejicit. Sed statim post mortem animas ea supplicia subire, adeoque ignem dari purgatorium ante tempus ultimi judicii, nemo ante Augustinum, quantum constat, statuit. Accedere tamen ad ignem purgatorium animarum videtur Prudentius in *hamartigen.* in fin., ubi martyribus et virginibus beatitatem mox adsignat post mortem, sed sibi sufficere dicit, *si poena levis clementer adurat.* Ad ignem ultimi judicii num illud commode referri potest, dubito, propter praecedentia, quibus dicit.

Esto: cavernoso, quia sic pro labe necesse est,
Corporeo tristis me sorbeat ignis Averno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, aestuque calor languente tepescat.

Augustinus vero primus est, qui opinionis de igne purgatorio animarum fundamenta jecit in Ecclesia Latina. In Graeca enim ea nunquam obtinuit, ut constat. Anastasius Sinaita, ut illum tantum hujus sec. citem ad Ps. VI. diserte contradixit, dum nullum esse poenitentae et remissioni locum post mortem disputat. Vid. etiam Quaestio XXII. inter Quaestiones, quae ejus nomen praeferunt, nec non Quaest. LVI.

§. CCXLII. Augustinus, ut de eo paulo distinctius agam, probabilem tantum censuit esse opinionem, nonnullas animas post mortem aliquos ad tempus subire cruciatus, non ex ira et justitia Dei ad expianda peccata inflictos, sed ex dolore bonorum hujus vitae amissorum ortos, adeoque eorum animas in hos cruciatus incidere, qui cum fide et bonis operibus nimium bonorum vitae studium copularunt. Quam hypothesin clare exposuit in lib. *de fide et operibus* cap. 16. et in *Enchiridio*, cap. 68. Vid. et de Civit. Dei l. XXI. c. 26. et Quaestion. ad Dulcitium Oper. t. VI. p. 93. Sed alibi generalius loquitur de poenis post mortem perferendis, salva salute in ultimo judicio conferenda. Lib.

XXI. c. 13. haec notabilia prostant ejus verba: *sed temporarias poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii et nunc et tunc, veruntamen ante judicium illud severissimum, novissimumque, patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas poenas, quae post illud judicium sunt futurae, qui post mortem sustinent temporales* etc. Qui locus, aliquos esse, qui post mortem puniuntur, et tamen ab aeternis ultimi judicii poenis liberantur, perspicue declarat. Vid. etiam Augustinus ad Ps. XXXVII. oper. t. IV. p. 221. Dallaeus de *poenis et satisfact.* l. VI. priorem locum de solis damnandis, et ante judicium, sed levius, et post illud puniendis, interpretatur; Pontificios quoque vel fraudis, vel incogitantiae inmanis, reos agit, quod voculam *his* ante *futuras* expunxerint; ipse autem ita legit: — — *non autem omnes veniunt in sempiternas poenas, quae post illud judicium his sunt futurae, qui post mortem sustinent temporales* etc. Secundum quam lectionem illi, qui poenas temporales sustinent post mortem, iidem sunt, quibus poenae etiam post judicium sunt futurae. Nollem haec eximio excidissent viro, qui ipse hallucinatus hic est, et magnam commisit inprudentiam. Praeterquam enim, quod vocula *his* nullo in MSS. compareat, testibus Benedictinis in not., oratio quoque minus cohaereat, addita hac vocula, sequentia verba, directe ipsi adversantur: sic enim mox subjungit Augustinus, *nam quibusdam, quod in isto non remittitur, remitti in futuro seculo*, h. e. *ne futuri saeculi aeterno supplicio puniantur, jam supra diximus.* Accedit, eum mox c. 24. idem fere dicere, his verbis: *sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post poenas, quas patiantur Spiritus mortuorum, inpertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur aeternum.* Addatur, Julianum Toletanum sec. VII. Prognost. l. II. c. 21. Augustini verba eodem modo, ut exhibui, citasse. Qui, quod observari meretur, subjungit, *purgatorias poenas nullas futuras*, ex opinione Augustini, *nisi ante illud ultimum tremendumque judicium;* seque prop-

terea, tanti Doctoris sententia confirmatum, fateri, *purgatorium hunc ignem ante ultimum judicium fieri, et ignem illum, in quo omnes impii, Christo judicante, mergendi sunt, antecedere.* Videtur quoque autor sermonis 104ti in adpendice operum Augustini tom. V., qui Caesarius esse censetur, et inter ejus epist. in Bibl. M. P. est VIII., *ignem purgatorium* admittere, sed ignem ultimi judicii intelligit, ut ex hoc ipso sermone, ubi eos, qui Deo fideliter servierunt, dicit, per illum ignem absque ulla violentia transituros esse, adpellatque, quod notandum, *ignem transitorium*; nec non ex Serm. 252. in *adpendice Augustini*, manifestum est, Vid. et Augustinus ipse de Civit. Dei l. XXI. c. 21.

§. CCXLIII. Fortius et clarius verum purgatorium adfirmavit Boëthius *consol. Philosop.* lib. IV. p. 100. *nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? et magnà quidem inquit*, scilicet Philosophia, *quorum alia poenarum acerbitate, alia purgatoria clementia, exerceri puto.* Denique stabilivit, et vulgatius illud dogma fecit sua autoritate, Gregorius M., qui illud cum in locis Script. S. Matt. XII. *nec in hoc nec in futuro seculo remittetur*, et 1. Cor. III. *servabitur tanquam per ignem*, fundavit, tum adparitionibus animarum, de purgatorio testantium, firmavit. Opinio autem ejus huc redit 1. propter levia peccata animas venire in purgatorium, cum gravia mereantur gehennam, ex. gr. propter adsiduum sermonem otiosum, risum inmoderatum, peccatum curae familiaris, errores ignorantiae etc. Plura similia recenset Caesarius l. cit. et Serm. XIII. notatu digna. 2. purgatorium esse varium, etiam variis in locis 3. prodesse animis in purgatorio eleemosynas, preces, in *primis* oblationem eucharistiae 4. sed ita, ut, dum in vita erant, bonis actibus promeruerint liberationem ex cruciatibus. Intra hos limites stetit purgatorium Gregorianum, ut ex ejus Dialogis, de quo opere suo loco dicam, manifestum est. Vid. l. IV. c. 39. et de adparitionibus animarum, ea-

rumque

rumque liberationibus per oblationes c. 40. et 55. In expositione autem 1. Reg. Oper. tom. III. p. II. p. 94. eos dicit, qui sub finem demum vitae convertuntur, vel mox ad statum beatae quietis transire, si tanta sit spiritus convertentis in animum eorum vis, ut omnem concupiscentiam deleat, et perfectum amorem Dei ingeneret, vel, si tam perfecta non sit conversio, *in purgatorium*. Ceterum, ut illud obiter addam, formula ordinationis Episcopi, in libro *sacramentorum* Gregorii, habet quidem: *accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missamque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis*, sed in tota liturgia Gregoriana nulla purgatorii fit mentio, tantum loci et status refrigerii, quietis, sinus Abrahae, et similium. Doctrina itaque illa oportet nondum publice fuerit recepta, et partem fecerit religionis. Nec ei favent verba Fortunati in *expositione orationis Dominicae*, lectu non indigna, quibus petitionem *dimitte nobis debita* concludit, quae haec sunt: *et merito remitti cuncta hic rogamus, ubi delicta committimus, quoniam in futuro sicut precari non licet, ita non vacat poenitere.* Memorat quidem ignem judicii, etiam proborum respectu l. IV. carm. 26. sed ultimi judicii intelligit, quo probi tantum probantur, inpii cremantur, his verbis.

Res est una quidem, duplici sed finditur actu.
Nam cremat indignos, quos probat igne pios.

Conf. quoque Eligius Noviomensis, sec. VII. scriptor, hom. VIII., vel quisquis autor est, in Bibl. M. P. tom. XII. et Julianus loco cit., qui dubium relinquit, num cum ultimo judicio cohaereat, nec ne.

CULTUS.

§. CCXLIV. Crevit hoc seculo devotio erga sanctos, eorumque corpora, et reliquias. Licet non defuerint, qui pre-

ces ad solum Deum dirigi inculcarunt, inter quos eminet Fulgentius variis in opusculis, nullo quoque canone preces ad sanctos sint commendatae, a Johanne quoque *Climace* in scala Paradisi omissae, ad Angelos etiam minus adprobatae a Cassiodoro ad Psalm., denique in Litaniis, et in publico Ecclesiae officio, sancti nusquam invocentur, ut ex libro sacramentorum Gregorii clarum est et certum: eorum tamen intercessiones et adjutoria saepe eo in libro memorantur, Deus quoque oratur, ut ad sanctorum intercessiones et merita adtendat, eorumque gratia preces nostras exaudiat, ac bona largiatur, simul de eorum meritis et intercessionibus summo cum elogio sermo fit, et preces eorum petuntur: sicut etiam in Liturgiis Jacobi, Chrysostomi, ac aliorum. De *Maria* in specie dicit Gregorius l. I. exposit. in 1 Reg. init. ubi eam *cum monte domus Dei in vertice montium* Jes. II. comparat, eam electae creaturae omnem altitudinem transcendere, ac meritorum verticem supra omnes Angelorum choros erigere etc. Nec minus in ejus laudem se effudit, et Ps. XLV. *audi filia* etc. ad eam adplicat Chrysippus aliquis, presbyter Hierosolymitanus, in Bibl. M. P. t. XI. De ea, ut mediatrice apud Deum, et potentissima ejus intercessione, magnifice locuti sunt. Unus sufficiat Fulgentius in sermone de *natali Domini*, vel quisquis ejus autor sit, inter Augustini sermones de Tempore, in adpendice Oper. ejus tom. V., qui est 123; reperitur etiam inter opera Fulgentii in Bibl. M. P. t. IX. et de *laudibus Mariae* inscribitur, ubi, inter multa alia elogia, Maria dicitur, *omnibus ad se confugientibus foeminis subvenire, et sic restaurare omne genus foeminarum, sicut omne genus virorum Adam novus recuperat, Dominus Jesus Christus.* Vid. etiam Fortunatus l. VIII. carm. 5. in laudem *Mariae Virginis, matris Domini.* Praeterea multa sunt a Justiniano exstructa Templa in honorem Mariae Deiparae, ut essent Urbis φυλακτήριον *phylacterium*, et urbes redderent inexpugnabiles. Procop. de *aedificiis* l. VI: 2, 7. Festa etiam in ejus honorem

rem celebrata sunt, de quo postea, et, quod novum fuit, antea ignotum, per Mariam, et Archangelos Gabrielem et Michaelem, jurare coeperunt. Cujus primum exemplum praebet jusjurandum fidelitatis, ab iis praestandum, qui Provincias suscipiebant administrandas, tempore Justiniani: cujus formula exstat *novell.* IX., secundam quam, praeter Deum Triunum, jurabant, *per sanctam gloriosam Dei genitricem et semper Virginem Mariam — — et per Archangelos Michaelem et Gabrielem.* In usu etiam, ut illud hac occasione obiter observem, jam fuit juramentum per *sanctum baptismum*; cujus mentio est sub finem Zenonis Inperatoris in Chronico Paschali in Basilisco, et tempore Justiniani apud Procopium Vandal. l. II. c. 26. Obtinuit dein etiam apud Latinos, a quibus dicitur, *jurare sacramento Catholicae fidei, sub testimonio fidei Christianae*, jurare per *Christianitatem*, quod idem est ac per *baptismum*, quo Christiani per confessionem fidei fiunt. Vid. Cangius in Glossario Lat. in voce *juramentum*, et *Christianitas*. Denique Narses, Magister militum Justiniani, valde ab Evagrio H. IV: 24. laudatur, tanquam debite colens et *Virginem* et *Deiparam*, quae etiam ipsi tempus pugnandi traditur indicasse; ita ut ante illud signum acceptum pugnam non inierit. Singulare etiam est, quod Graeci cum sociis Persis contra Varamum, usurpatorem regni Persarum, pugnaturi, pro symbolo iis dederint, *salutationem Dei matris ac virginis*, scilicet χαῖρε Μαρία. *ave* Maria, ut narrat Theophylactus Simocatta Hist. V: 10., qui addit, *admirabile quiddam contigisse*; quod *Mariae nomen Persis fuerit salutare.* De reliquis sanctis unum suffecerit Gregorii testimonium in homil. 32. in Euangelia de sanctis: ubi, eos tempore ultimi judicii *nostros patronos et defensores* ut faciamus, hortatur. *Adsunt*, dicit, *defensores nostri sancti martyres, rogari volunt* etc., *hos ergo adjutores vestris orationibus quaerite*; *hos protectores vestri reatus invenite.* Ennodius, Ticinensis Episcopus, *vitam Epiphanii*, Episcopi Ticinensis, his verbis absolvit: *Tu mihi, anima! apud Redemtorem nostrum*

praepotens, tribue, ut cura vacuus, et pectore liber, mundo tibi, ficut debentur, praeconia mundus exfolvam. De cetero habentem in Te, post Deum, fiduciam non relinquas, et; quem religionis titulis infigniisti, religiosiorum in divinam repromissionem redde participem. Praeterea *in opufculo* V. *Eucharistico de vita fua:* inter alia dicit: *continuo me ad Beati Victoris martyris praefidia tranfvexi, et opem fortissimi precatus, Deo per ipfum cum lacrymis alleganda commisi.* Quibus memoratis, fubjungit, *haec et alia plura, ficut praefatus fum, per teftem probatissimum, beatum Victorem, intimanda fuggessi: nec requies nec mora procuranda lentavit, petitionem meam fufcepit, replicavit, obtinuit.* Addantur festa et Templa in eorum honorem. Vid. etiam Fortunatus variis in carminibus, et in vita Martini. Cujus precatio ad Martinum vix modum tenet lib. IV. verfus finem: ubi, inter alia multa, dicit.

Intercede, precor veniam, vir adepte coronam
Eripe paftor ovem ne clauda vel extera reftat,
Porrige celfe manum, rege gressum, dirige fenfum
Inter et ipfe Deum atque reum mediator adefto etc.

§. CCXLV. Corpora fanctorum, eorumque reliquias, ad infaniam ufque honorarunt, tanquam praefidia falutis, et caufas fanationum ac miraculorum. In quibus recenfendis copiofus eft Gregorius M. in libris Dialogorum. Nec a voce *adorationis* abftinuerunt. Sic Aphrodifii, infignis Monachi, legitur celebris ille Sabas, in *vita ejus* §. XLIV. corpus fepelivisse, adeo ut fequentibus temporibus cognofceretur, atque *adoraretur ea in theca a Patribus, qui eo advenirent.* Ipfe autor ibid. LXXVII. refert, fe in loculum Sabae defuncti defcendisse, ut *divini fenis corpus adoraret.* Sed vox ea latiorem admittit fenfum, et profundam venerationem denotat: uti ibid. in vita Sabae §. LI. Sabas dicit Inperatori Anaftafio, fe ad eum venisse, ut *pietatis veftrae veftigia adorem*, fic et §. LXXVI. Sabas legitur facra loca Hierofo-

Hierosolymis *adorasse*. Inter sanctorum reliquias retulerunt pulverem e sanctorum tumulis collectum, pannos eis impositos, flores a fidelibus ibi sparsos, olea lampadum ibi ardentium, ipsas aquas ex vicinis puteis haustas, et similia. Vid. praeter alios etiam Gregor. Turon. variis in locis. Stupendum viguit conquirendarum et adservandarum reliquiarum studium, summa cum devotione. Vid. Idem ibid., et epist. 30. lib. III. ad Constantinam Augustam, ubi inter alia declarat, corpora et reliquias vix sine manifesto judicio et laesione tangi posse, *tam* sunt sacra et veneranda, inquit, adeo ut aliquid de iis transmittere non possit, promittens tantum, de catenis Pauli, multis miraculis claris, quid missurum esse. Vid. et l. I. ep. 30. II: ep. 33. V: ep. 51. et homil. 52. in Euangelia, ubi inter alia dicit, *ad exstincta eorum corpora viventes aegri veniunt, et sanantur, perjuri veniunt, et a Daemonio vexantur; daemoniaci veniunt, et liberantur.* Sic et Childeberto, Regi Francorum, dicit ep. 6. lib. V. *se mittere claves Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, quae, collo ejus suspensae, a malis omnibus tueantur.* Unde, ut ex l. II. ep. 3. patet, cruces fuisse, cum reliquiis, collo suspensas. Delata est jussu Gregorii Romam *tunica* Johannis Evangelistae, ut tradit l. II. ep. 3. ad Johannem Abbatem, quae multis miraculis, ut ferebatur, erat celebris, Joh. Diaconus vit. Gregorii l. III. c. 54. Inventa etiam narratur *tunica* Christi, a militibus integra relicta, et sortita, recondita in urbe Joppe, unde Hierosolymam est delata, Fredegar. in Chron. c. 11. Addatur Fortunatus l. VI. carminum, Gennadius Massiliensis de Ecclesiast. dogmat. c. 73. et Evagrius H. IV: 28. ubi miraculum memorat per reliquias Sergii factum. Inceperunt etiam in decidendis quaestionibus fidei ad sancti alicujus mortui provocare judicium. Sic Avitus Viennensis in collatione cum Arianis, coram rege Burgundionum Gundobaldo, cujus memini in vita Aviti, in haec verba concludit, *si rationes nostrae illos non possunt convincere, non dubito, quin*

 Deus

Deus fidem noftram miraculo confirmet — — *eamus tam illi, quam nos, ad fepulchrum hominis jufti, et interrogemus illum de fide noftra, fimiliter et Bonifacius* (Arianorum Orator) *de fua, et Dominus pronunciabit per os fervi fui,. in quibus complaceat.* Sed renuerunt Ariani, fibi fufficere *fcripturam*, praeftigiis omnibus potentiorem, fapienter regerentes. Simile quid jam factum effe fec. V. narratur, ut apud Zonaram l. XIII. circa finem. Anatolio, Patriarcha CPol., proponente ad controverfiae cum Eutychianis decifionem miraculofam, et adverfariis confentientibus, utriufque partis confeffio in loculo Martyris Euphemiae, ut fertur, fuit collocata, et pectori ejus inpofita, triduo vero poft, praefente etiam Inperatore, aperto loculo, antea bene fignato, libellus haereticorum ad pedes martyris eft inventus, Catholicorum in manu ejus dextra, quam extendiffe fertur ad Inperatorem et Patriarcham, ac libellum illis porrexiffe. Additur, Catholicos fuiffe laetatos, haereticos confufos, et quofdam converfos.

§. CCXLVI. Ingens in fpecie fuit *Crucis* veneratio, *quae* et nomen προσκυνήσεως *adorationis*, et externos corporis geftus, ei congruos, jam praetulit. Narrat Evagrius H. IV: 26. vivificum crucis lignum Apameae fuiffe a Toma in publicum productum et circumlatum, illudque effe adoratum: cujus etiam meminit Procopius B. Perf. II: 11. Pfeudo-Abdias in hift. Apoftolorum l. X. in vita Philippi. Cyrillus vero Scytopolitanus in vita Euthimii Abbatis apud Cotelerium in monum. Gr. t. II. p. 311. fruftum ligni crucis narrat fuiffe a Caefario Antiocheno *adoratum* p. 388. Galilaeus apud Mofchum in *prato fpirituali* ibid. dixit, *duc me Hierofolymam, ut adorem fanctam crucem:* fed cum mox addatur, ut et p. 367. *et fanctam Chrifti refurrectionem* h. e. templum refurrectionis, externam tantum intelligi, per geftus religiofae adorationis, manifeftum eft: adeo ut adoratio illa tantum fit veneratio exterior, qualis etiam locis religiofis dabatur. Fortunati inter fragmenta, in carmine

ad

ad Justinum et Sophiam, habetur. *Hanc Crucem prostrata loco supplex Radegundis adorat.* Quod et a se esse factum tradit Gregor. Turon. *de gloria Martyrum* cap. 5. l. I. Rusticus Diaconus in *dialogo* contra Acephalos in Bibl. Patrum, *clavos* inquit, *quibus crucifixus est Christus, et lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia, absque ulla contradictione, adorat*: sed addit, *adoramus omnes crucem, et per ipsam illum cujus est crux*; argumento, crucem, qua talem, non fuisse adoratam, sed, per corporis ante eam prostrationem, Dominum ipsum: sicut Hieronymus in Epitaphio Paulae tradit, *eam prostratam ante crucem, quasi Dominum pendentem cerneret, adorasse.* Denique, quoad signum crucis transitorium, testatur Gregorius Moral. l. XXXI. c. 4. rhinocerotem, signo crucis fronti ejus inpresso, furorem deposuisse, illudque a se saepe fuisse visum: cujus simile exemplum in equo refert, Dialog. l. I: 10. Nilus Monachus sec. V. l. II. ep. 304. dicit Eustochio; *si saepe signo Dominicae crucis frontem tuam et cor signaveris, aufugient a te timore perciti daemones; valde enim horrent hoc beatum signaculum.* Vid. etiam lib. III. ep. 278. Quid? quod Turcas aliquos, in praelio cum Varamo, Persarum Inperii raptore, a Mauricii Duce captos, et ad Inperatorem ductos, crucis signum frontibus inscriptum habuisse, et de ratione interrogatos, respondisse, se, quo tempore dira lues Scythas Orientales corripuisset, suasu Christianorum a matribus illud accepisse et ita salvatos esse, referat Theophylactus Simocatta Hist. V: 10. De crucis signi efficacia miraculosa ubique testantur Gregor. Turonens. et Fortunatus.

§. CCXLVII. *Imagines*, de quibus dicendum restat, non tantum frequentes jam fuerunt, in ipsis quoque Ecclesiis, seu aedibus sacris, sed et in magno honore, ita ut eas e medio tollere pro scandalo fuerit habitum, et vetitum. Imagines Patriarcharum, aliorumque Clericorum, ex more jam collocatae fuerunt in Ecclesiis, ut ex Theod. Lect. H. II: 29. et aliunde liquet. Vid. ibi Valesius. *Per*

credulitatem integram tanto Chriſti amore diligitur, verba ſunt Gregor. Turon. de *gloria Martyrum* l. I. 22. *ut cujus legem in tabulis cordis credentes populi retinent, ejus etiam imaginem ad commemorationem virtutis in tabulis viſibilibus pictam per Eccleſias ac domos adfigant.* Memorat quoque ſanctas imagines, earumque *oſculationem* in Eccleſiis, Anaſtaſius Sin. orat. I. de S. Synaxi in Antiq. Lect. Caniſii t. I. Utitur verbo ἀσπάζεσθαι, quod non ſimpliciter *ſalutare*, ut putat Baſnagius, denotat, ſed *oſculari*, ſicut apud Eccleſiaſticos uſurpatur ſcriptores; et mox apud ipſum Anaſtaſium p. 473. et 474. Sed huc maxime facit hiſtoria Severi Maſſilienſis, qui imagines fregerat, et Eccleſiis ejecerat, unde turbae fuerunt exortae. Vid. Gregorius M. duabus in epiſtolis ad Serenum ſcriptis, una l. VII. ep. 111., altera l. IX. ep. 9. Ex quibus praeterea eluceſcit, plures de plebe jam fuiſſe ad adorandas imagines provectos. Gregorius vero laudat Serenum, quod ſeſe adorationi imaginum oppoſuerit, ſed inprobat nimium ejus ſtudium contra imagines: ipſe autem cenſet, nullo quidem modo eas eſſe adorandas, attamen retinendas ad inſtructionem plebis, nec hoc tantum, ſed proſtrationem quoque ante imagines, modo Deus adoretur, non videtur inprobaſſe Gregorius, ſicut ante crucem et reliquias. Utique Gregorius M. l. VII. ep. 52. ad *Secundinum*, ſervum Dei incluſum, poſteaquam dixiſſet, ſe imagines, quas petierat, miſiſſe, exponit quo oculo reſpiciendae ſint: *Scio quidem*, haec ejus verba ſunt, *quod imaginem ſervatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus te imaginem videre deſideras: et nos quidem, non, quaſi ante Divinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed et in throno ſedentem, recordamur.* Quibus ſignificare videtur, ſe quidem ante imaginem proſterni, ſed non quaſi ante Divinitatem, verum ut recordatio Chriſti fiat major et ferventior. Abeſt quidem

quidem illud adſumentum, quo verba illa continentur, in multis Mſſ., ſed citatur tamen a Gregorio II. et Hadriano I. Papis: de quo Vid. notae ad eum locum. Videntur praeterea verba capi poſſe, ut dicant, ſe non proſterni, quemadmodum coram Deo fieri ſolet; quem ſenſum defendit Dallaeus de Imagin. l. III. Sed verborum complexus non tantum repugnat, verum alterum, quem dedi, ſenſum confirmat ipſe Gregorius ep. 9. l. IX. ad Serenum: ubi haec occurrunt verba: *et ſi quis imagines facere voluerit minime prohibe, adorare vero imagines modis omnibus evita. Sed hoc ſoliciter fraternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtae ardorem compunctionis percipiant, et in adoratione ſolius omnipotentis ſanctae Trinitatis humiliter proſternantur*, ſcilicet coram imagine, ut ratiocinii nexus requirit. Vid. etiam l. VII. ep. 110. ad eundem Serenum. Quod non magis ad imaginis adorationem trahendum eſt, quam quod Benedictus in regula ſua cap. 53. injungit ſuis, ut *hoſpitibus, venientibus ſeu diſcedentibus, inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in iis adoretur, qui et ſuſcipitur.*

§. CCXLVIII. Chriſtianis tale quid in more fuiſſe, ulterius ex Leontio Neapolitano in Cypro, qui circa finem ſec. vixit, et alias Leontius Cyprius adpellatur, eluceſcit, unde excerpta exſtant in Actis Synodi Oecumenicae VIII. Introducit Leontius Judaeum, Chriſtianis adorationem imaginum objicientem, et, ad illam retundendam, reſpondet inter alia his verbis; *nos Chriſtiani τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ προσκυνοῦντες ſymbolum crucis adorantes, non ligni naturam honoramus. Sed velut ſigillum, annulum et characterem Chriſti illam intuentes; per hanc ſalutamus et adoramus eum, qui in illa ſuffixus eſt*, Aliud ſuperſtitionis ingraveſcentis exemplum ſuppeditat Theophylactus Simocatta Hiſt. l. II. c. 3. et ex eo Photius Bibl. M. Cod. 65. qui narrat, Philippicum, generum Mauricii, cum contra Perſas pugnaret, imaginem *ἀχειροποίητον non manu factam, ſed divinitus quaſi coelo delapſam,*

manu gestasse, eaque obiisse et lustrasse exercitum, et ita reportasse victoriam; eam porro missam esse ad Simeonem, Amidae Episcopum, μετὰ σεβασμιότητος *cum veneratione* religiosa. Refert praeterea Simocatta l. III: 2. Priscum, Philippici in eo munere successorem, conatum fuisse exercitum tumultuantem placare per *imaginem non manu factam*, quae ibi barbare adpellatur ἰλιφφεφα, ut nonnulli putant. Sed rectius pro nomine viri habetur, cui imago circumferenda tradita est, ut ex Theophylacto patet. Vid. Gretserus de *imaginibus non manu factis*, ad calcem Codini de officiis CPol. Videtur autem Edessena fuisse imago, quae postea CPolin est translata sec. X., ut narrat Porphyrogenneta, in cujus honorem ibi etiam festum est institutum, teste *menologico* Graecano, et *typico* Sabae. Sed CPolin sub Justino II. etiam transportatam esse imaginem *non manu factam* Camulianensem, quae est urbs Cappadociae, tradit Cedrenus; qui addit, ejus ope Mauricium in bello Persico esse usum; sicut et Theophanes, idem narrans, subjungit, Mauricium imaginem Deiparae non manu factam secum habuisse. Vid. et historia *Miscella*. Omitti non debet notabilis historia, quam narrat Evagrius H. V: 18. Cum Anatolius aliquis, qui, professione Christianus, idolis occulte sacrificaverat, multorum criminum reus deprehensus, et in carcerem conjectus, erat Antiochiae, traduxit Gregorium Episcopum ejusdem idololatriae socium: quare jussus est a Tiberio Inperatore CPolin adduci, ut verum ex ore ejus expiscaretur. Quo nuncio ad eum delato, narratur ad imaginem Mariae, quae funibus erat in carcere adpensa, procurrisse, et supplicis orantis speciem palam praetulisse; quando ea, hominem, ut sceleratum, detestata, *faciem retro vertit*, insigni miraculo: simul noctu nonnullis sanctis adparuit, eosque in Anatolium incitavit, tanquam qui et se et Filium suum *contumelia* adfecisset. Quam contumeliam si quis ad ipsam referat *adorationem*, imaginum nondum adoratarum insigne erit testimonium:

monium: ſed ſi in eo fuerit ſita, quod homo profanus et inpius id fecerit, contrarium hinc erit colligendum. Quicquid de eo ſit, illud hinc conſtat, imagines fuiſſe ubique fere locorum, cum et hic in carcere aliqua fuerit, et in magno honore; et ejuſmodi miracula, pro veris habita, multum ad earum cultum ſtabiliendum contuliſſe. Aliud exemplum urbis Edeſſae miraculoſe ſervatae, cum a Perſis oppugnaretur, per imaginem Chriſti, ad Regem Edeſſenorum ab ipſo Chriſto, ut putabatur, miſſam, refert idem Hiſtoricus, l. IV: 27.

§. CCXLIX. De *partibus* cultus publici antequam diſſeram, conſpectus *Miſſalis Romani*, quod ad liturgiam pertinet, paucis in genere dandus eſt. Liber Gregorii M., qui ſupereſt, inſcribitur *ſacramentorum liber*, *vel ſacramentarius*, voce latius, pro univerſa ratione ſacra perficiendi officia, ſumta, adeo ut preces et cultum religionis in genere, et baptiſmum ac euchariſtiam in ſpecie, complectatur; univerſam itaque *liturgiam*. Primus Romanorum, qui talem ordinem compoſuit, memoratur Gelaſius Papa, de quo ad ſec. praecedens ſuo loco dixi, ſed Gregorius M., de quo poſtea, *Gelaſianum codicem de miſſarum ſolenniis*, verba ſunt Johannis Diaconi in *ejus vita*, *multa ſubtrahens*, *pauca convertens*, *nonnulla adjiciens*, *pro exponendis euangelicis lectionibus*, *in unius libri volumen coarctavit*. Vid. etiam Walafr. Strabus de *rebus Eccleſiaſticis* c. 22. Qui Gregorii liber, varie editus, quas editiones recenſet Fabricius in Bibl. med. et infimae Latinitatis l. VII., non niſi varie mutatus et interpolatus ad nos pervenit, fatente Du Pinio de ſcriptor. Eccleſ. in *Gregorio*, adeo ut de ordine Gregoriano in omnibus ejus partibus certi eſſe nequeamus. Sunt autem partes ordinis ſacramentalis euchariſtiae ſequentes. 1. *Praeparatio* varia ſacerdotis, veſtes ſacras induendo, et alia, huc pertinentia, agendo. 2. *Introitus*, ſic dictus, vel quia eſt initium miſſae, vel quia in ſacerdotis introitu ad altare peragitur, conſtat ex antiphona et

Psalmo, doxologia *gloria Deo in excelsis* etc., invocatione *κυριε ελεησον Domine miserere*, salutatione *Domine vobiscum* etc., collecta, qua preces populi colliguntur, lectione ex Propheta et Apostolo, denique aliquot versiculorum, ut plurimum ex Script. S., lectione, quorum quatuor sunt genera, responsorium, seu graduale, alleluia, tractus, prosa seu sequentia: quando lectum euangelium excipiebat recitatio Symboli Apostolici. 3. *Offertorium*, de quo Vid. Isidorus de *officiis Ecclesiast.* l. I. c. 14., sic dictum, quod caneretur, dum populus offerebat, cujus in antiquis missalibus nulla fit mentio; sequebantur *Praefationes*, quibus populus ad actionem, quae proprie sacrificium erat, praeparabatur, erant autem, *per omnia secula seculorum, Amen, Dominus vobiscum, et cum Spritu tuo. Sursum corda, habemus ad Dominum, gratias agamus Domino, dignum est et justum*, etc. Quae praefationes claudebantur cantico *Sanctus sanctus* etc. 4. Excipiebat haec ipse *Canon*, sic adpellatus, qui continebat varias *orationes, consacrationem symbolorum, commemorationem mortuorum, orationem Dominicam.* 5. Tandem sequebatur *communio*, et tunc *post communio*, scilicet *gratiarum actio, benedictio populi.* etc.

§. CCL. Hic ordo sacramentarius, postea varie mutatus, de quo suo loco, per totam Ecclesiam Latinam non nisi diu post obtinuit autoritatem. Legi meretur de missali Gregoriano, ejusque propagatione per orbem, Lilienthal in *Schediasmate* histor. Theolog., de *canone missae Gregoriano*, ubi etiam de aliis missalibus, et Liturgiis Graecorum et Latinorum differit, simul canonis Gregoriani cum Graecorum liturgiis, ex quibus desumtus est, convenientiam demonstravit, et canonem commentario aliquo illustravit. Hoc vero tempore, et aliquandiu post, praeter ordinem Gelasiano-Gregorianum, locum habuit in dioecesi Mediolanensi *ordo Ambrosianus*, de quo Vid. Mabillonius Itin. Ital. t. II. p. 106., in Hispania *Mozarabicus*, de quo ad sec. sequens, in Gallia quoque Gallicanus, de quo id.

Vid.

Vid. de *liturgia Gallicana*, et Ruinartus in adpendice operum Gregorii Turon., ubi ex monumentis a Mabillonio vulgatis concinnavit Gallicanae missae specimen, additis nonnullis ex Gregorio Turon., et aliis ejus aevi monumentis. Notatu digna sunt verba Gregorii M. l. XII. ep. 32. ubi ad Augustini, legati Papae, interrogata respondet. Tertium erat, *cur, una cum sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversae? et altera consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis teneatur?* ad quod respondet Gregorius, *ex singulis quibusque Ecclesiis, quae pia, quae religiosa, quae recta sunt, eligi posse ab Augustino.* Quae satis moderata est responsio, et aliquid relinquit libertatis.

§. CCLI. Cum *partes* cultus eaedem, quoad substantiam, manserint, quae antea, nonnullas variationes, hoc seculo ortas, recensuisse suffecerit, 1. *Canendi* modus in Ecclesia Latina fuit adcuratius definitus a Gregorio M., qui *Antiphonarium*, quod superest, licet interpolatum, condidit, quo ordinem canendi *antiphonatim*, seu responsorie, Psalmos Davidis in missa per totius anni circulum digessit. Praeterea cantum invenit planum et *unisonum*, procedentem per certos limites et terminos tonorum. Qui modus inde *Gregorianus* dictus est, et in Ecclesia Latina ab eo tempore semper obtinuit. Joh. Diaconus in vita Gregorii l. II. c. 6. 2. Hymnum Mariae, *magnificat* dictum, quia incipit *magnificat anima mea Deum*, et Angelicum, *gloria Deo in excelsis* etc., praeceperunt pro diebus paschalibus, singulis dominicis, et majoribus festivitatibus, canones Caesarii, Arelatensis et Aurelianensis, ut eorum regulae habent, circa ann. 506. 3. Ritum *adspersionis*, in baptismo incepisse, loco *immersionis*, circa tempus Gregorii, tradit quidem Beveregius ad canonem L. Apostolicum, sed nullo citato testimonio: estque sine dubio commentum. Testatur quoque Martene in *Antiq. Ecclesiae ritibus* l. I. p. I. c. 1. in omnibus libris ritualibus aut Pontificalibus MSS.,

necessitatis. Quod idem j
reb. Eccles. c. 26. factum :
servavit. 3. Aqua *benedict.*
per eam miracula fieri cr
tur apud Gregor. M. Dial
ejus adspersionem sanato. .
bos abigendos variis exemp
variis in locis. Exstat ejus
mentario Gregorii. Ceterum
re consuetudine ortus est,
gredientes, se aqua solebant
tis: de quo suo loco monui.
adspergillo Gentilium. Sozomen
sius.

§. CCLII. 4. Panes euchari
oblatae, ut adpellantur, seu hc
centioris est instituti, attamen
sicut concilium Toletanum XVI
receptum, definivit. Quare G
oblationum coronas adpellavit, e
tur *oblatas manibus suis factas*
Fortunatum in ejus historia.
et populo monstratio, occurr
Synaxi in Antiq. Lect. C...

ubi vid. notae novissimi editoris Gregorii. Duravit autem ea consuetudo diu apud Graecos, ut ex Balsamone ad canonem Trullanum 83. patet, ubi id fieri dicit, ad *Daemones* avertendos, et ut per ipsum, tanquam viaticum, ad coelum perducatur defunctus. Imo fuerunt, qui mortuis dederunt et baptismum et eucharistiam: ut ex canone 18. codicis Africani, et 12. Antissiodoensi a. 578. colligitur, quibus canonibus iste mos fuit vetitus, sicut et postea, in Ecclesia Graeca canone 133. Trullano. 7. Altarium consecratio peculiaris, ab Ecclesiarum distincta, una cum peculiari consecrandi ritu, per chrisma, benedictioni sacerdotali additum, hoc demum seculo, nusquam antea, memoratur. *Altaria placuit*, ut canon concilii Agathensis a. 506. habet, *non solum unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* Concinit canon 26. Epaonensis a. 517. super Rhodanum, ut probabile est, *Altaria nisi lapidea infusione Chrismatis non sacrentur.* Est quoque concilii Epaonensis singularis canon 33., ut id obiter moneam, quo haereticorum oratoria in Ecclesias verti vetatur his verbis: *basilicas haereticorum, quas tanta execratione habemus exosas, ut pollutionem eorum purgabilem non putemus, sanctis usibus adplicare despicimus.* Qui canon, receptae consuetudini contrarius, autorem habet Alcimum Avitum, concilii Praesidem, cujus hac de re exstat epist. VI. ad Victorium Episcopum, qua canonem illum defendit. Denique 8 ut alia minora, bene multa, praetermittam, *thuris* inter sacra censetur hoc seculo coepisse usus. Verum est, ejus frequentem nunc in liturgiis Orientalium, et sacramentario Latinorum, fieri mentionem, sicut et thuribula aurea, Ecclesiae CPolitanae a Chosroe, Persarum rege, dono data, memorat Evagrius H. VI: 21. Sicut et Sergio, Persidis martyri, crucem in sancta mensa in ejus aede cum *thuribulo* ponendam, donasse Chosroen refert Theophylactus Simocatta. V. 14. Sed antiquior thuris fuit usus. Praeter testimonia, a Beveregio ad canonem 3*tium* Apostolicum pro-

ducta, ex eo canone, quo thuris oblatio, seu incensi tempore eucharistiae, memoratur, Hippolyto de *consummatione mundi*, et Ambrosio ad Luc. I: 11., quae exceptione non sunt majora, cum priora duo sint dubiae autoritatis et antiquitatis, posterius mystice possit intelligi de precibus ad altare fusis, sicut sacrificium, quod addit, non corporale, sed spirituale, est; verba sunt occasione incensi Zachariae prolata, *utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus adsistat Angelus* etc. Ephraemi Syri verba oper. Syr. t. III. p. 488. usum illum evidenter indicant; sunt vero: *thus illud, quod hodie in honorem tuum cremarunt servi tui, gratum acceptumque tibi sit* etc. Sic et ibid. p. 496. et 505. Confundit quoque p. 518. *preces et thura*, et haec adpellat *pietatis symbola*, Vid. etiam p. 528 et 532. Sed et thuris meminit Athanasius *hist. Arianorum* ad Monachos §. 56. et, thumiamata jam fuisse in Ecclesia posita, tradit Chrysostomus hom. 88. in Matth.

§. CCLIII. Circa *naturam et efficaciam* sacramentorum, de qua nunc pro more est differendum, eandem tenuerunt Graeci opinionem, quam antea semper. Illustris hanc in rem locus est Ephraemii apud Phot. Bibl. cod. 229. ubi, contra Eutychen, duas in Christo inconfusas naturas probaturus, provocat, ut antea fecerant ad eucharistiam et baptismum; et *panis* dicit *καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος nec a visibile substantia discedit, et indivisus a gratia invisibili manet.* Sic et de baptismo loquitur. Clarissime etiam in hanc mentem differit Anastasius Sinaita in libro, cui titulus *ὁδηγὸς dux viae*, versus fin. contra Eutychianos illos disputat, qui Christi corpus ab ipsa nativitate fuisse *incorruptibile* statuebant; et argumentum ab Eucharistia petit, quae cum sit corruptibilis, tale etiam fuisse corpus Christi, inde colligit. Quod ut fortius stringeret, panem et vinum dicit non esse *antitypa* corporis et sanguinis Christi, sed ipsum corpus et sanguinem ejus, non mutata panis et vini substantia, sed

quatenus

quatenus eundem *Spiritum* participant, adeoque earundem sunt qualitatum, et ejusdem efficaciae, quibus corpus Christi, cum Divina natura unitum, gavisum est. Quod adeo evidens est testimonium, ut ipse Albertinus de *Eucharistia* hunc primum citet, qui, ut opinatur, a veterum doctrina abiit. Sed Patres superiores ad unum omnes idem hac de re senserunt, et locuti sunt, ut ad singula adfirmavi secula: tantum vocem *antitypum*, tanquam in hanc rem minus aptam, vitavit: de quo ad sec. VIII. plura dicam. Addam tantum pro baptismi et eucharistiae efficacia locum ex Procopio ad Jes. III. p. 61. quo panis dicitur *ὁ ζωοποιὸς vivificus, qui mundo dat vitam*, et *ἰσχὺς vis baptismi remissio peccatorum, ac Spiritus renovatio* etc., cui adplicat dictum Domini Joh. III. *nisi quis regenitus fuerit ex aqua et Spiritu.* etc.

§. CCLIV. Latinorum contra Transubstantiationem et missam clarissima suppetunt testimonia, quae unionem divinae naturae cum elementis, licet obscurius, quoque involvunt. Fulgentius Ruspensis in libro de *Fide* ad Petrum *Diaconum* in adpendice oper. Augustin. tom. VI., et in Biblioth. M. P. tom. IX. cap. 19., sacrificia V. T., crucis, et eucharistiae secum comparans, dicit, in carnalibus victimis fuisse *figurationem* carnis et sanguinis Christi offerendi in cruce, in eucharistiae sacrificio esse *gratiarum actionem atque commemorationem carnis et sanguinis in cruce oblati. In illis sacrificiis quid nobis esset donandum figurate significari; in hoc quid jam donatum sit evidenter ostendi: in illis sacrificiis praenunciabatur Filius Dei pro inpiis occidendus; in hoc autem pro inpiis adnunciatur occisus.* Est itaque secundum ipsum eucharistia sacrificium, sed *commemorativum, significativum, et repraesentativum*, non proprie *expiatorium.* Facundus Hermian. *defens. trium capit.* l. IX. c. 5., adoptionem significare sacramentum adoptionis expliciturus, adfert eucharistiam, et in haec loquitur verba: *sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato,*

corpus ejus et fanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus fit panis, et poculum fanguis, fed quod in fe myfterium corporis ejus fanguinifque contineant etc. ita Chriftus dici poteft *adoptionem* fufcepiffe cum circumcifus eft et baptizatus, vel facramenta adoptionis fufcepit. Non itaque traditur, corpus et fanguinem ibi effe, aut contineri, fed myfterium ejus, adeoque myftice, non proprie, quatenus corporis et fanguinis in eo eft et repraefentatio, et virtus, per unionem cum divina Chrifti natura. Denique Primafius in c. XI. prioris ad Corinth. diferte quoque dixit, Chriftum in euchariftiae inftitutione *ultimam nobis commemorationem reliquiffe, ita ut, quotiefcunque hoc facimus, in mente habeamus, quod Chriftus pro nobis omnibus mortuus eft.* Notabilia etiam funt Caefarii Arelatenfis verba in hom. VII. de *Pafchate: et ideo, quia corpus adfumtum ablaturus erat ex oculis noftris, et fideribus illaturus, neceffarium erat, ut nobis in hac die facramentum corporis et fanguinis confecraret, ut coleretur jugiter per myfterium, quod femel offerebatur in pretium, ut, quia quotidiana et indefeffa currebat pro hominum falute redemtio, perpetua etiam effet redemtionis oblatio, et perennis victima viveret in memoria, et femper praefens effet in gratia, ac unica et perfecta hoftia, fide aeftimanda non fpecie, nec exteriore cenfenda vifu, fed interiori afpectu.* Loquitur dein magnifice de panis et vini mutatione miraculofa in corpus et fanguinem Chrifti; fed eam comparat cum regeneratione hominis per Spiritus S. potentiam, qua homo idem manens in exteriore totus mutatus eft in interiore. Quo eodem collineant formulae confecrationis in miffa Ambrofiana, Gallicana, Mozarabica, et Gregoriana.

§. CCLV. Haec licet ita fe habeant, magnifice tamen de virtute Divina euchariftiae fenferunt, et locuti funt, plane ut fuperioribus feculis. Suffecerit unus Caffiodorus ad Pf. CX. *fed in ifta carne et fanguine nil cruentum, nil corruptibile*, inquiens, *mens humana concipiat — — — fed vivificatricem fubftantiam atque falutarem, et ipfius verbi propriam*

priam factam, per quam peccatorum remissio et vitae aeternae dona praestantur. Vid. etiam Caesarius l. cit. Quo etiam pertinent miracula per eucharistiam, ut credebatur, facta, Vid. Gregorius dialog. III: 3. ubi etiam narrat, muto fuisse loquelam redditam, *dominico corpore ipsi in os misso.* Refert quoque Evagrius H. IV: 36. puerum Judaeum, qui reliquias corporis Christi comederat, in fornace ardente fuisse miraculose conservatum. *Quoties ei hostiam passionis suae offerimus*, inquit Gregorius l. II. hom. 37. ad Euangelia, ut notabilia ejus verba subjungam, *toties nobis*, *ad absolutionem nostram*, *passionem illius reparamus;* addit, Christum *per hanc in suo mysterio pro nobis iterum pati.* Vid. et Dialog. l. IV. c. 58. Singulare magis est, quod *Liber sacramentalis* Gregorii habet, in Dominica quinta post Epiphaniam in praefatione, his verbis: *singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis.* Sed superstitiosae opinionis principia ante Paschasium, qui sec. IX. haberi solet Transubstantiationis autor, de quo postea suo loco, sese offerunt in historiola, quam narrat Paulus Diaconus in vita Gregorii M., quae habet, ad preces Gregorii et Ecclesiae, cum mulier quaedam risisset eucharistiam adpellari a Gregorio *corpus* Christi Domini, carnem Christi factam esse conspicuam, *parte digiti auricularis sanguine cruentata* etc. Simile quid Scetiotae, seni Monacho, magno in agendo, sed in fide simplici, qui panem non esse corpus Christi, verum ejus figuram, et typum credidit, contigisse, narravit Abbas Arsenius in Apophtegm. Patrum in *monumentis Graec.* Cotelerii tom. I. p. 421. Ejusdem farinae sunt verba Fortunati l. I: 15. in carm. de Leontio Episcopo.

Muneribusque piis dotasti altaria Christi,
Cum tua vasa ferunt viscera sancta Dei,
Nam cruor et corpus Domini libamina summi,
Rite ministerio (vel *ministerium*) *te tribuente venit.*

§. CCLVI. De *Locis* ſacris, ut ad circumſtantias cultus publici veniam, parum ſuppeditat ſeculum. 1. Mos Templa ſanctis inſcribendi, et in eorum honorem, magis magiſque invaluit. Plurima enim ſunt a Juſtiniano conſtructa in honorem Mariae, Annae, Michaelis, aliorumque Angelorum, Apoſtolorum, et aliorum ſanctorum. Procopius de *aedificiis*. 2. *Conſecrationes* novis ſunt veſtitae ritibus, ut, praeter miſſarum ſolennia, litaniis, cereis, ſuffitu, aqua benedicta, et ſimilibus, autore, vel promotore, Gregorio M. Vid. Hoſpinianus de *Templis*: de peculiari *altaris* conſecratione ſupra dixi. Conſecrationis quoque effectus, in ſingulari *ſanctitate* ſitus, quo Sacro-ſanctus fit locus, et vis quaedam divina cum eo communicatur, etiam innotuit: cujus effecta et conſequentia deinceps facta ſunt majora, et magis ſuperſtitioſa. De quo legi meretur Boehmer. Jur. Eccleſ. lib. III. tit. 40. 3. Super altare et baptiſterium *effigies aureae aut argenteae columbae* jam fuit ſuſpenſa, in ſymbolum Spiritus S., ut ex accuſatione Severi, Epiſcopi Antiocheni, in Synodo CPol. ſub Menna a. 537. eluceſcit. Inpactum enim ipſi eſt, quod columbas aureas et argenteas ſuper altaria et lavacra, figuram Spiritus S., in uſum ſuum converterit: ut traditur act. V. concilii CPol.

§. CCLVII. Inter nova *feſta*, quae huic ſeculo ſuam debent originem, ſequentia, non praetereunda, locum habuerunt 1. *Adnunciationis*, ſeu conceptionis Chriſti a Maria, quod in 8. Kalend. Aprilis, adeoque in Quadrageſimam, incidit. Cujus prima occurrit in canone 52. Trullano mentio. Meminit quidem Athanaſius in ſermone de S. Deipara, ſed non eſt ejus, et poſt tempora Monothelitarum habitus: ut nunc ſatis conſtat. 2. Feſtum *circumciſionis*, ipſis Kalendis Junii; quod in concilio Turonenſi II. a. 567., ut et in legibus Viſigothorum, memoratur. 3. *Purificationis* Mariae, Graecis ὑπαπαντὴ, in memoriam occurſus Simeonis in Templo adpellatum, Mariae ſacrum, quo cerei ardentes manibus geſtantur, in ſignum puritatis et ardoris

animo-

animorum, institutum tempore Justiniani, ut Cedrenus in *compendio*, et alii constanter, referunt. Vid. hist. Miscell. l. XVI. et Nicephor. H. l. XVII. ubi dicit, Justinianum Servatoris hypapanthen *toto orbe terrarum festo die honorare instituisse.* Adligata est festivitas mens. *Februar.*, cum adlusione ad nomen mensis, *februa* enim *purificationes* denotat. Vid. Alphonsus, in Serm. de Purific. Mariae. Vid. etiam Suicerus Thes. Eccles. in ὑπαπαντῇ. Est quidem inter homilias Chrysostomi, quae festi mentionem facit, sed non est ejus. Vid. Georgii Hamartoli Chronicon apud Leonem Allatium de *hebdomad. Graecorum.* 4. Aliorum sanctorum festa valde sunt multiplicata, quae recensuisse nihil adtinet. Natalis Johannis Baptistae mentio fit in concilio Agathensi. In Petri Apostoli natalem convenire laudat Gregorius M. l. I. ep. 36. Sed, quod notari velim, in Pontificis Romani ordinationem id facere, adpellat *stultam et vanam superfluitatem.* Hisce addatur, Leonem Inperatorem cessationem operationis diebus Dominicis eousque, *sacra* promulgata, extendisse, ut *ne ulla tibia*, *aut cithara*, *aliudve quoddam musicum*, *caneretur:* ut refert autor *Chronici*, sic dicti, *Paschalis*, et Joh. Malela in Chronograph. p. II. in vita Leonis. Exstat lex in Cod. de *feriis*, et meminit Theodorus Lector l. I.

§. CCLVIII. Instituit Gregorius M., quod ad *jejunia* pertinet, Litaniam *septiformem*, ita dictam, quod Ecclesia per septem classes procedat, hoc ordine, Clerici, laici, virgines, foeminae conjugatae, viduae, pauperes, et infantes, Ecclesia coacta in aede Deiparae, ubi, processione facta, omnes precibus et gemitibus Deum conabantur flectere, Gregor. l. XI. ep. 2. Institutam fuisse occasione inundationis Tiberis, et multitudinis serpentum, inde in terram irrumpentium, et inaestimabilem multitudinem hominum necantium, tradit Paulus, Diaconus Aquilejensis, de *gestis Longobardorum* lib. III. c. 25. qui addit, *intra unius horae spatium, dum hi Dominum deprecarentur, octoginta ex iis subito ad terram corruentes*

entes spiritum exhalasse. Fieri solebant annuatim, VII. Kalend. Maji. Walafrid. Strab. Offic. Eccles. c. 28: Unde origo repetenda est litaniarum, quae *majores* dicuntur, in festo S. Marci, deinceps ad haec usque tempora celebratarum. Ceterum differentia aliqua inter Graecos et Latinos fuit in formula κυριε ἐλεησον *Domine miserere*, qua sola utebantur Graeci, sed Latini addiderunt χριστε ἐλεησον *Christe miserere*; Graecis quoque supplicatio fiebat communi voce, sed Latinis alternatim, ita ut minister Ecclesiae inciperet, populus dein succineret universus. Quod discrimen, quantillum licet, Gregorius studiose adnotavit l. VII. ep. 64. et IX. ep. 12. ut demonstret, Ecclesiam Latinam se ad CPol. non conformasse, sed hanc ab illa leges accipere debere. Mos vero cantandi κυριε ἐλεησον *Domine miserere*, jam antea viguit, ut ex concilio Vasensi a. 442. patet. Nondum tamen directae fuerunt litaniae ad Mariam, aut sanctos, sed solum Deum, ut Gregor. Turonensis hist. l. X. c. 1. observat, quod seculo sequente adhuc duravit; nec antiquiores sunt saec. VIII. vel IX. litaniae, a Mabillonio in Analectis tom. *II.* et Baluzio adpend. ad Capitular t. II. num. 95. memoratae, in quibus intercessiones sanctorum petuntur.

REGIMEN.

§. CCLIX. De Clero acturus generalia praemittam observata: quorum *primum* ad Clericorum, seu Episcoporum, pertinet *electionem*, quae hoc seculo fuit varia. Canon 54. Arelatensis a. 452. decrevit, ut in Episcopi electione trium fieret nominatio ab Episcopis, unius vero electio a Clericis, vel civibus, Ecclesiae istius. Vid. et can. 35. Arelat. II. Sed canon 3*tius* Barcinonensis in Hispania a. 599. sancivit, ut trium nominatio penes Clerum et plebem esset, unus ex iis sorte eligendus. Justinianus vero novell. 123, 137. et alibi, trium nominationem ad Clericos et optimates restrinxit, unius electionem judicio ordinantis commisit.

misit. Reges denique Gothorum in Gallia et Hispania sibi totam reservarunt electionem, reliquis tantum relicta acceptatione electorum. Vid. P. Marca concord. sacerd. et Imper. l. VIII. c. 9. 10. Tandem jus Patronatus est per Justinianum introductum, quo aedium sacrarum conditoribus, eorumque haeredibus, potestas data est, ex jure patronatus Clericos in illis constituendi, novell. 123. Episcopis commisso examine aptitudinis eorum, novell. 7. Cujus simile quid jam constituerat concilium Arausicanum a. 441., potestatem dando Episcopis in alieno territorio aedificantibus Ecclesiam. Quod tamem vetuit Concilium Toletanum IV. can. 32. conditoribus basilicarum, quibus nulla in eas conceditur potestas, quae tota traditur Episcopis. Nec in Italia non tantum aliqua sese offerunt patronatus vestigia, sed contrarium potius ex Gregorio M. ep. ad Felicem, Episcopum Messanensem. Ceterum jus patronatus originem a Gentilibus habere, apud quos obtinuit, ut, qui Templum aedificari faciebat, jus habuerit sacra faciendi, et sacerdotes instituendi, observarunt editores Bibl. Italicae tom. V. p. 169.

§. CCLX. Leges in specie conditae sunt, quod *secundum* sit observatum, de qualitatibus et requisitis Clericorum qui eligendi erant, et contra Simoniam, quae jam hoc tempore invalescebat. Inter requisita, ad natales et corpus pertinentia, ut illud verbo moneam, fuit, praeter alia, ut quod nec spurius, nec servilis conditionis, nec mutilus, aut exsectus, seu eunuchus propria culpa factus, sit: in primis notandum, quod non sit peregrinus, sed indigena, et ex gremio Ecclesiae, cui sit praeficiendus, ut Coelestinus, Leo M., et Gregorius Papae in epistolis declararunt, et concilium Valentinum definivit can. 7. sub Damaso Papa. In Clericis praecipue exigebatur fides orthodoxa, vita honesta, et liturgiae receptae cognitio ac adsumtio: quo fini testimonium praebere debebant et electores, ac ordinatores, et ipsi electi ac ordinandi, non tantum confessi-

one et refponfione ad quaefita, fed et fubfcriptione. Vid. novella Juftiniani 137. et canon 1. concil. Carthag. IV. Verba canonis valde funt notabilia, et hic legi merentur. *Qui Epifcopus ordinandus eft, antea examinetur, fi natura fit prudens, fi docilis, fi moribus temperatus, fi vita caftus, fi fobrius, fi femper fuis negotiis cavens, fi humilis, fi affabilis, fi mifericors, fi litteratus, fi in lege Domini inftructus, fi in fcripturarum fenfibus cautus, fi in dogmatibus exercitatus, et ante omnia, fi fidei documenta verbis fimplicibus adferat, id eft Patrem et Filium et Spiritum S.* etc. *Quaerendum etiam ab eo fi Novi et Vet. Teft., id eft Legis et Prophetarum, et Apoftolorum unum eundemque credat autorem et Deum, fi Diabolus non per conditionem fed per arbitrium factus fit malus.* Ut autem aptiores effent Clerici, faepe a prima pueritia Clero devovebantur a Parentibus, et in feminariis inftituebantur, quod etiam praecepit concilium Vafenfe II. a. 529., fecundum confuetudinem per totam Italiam. Majores vero natu in una domo fub Epifcopi difciplina degebant, communique menfa fruebantur: unde domus Epifcopi adpellata eft feminarium, Clerici, communi regulae adftricti, canonici, et menfa canonica. Vid. concil. Toletanum II. et IV. Turonenf. II. et de Ecclefia Anglicana ex inftituto Auguftini, ac praefcripto Gregorii M. Beda hift. Anglic. l. I: 17 Voluit quoque Juftinianus, novell. 123., ut Epifcopi et Presbyteri non nifi annos 35 nati, Diaconi et fubdiaconi ann. 29, Lectores 18, ordinarentur. Denique legitimo modo, fine artibus et nummis, comparandus erat Clericatus, omnibus Simoniacis promotionibus fevere prohibitis. De quibus pravis *ambitionibus* jam fuo tempore conqueftus eft Sulpicius Severus hift. l. II. Prohibuit ejufmodi Simonias, five, ut eas Alexander, Epifcopus Alexandrinus, vocavit apud Theodoret. l. I. c. 4. χριστεμπορίας *nundinationes ex Chrifto,* Juftinianus nov. 6., 123. et 137., praeter variorum conciliorum canones. Quod jam antea poft medium fec. V. luculenter et emphatice fecerat Gennadius, CPol. Epifcopus, co-

acta

acta Synodo, et, ad ejus exemplum, Leo Inperator in *constitutione* in lege 31. cod. de *Episcopis et Clericis*. Vid. Zieglerus de *Episcopis* l. II. cap. 5.

§. CCLXI. De Clericorum ordinatione cum seculum nihil peculiare subministret, nec unctionis, aut vasorum traditionis, ulla fiat mentio, ad *habitum* eorum externum, quod *tertium* est observatum, pergo, postquam obiter observavero, morem, bona Ecclesiae, defuncto Episcopo, a Clericis diripiendi, jam invaluisse, ut ex Gregor. Turon. Hist. VI. 11. constat. *Rasum* quidem non habuerunt caput, nec *barbam* prolixam, teste Gregorio M. in Pastorali suo p. II. c. 7., in formam *coronae* tamen tonsum: ita ut, detonso superius capite, inferius solam circuli formam relinquant, ut canon Toletani IV*ti* habet. Cujus tonsurae clericalis, et coronae, prima est mentio apud Gregor. Turonens., uti in *vitis Patrum* c. XVII., cum antea tonderentur ut Monachi, sine coronae figura. Imo canon 20*mus* Agathensis habet: *Clerici, qui comam nutriunt, inviti detondeantur.* Unde *tonderi* pro clericum fieri, et *tonsura* pro clericatu, cujus erat insigne, passim adhibetur. Quae vero tonsura Latinis in usu erat adpellabatur *Petri*, in signum et memoriam *coronae spineae* Christi. Vid. Beda Hist. V. 22. sed in Oriente obtinuit tonsura *Pauli*, ad modum Nazaraeorum, ut Beda tradit hist. Angl. IV. 1, 24. Canon 3*tius* concilii Barcinonensis in Hispania a. 540. in *collectione maxima conciliorum* Hispaniae, habet: *ut nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat.* Canon vero 40*mus* Toletani IV. sec. VII. *omnes Clerici*, jubet, *vel Lectores, sicut Levitae et sacerdotes, detonso superius capite, inferius solam circuli coronam relinquant.* Quod ad *vestitum* adtinet, Clericos fuisse a Laicis distinctos vestibus, ex multis conciliis, ut Agathon., Matisconens. et Narbonens., ut et ex Gregorio M. l. III. ep. 24. et VII: 11. satis constat. In Occidente tamen sec. V. peculiaris habitus minus fuit vulgatus, a Papa Celestino etiam improbatus, teste epist. ejus.

ad Gallicanos. In Oriente vestitus Monachalis, a Clericis passim adsumtus, erat pallium laneum, talare, nigri coloris: in Occidente vero toga uniformis, vel casula, vel tunica lanea simplex, oblonga, quae totum corpus tegebat. In genere vero Clericis interdicta erant vestimenta secularia, theatralia, et militaria, ut ex variis manifestum est conciliorum canonibus. In sacris autem functionibus Episcopi, et Archidiaconi, gestabant *dalmaticam*, quae est tunica manicata et talaris, praeterea annulum et baculum, Presbyteri orarium et planetam, (de *orario*, voce Latina, ab *ore*, cui tergendo proprie inserviebat, vid. Beveregius ad canonem 22*dum* Laodicenum. 'Erat autem sudarium, seu linteum, ad abstergendam faciem. Quo sensu occurrit apud Ambros. ep. XXII. ad Marcellinam sororem, et de obitu fratris, sive Satyri l. I., et apud alios. *Planeta* dicitur Graecis, quae Latinis casula, quae totum tegit, ita vocata, quod oris evagatur errantibus. Du Cange in Glossario) Diaconi tunicam cum orario et alba, (erat autem orario apud Graecos triplex ἅγιον *sanctum* inscriptum, ut Beveregius l. cit. etiam notavit) Quae omnia ex variis locis Gregorii M. constant. Qui, ut tradit Paulus Diaconus in ejus vita, l. II. c. 57. nihil reliqui fecit, ut et leges de vestibus sacris ubique observarentur. Addatur, ministros altaris, quo tempore sacris fungebantur, *albis* fuisse indutos, ut ex concilii Narbonensis canone, et Gregorio Turon. de *gloria confessorum*, et aliunde, liquet.

§. CCLXII. Superest, quod *quartum* sit observatum, de *coelibatu* Clericorum agam. In Occidente coelibatus eousque jam fuit provectus, ut Clericis sine discrimine omnis uxorum usus fuerit interdictus, Siricii et Innocentii Paparum decretis ubique introductis, uti canon Agathensis in Gallia Narbonens. ann. 506. habet; his verbis. *Placuit, ut si Presbyteri vel Diaconi conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, ut Papae Innocentii ordinatio, vel Siricii Papae autoritas servetur*, h. e., ut ab officio submoveantur. Vid.

etiam

etiam canones Turonensis II. ann. 567. In Romano quoque concilio sub Gregorio a. 594. canon est factus, quo Presbyteris et Diaconis conjugium sub anathemate prohibetur, Gregorius vero ipse l. I. ep. 44. ad Gregorium Petrum, subdiaconum Siciliae, refert, morem Ecclesiae Romanae esse, ut ne subdiaconi uxoribus misceantur: quare vult, ut nemo ad clerum promoveatur, nisi sub voto continentiae, hoc porro addito temperamento, quo usus legitimus tori conceditur illis, qui sine illo promisso erant adsciti vid. l. III. ep. 34. Quod Clericis extra sacros ordines constitutis etiam permisit l. XII. ep. 31., si se continere nequeant. Sed circumfertur epistola Udalrici, Augustani Episcopi sec. IX., ad Nicolaum Papam, quo narratur, cum in piscina Gregorii piscatores sex millia infantum capita invenissent, eamque caedem intellexisset Gregorius ex clandestinis sacerdotum fornicationibus esse ortam, decretum de coelibatu esse revocatum. De qua epist. suo loco dicam, ad sec. IX., et veritatem facti suo loco relinquo. In Africa vero et Oriente tantum abest, ut rigida haec disciplina obtinuerit, ut Romana diserte fuerit reprobata in canone 13*tio* concilii CPol. *quinisexti*, de quo postea. Romanae enim Ecclesiae consuetudo nominatim ibi rejicitur, et Presbyteris, Diaconis, ac subdiaconis, si conjugati sint ordinati, permittitur uxorum usus, imo separatio sub depositionis poena vetatur, excepto tempore sacri officii, quo se abstinere debebant: provocatur quoque ibi ad Ecclesias Africanas, quibus idem in usu erat. Tantum Episcopis prohibetur conjugium; quae prima fuit in Oriente lex Ecclesiastica hac de re. Vid. Beveregius ad eum canonem.

§. CCLXIII. His in genere praemissis, nonnulla ad Clerum majorem pertinentia proferam. Crevit hoc seculo *Archi-diaconorum* autoritas, et Presbyterorum inminuta est, in Ecclesia Latina. Erant Archi-diaconi omni fere parte *vicarii* Episcoporum in tota dioecesi, quorum passim etiam solebant esse successores in Episcopatu, adeoque supra Pres-

byteros et Archi-presbyteros evecti. Fortunatus poematum lib. III. Archi-diaconum Meldensem adpellat *magnum Episcopi ministrum.* Concilium non tantum Matisconense a. 583. injunxit Clericis, ut omne negotium, seu litem, aut in Episcopi, aut Presbyterorum, aut Archidiaconi praesentia finiant: sed Concilia Turonense II. et Antissiodorense ipsi Archipresbytero sub censura praecipiunt, ut de Clericorum vitiis certiorem reddat aut Episcopum, aut Archidiaconum. Quo etiam facit *dalmaticae* usus, ipsis, aeque ac Episcopo, concessus. Gregor. M. l. VII. ep. 112. Inminutae vero Presbyterorum dignitatis indicium in eo quoque est, quod ipsis per canones amplius non licuerit benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut poenitentiae publicae praeesse, ut canon Agathensis in Gallia Narbonense habet. Sessiones tamen adhuc tenuerunt in Synodis, ut subscriptiones docent.

§. CCLXIV. Multiplicati etiam sunt Archiepiscopatus, et eo ipso Vicariatus Paparum Romanorum. Sic in Anglia instituit Gregorius M. duas sedes Metropoliticas, Londinensem et Eboracensem, lib. XI. ep. 65. Sed in Illyrico per Justinianum in favorem Achridae, postea Justinianae primae, patriae ejus, constitutum est, ut *primae Justinianae* Praesul, non Metropolita tantum, sed et Archiepiscopus esset, ipsi subjectis provinciis nonnullis Illyricianis, Dacia scilicet mediterranea, Dacia Ripense, Moesia secunda, Dardania, Praevali, et parte Pannoniae secundae, in quas jus habuerat Thessalonicensis Episcopus; quod nunc in Justinianae I. episcopum collatum est, respectu etiam ordinationum Metropolitan., et celebrationis conciliorum, Patriarchae titulo etiam ipsi dato. Vid. novella 11*ma* a. 535. Secutus deinceps est Vicariatus sedis Romanae, sub Vigilio Papa a. 541. in eum collatus, ad petitionem Justiniani. Vid. Baluzius in supplemento *concordiae* Sacerdot. et Inperii, P. Marca l. V. c. 24. Denique aucta in primis est duarum sedium, Romanae et CPolitanae, de primatu

conten-

contendentium, autoritas. Quod secundum seriem Romanorum Episcoporum narrabo; sed additis memorabilibus sub singulis Papis.

§. CCLXV. Novi Papae electionis, in locum Anastasii, causa ingens ortum est Romae schisma, dum ab aliis, longe pluribus, electus fuit *Symmachus*, unus Diaconorum, ab aliis, ope Festi, Senatoris Romani, qui, ut Anastasio Inperatori gratificaretur, Papam volebat henotico Zenonis faventem, Laurentius Archipresbyter: unde rapinae, caedes, aliaque innumerabilia sunt orta mala: uti Theodorus Lector H. II: 17. refert. Orta est, inquit Platina, tanta seditio Romae, ut multi tum ex Clero, tum ex populo, passim caederentur, nec sacris virginibus parcerent. Vid. *vitae Pontificum* Anastasii. Quae rerum perturbatio, postquam triennium durasset, sedata est per Theodoricum, Regem Italiae, qui secundum Symmachum pronunciavit, eodem narrante, et libro Pontificali. Renovatum tamen est a. 503. schisma, Symmacho variorum criminum apud Theodoricum accusato. Missus quidem est Petrus, Altini, prope littus Venetiae, Episcopus, ad motus compescendos, sed qui, in partes schismaticorum tractus, eos fecit graviores. Indicta itaque est, jussu Regis, Synodus, quae *quarta* est sub Symmacho, a loco Romae, ubi coacta est, *palmaris* dicta, Episcopi vero in unum non venerunt, nisi postquam, Papam in Synodum consensisse, intellexissent, contendentes, Romanos Antistites *minorum judicio* non subesse, adeoque a Synodis ejusmodi non debere judicari. Quod summae autoritatis Papalis insigne est indicium. Ipsa Synodus in decreto suo testatur, se quidem a criminibus inmunem pronunciare Symmachum, sed totam causam judicio Dei relinquere: eo ipso indicans, Papam a particulari Synodo non debere judicari. Quod confirmat Ennodius in *Apologetico*, et Avitus Viennensis in epist. 31. ad Faustum et Symmachum Senatores, qui inter alia etiam optat, ut illi, ad quos scribit, *non minus in Ecclesia illa deleant fidem Petri, quam*

in civitate apicem mundi, addit, *si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus, vacillare*. Scripserunt schismatici, nondum quiescentes, contra Synodum libellum, hoc titulo; *contra Synodum absolutionis incongruae*: quem refutavit Ennodius libro citato, in Synodo Romana *quinta* adprobato. Est autem iste Ennodii apologeticus intolerandae adulationis Paparum plenus. Papam enim facit *ἀναμάρτητον impeccabilem*, et *ἀνυπεύθυνον* nullius judicio obnoxium, nullorum criminum reum peragendum. Unde liquet, quantae autoritatis Papalis fundamenta jam fuerint jacta. Sedi Romanae quicquid est fidelium dicitur subjectum esse, ejusque Episcopum esse totius corporis caput. De suprema autoritate, quam sibi adrogavit Papa, testatur quoque excommunicatio Inperatoris Anastasii ab ipso, propter communionem ejus cum Acacio, de quo conquestus quidem est Inperator, sed Papa, edita apologia, defendit, a. 503., in qua epistola apologetica habetur, praeter alia, Pontificis honorem, si non superiorem, utique aequalem esse Inperatori. Denique in Synodo Romana *tertia* a. 502. abrogata est lex Odoacris, regis Italiae, quae Papae electionem sine Regis consensu vetabat. Mortuus est Papa a. 514., cum 15 annos sedisset.

§. CCLXVI. *Hormisdas*, ejus successor, pontificatum inprimis nobilitavit per pacem inter Ecclesias, Romanam et CPol., redintegratam, sed modo Romanis honorifico. Synodo enim CPol. coacta, Chalcedonensem Synodum, fidem et tomum Leonis, non tantum recipere debuit CPol., sed et anathema dicere in Acacium. Voluit insuper Papa, ut Euphemii et Macedonii CPol. praesulum nomina diptychis sacris expungerentur; in quod Johannes CPol. consentire debuit: nec tamen effectui datum est, cum per Justinum Inperatorem Papa eo fuerit adductus, ut totum negotium permiserit Epiphanio, CPol. praesuli. Gessit sese Papa in toto hoc negotio valde insolenter, quare ab Anastasio Inperatore, ideo offenso, legati Papae minus honorifice tractati

rati sunt. *Scripsit* Anastasius *inter alia facta sua*, inquit Anastasius Bibliothecarius in *vita Hormisdae*, *nos jubere volumus non nobis juberi*. Sed sub Justino, Synodi Chalcedon. patrono, res est, ut narravi, effecta a. 521. Plura de hoc schismate dixi ad sec. praecedens. Praeterea Episcopus Thessalonicensis, qui ad Gelasium usque Vicarium Papae egerat per Illyricum, ea praerogativa ob communionem cum Acacio privatus est sub Gelasio; recuperavit quidem eam Dorotheus, favorem Hormisdae promeritus, a. 515., sed, cum metu Anastasii communicaret cum Timotheo, Episcopo CPol., eo honore excidit a. 516. jussu Hormisdae: a quo tempore vices Romanae sedis non amplius gesserunt Episcopi Thessalonicenses; licet Episcopi Illyrici in Paparum obedientia manserint, Vid. Theophanes in Chron., Epist. Hormisdae ad Dorotheum, et Caesarium Arelatensem etc. Praeterea vicarios suos propagavit per Galliam et Hispaniam; vices enim suas per Hispaniae provincias commisit Johanni Tarraconensi, et per Baeticam ac Lusitaniam Episcopo Hispalensi, salvis licet Metropolitanorum privilegiis, per Galliam vero Narbonensem Avito Viennensi. Monachos Scythas, quorum supra memini, ab Eutychianismo licet alienos, qui thesin, *unum e Trinitate esse passum*, valde urgebant, et Papae adprobationem requirebant, non admisit, nec definitivam tulit sententiam, erat enim thesis ambigua, et ad Eutychianismum trahi poterat. Ceterum Ipsi Inperator in epist. valde adulatus est, cum in ea scripsit, *hoc credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum*. Vid. Norisius de *uno ex Trinitate passo*. p. 817. Sedit annos novem, defunctus a. 523.

§. CCLXVII. *Johannes* I. qui ipsi successit, celebre etiam nactus est nomen per legationem, quam jussu Theodorici, regis Italiae, obiit ad Justinum Inperatorem a. 525., ut ab eo inpetraret Arianorum, quibus fides catholica erat obtrusa, restitutionem, Ecclesiarum, ipsis ademtarum, redditionem, et omnis persecutionis eorum cessationem. Sed

quae legatio in malum Papae cessit, cum iram Theodorici in eum concitaverit, adeo ut in carcerem fuerit detrusus, ubi mortuus est, tanquam Martyr, a. 526. Vulgo putatur, Papam quidem effecisse, ut persecutio fuerit finita, sed non ut restitutio fieret; et eum propterea esse a Theodorico vexatum. Sed rectiora docuit Blondellus, in libro, sub nomine ficto Amand. Flavien, Gallice scripto, de *libertate conscientiae*, ad calcem libri, *les actes authentiques des eglises Reform.*, ubi demonstrat, Theodoricum quidem initio Arianorum restitutionem voluisse, sed dein, cum id recusaret Johannes, contentum fuisse, si Ecclesiarum redditionem, et persecutionis abolitionem, efficeret; praeterea id suscepisse, et effectui dedisse Papam, quod etiam Platina tradit, adeoque non propter legationem, ejusque effectum, fuisse regem offensum, sed quod nimio honore fuisset ab Inperatore adfectus, unde sinistram de Papae animo concepit opinionem, acsi tecte quid contra ejus inperium fuisset molitus. De quo etiam vid. Mariana hist. Hispaniae l. V. Platina dicit, Regem in eum exarsisse *et fide et moribus cum Justino sentientem*. Fuit utique singulari prorsus honore mactatus CPoli, quem minime recusavit: unde, quem gradum dignitatis jam conscenderint Papae, elucescit. Ab Epiphanio Patriarcha invitatus, recusavit congressum, donec primum in consessu locum supra Epiphanium inpetrasset, ut Theophanes refert; ipse Justinus, tradente Anastasio, licet non semper probatae fidei, se coram Papa, in honorem Dei, in *terram humiliavit*, *et eum adoravit*, voluit praeterea ab ipso *coronari*, licet a CPol. Patriarcha jam esset coronatus. Quod primum est exemplum Inperatoris a Papa coronati, et benedictione donati. Denique, celebravit festum paschatis ibi Romano ritu, et precibus, ut habet Marcellinus in Chronico. Mitto, quod miracula narretur patrasse CPoli, ut autor est Gregorius M. dialog. l. III: 2. est enim ejus epistola ad Episcopos Italiae spuria.

§. CCLXVIII.

§. CCLXVIII. In *Felice*, qui ipſum excepit, notatu inprimis digna eſt ejus electio: quam cum ſibi vindicaret Theodoricus, repugnante Clero et ſenatu Romano, res ita eſt compoſita, ut a Clero quidem eligeretur Papa, ſed jus adprobandi et confirmandi ſit penes Regem: ex quo ille mos in Italia, quamdiu Gothi regnarunt, obtinuit, et retentus eſt ab Inperatoribus Graecis. Caſſiodor. l. VIII. ep. 15. Facta quoque ſub ipſo eſt prima Semi-pelagianorum damnatio Eccleſiaſtica per Synodum Arauſicanam a. 529. Praeſide Caeſario Arelatenſe, autoritate Papae, et per capitula ab ipſo tranſmiſſa: cujus effectus fuit, ut Semipelagianiſmo *haereſios* nota fuerit inuſta: qualis antea non erat habita: ut ſuo loco narravi. *Bonifacius* vero, qui a. 530. ſedem capeſſivit, electionem Papae eripere conatus eſt regibus Italiae per fraudem, ſed contra ipſos canones Eccleſiaſticos decreto facto, quo ipſe ſibi vivo ſucceſſorem conſtituit: quod tamen decretum, tanquam Majeſtati regiae contrarium, reſcindere debuit: ut refert Anaſtaſius. Confirmavit et ipſe Synodos Arauſicanam, et Valentinam, contra Semi-pelagianiſmum, qui ea ratione ultimo confectus eſt ictu. Ad ipſum quoque venit, inquit Anaſtaſius, *relatio ab Afris Epiſcopis de conſtitutione, ut cum conſilio ſedis Apoſtolicae omnia Carthaginenſis ſedes faceret.* Quaerelas denique ad ipſum detulit Stephanus, Lariſſenſis Epiſcopus, Metropolita Theſſaliae, quod a Patriarcha CPol. eſſet exautoratus, ſicut et alii Epiſcopi Illyrici conqueſti ſunt, quod CPol. ſubtrahere voluerit Epiſcopos Illyricos poteſtati Paparum, et ſibi ſubjicere. Vid. L. Holſtenius *in collectione Romana*, et act. Concil. Harduini tom. II. ad a. 531. Illyrici itaque non tantum Romanae ſedi fuerunt obnoxii, ſed et declararunt, Papas Illyricum rexiſſe jure Patriarchali, ſeſeque agnoſcere eorum *principatus in Eccleſias totius orbis*: quae opinio jam hoc tempore vires coepit acquirere.

§. CCLXIX. *Johannes* II., adpellatus ob eloquentiam

Mercurius, Monachorum Scytharum theſin, modo memoratam, ſecus ac deceſſor fecerat, adprobavit; et Acoemitas, acerrimos eorum hoſtes, damnavit. Sed celebratur maxime, quod ſingulari modo cenſeatur a Juſtiniano honoratus. Circumfertur utique epiſtola Inperatoris ad eum, quae a Baronio recenſetur, ad ann. 533., qua Juſtinianus profitetur, ſe *properaſſe omnes ſacerdotes univerſi Orientalis tractus et ſubjicere et unire ſedi Romanae, eamque eſſe caput omnium Sanctarum Eccleſiarum; quare ſe feſtinaſſe omnia ad notitiam ejus referre, et ab ea definitivam ſententiam quaeſtionis de negotio Acoemitarum petere.* Quae, ſi vera ſint, nimiam ſpirant adulationem, et ambitioni Paparum fovendae ſunt apta. Sed Epiſtola illa eſt ſine die et conſule, nec videtur genuina. Interea notetur, *ſubjici* Eccleſiae Romanae nihil aliud ſibi velle, ac ſequi definitionem ſedis Romanae ſponte, ex opinione de ejus orthodoxia, non vero ex autoritate, et dominio ejus. Sic de Patriarcha CPol. quoque adſerit Juſtinianus, ſe feſtinare in omnibus ſequi ſedem Apoſtolicam.

§. CCLXX. Simili, licet aliam ob cauſam, legatione ad Juſtinianum, et adfectati primatus exercitio ſeſe nobilitavit *Agapetus*, ſucceſſor ejus. Ipſe enim a Theodato, Gothorum Rege, miſſus CPolin., ut pacem inpetraret a Juſtiniano, votorum quidem non eſt factus compos, teſte Liberato, autore aequali, contrarium licet narrante Anaſtaſio, attamen Anthimum, Patriarcham CPol., quem Juſtinianus et Theodora tuebantur, Eutychianiſmi et intruſionis in ſedem convicit, eoque rem adegit, ut fuerit exauctoratus, et in ejus locum ſuffectus Mennas, quem, novo prorſus exemplo, ipſo Agapeto teſte in epiſt. ad Petrum, in actis concilii CPol. ſub Menna a. 536., quo facta Papae comprobata ſunt, ſua manu ordinavit, nulla convocata Synodo. Suſcepit quoque profeſſionem fidei et Mennae et ipſius Juſtiniani, ac Acoemitas condemnavit. Quod ipſum ad petitionem et juſſum Juſtiniani feciſſe tradit Pontificale,

in

In vita Agapeti. Narrat Anastasius, Agapetum a Justiniano precibus et minis, ex gr. *aut consenti nobis, aut exilio te deportari faciam*, sollicitatum, ut Eutychianam opinionem confirmaret, ei libere regessisse, *ego ad Justinianum Christianissimum Principem venire optavi. Sed Diocletianum inveni, quem Christianorum fuisse hostem constat*, addit *Platina*, *hac libertate loquendi, et Dei nutu, permotum Justinianum, et fidem Catholicam amplexum esse.* Inperatorem se humiliasse sedi Apostolicae, et Papam adorasse, refert Anastasius. Sed fidem non meretur, cum ejusmodi honores Papis exhibiti ab hoc tempore fuerint alieni. Mortuo vero Papa CPol., ejus Legati, coacta Synodo, perfecerunt, ut acta et decreta Papae fuerint confirmata. Sedit tantum decem mens., defunctus a. 536. *Silverius*, sicut per vim et metum, a Theodato Rege Gothorum, quem pecunia, minis, et pollicitationibus sibi devinxerat, ut narrat Anastasius, silentibus aliis, etiam ipso Liberato, in sedem est intrusus: ita brevi post, ope Theodorae, quam Vigilius iisdem artibus in partes suas traxerat, per Belisarium ducem, qui tunc Romam tenebat, e sede dejectus, et in exilium deportatus, est; ubi obiit. Inpactum ei est crimen proditionis, *subornatis*, inquit Platina, *a Vigilio testibus*, quod Gothis faveret, eosque in urbem intromittere conaretur. Vid. Liberatus in *Breviario*, qui historiam prolixe narrat, et Auxilius de *Ordinationibus*, in Analectis Mabillonii: Sed Procopius hist. Arcan. c. 1. refert, Silverium fuisse ab Eugenio aliquo, satellite Antoninae, uxoris Belisarii, nefarie occisum, modo lectio sana sit, et Silverius Papa intelligendus. Cui nescio num fidendum sit, cum obiter tantum, et verbo ejus rei meminerit.

§. CCLXXI. Hac ratione, Silverio adhuc vivo, et nefandis artibus supplantato, sedem rapuit *Vigilius*, qui Theodorae condemnationem concilii Chalcedonensis, cum tomo Leonis, ac Eutychianismi patrocinium promiserat. Statim ac Antipapa esset factus, praestitit quoque illud, superstite

adhuc Silverio, scripta epistola, et duarum in Christo naturarum addita negatione. Exhibet eam Baronius, sed spuriam censet, contra Liberati narrationem, quam Victor Tununensis, et Facundus Hermian. confirmant, qui diserte dicit, Vigilium in universam Ecclesiam protulisse anathema. Narrat praeterea Victor, *Africanos Antistites Vigilium Romanum Episcopum, damnatorem trium capitulorum, Synodaliter a Catholica communione, reservato ei poenitentiae loco, reclusisse*: imo, ubi mortem ejus memorat, addit, *eum, postquam praevaricatus est, sub excommunicatione totius Africanae Ecclesiae Pontificum, in Sicilia insula esse mortuum.* Quae verba desunt quidem in edit. Scaligeri et Canisii, sed in MSS. reperiuntur, et genuina sunt: uti notavit et demonstravit Cl. Wesselingius in Diss. Academ. de *Euangeliis ab Anastasio non vitiatis, et de Vigilio praevaricatore.* Praestitit utique sese in causa trium capitulorum, de quo postea, varium: in initio ea damnare noluit, et ipsum Mennam, cum a Justiniano accersitus venisset CPolin, a communione propterea suspendit, sed haud diu post, Justiniani violentiis fractus, emisit *judicatum*, quo edictum Inperatoris adprobavit, et in trium capitulorum condemnationem consensit, addita tamen clausula, *salva in omnibus reverentia Chalcedonensis Synodi.* Quod accidit a. 548. Ipsum quidem *judicatum* non superest, sed ejus fragmentum, sententiam condemnatoriam complexum, edidit Baluzius in *nova collect. Conciliorum.* Quo Vigilii consensu commotus est totus Occidens, in primis Africani, qui Vigilium propterea excommunicarunt. Facundus vero Hermianensis ipsum *mendacii, proditionis, collusionis cum Acephalis, ambitionis*, et aliorum similium criminum, egit reum. Rusticus quoque et Sebastianus, Diaconi Romani, in principio praecones *judicati* ejus, postea, mutata sententia, in illud palam insurrexerunt, propterea a Vigilio excommunicati a. 550. Ceterum hujus Rustici exstat libellus in Bibl. M. P. tom. X. contra *Acephalos*, sed vix sine

taedio,

taedio, propter miserabilia de vocibus *naturae* et *personae*, ac phrasium *ex duabus naturis*, vel, post unitionem *una* in Christo, vitilitigationes, legendus. Sed et ipse Vigilius, Occidentalium illos motus ad animum revocans, a *judicato suo* discessit, illudque revocavit, edito *constituto*, stante Synodo CPol. universali, quo tria capitula defendit. Imo, cum Justinianus alterum publicasset decretum contra ea a. 551., Papa eos pronunciavit a sedis Apostolicae communione suspensos, qui edictis illis consenserint. Deinceps, habita, invito nec praesente Vigilio, Synodo illa V*ta* CPol., quae capitula damnavit, Vigilius, quia adsensum negabat, in exilium est missus a Justiniano, ut refert Anastasius: quando, mutata rursus sententia, Synodo se submisit, et capitula damnavit: ut testatur Evagrius H. IV: 37., et ipse Pelagius II. Papa, in epist. ad Episcopos Istriae, ipsum denique Vigilii constitutum apud Baluzium in *nov. collect.* Sed exilium fictum esse, et Papam mox Synodo subscripsisse, et CPol. mansisse ad a. 554. mens. Aug. disputat Norisius de *Synodo* V*ta*. Denique, cum Romam peteret, decessit in itinere in Sicilia a. 554. Quantopere haec historia Papalem autoritatem infringat, in oculos facile incurrit.

§. CCLXXII. Vestigia ejus pressit ejus successor *Pelagius*, qui capitulorum primum defensor, et socius calamitatum Vigilii, post ejus mortem, spe Pontificatus, Synodum V. confirmavit, damnatis capitulis, eaque ratione sedem Romanam a Justiniano inpetravit: ut narrat Victor Tununensis. Sed et alio nomine animadversionem meretur ejus electio, quod novus fuerit introductus eligendi mos, cum Orientis Inperatores, exemplo a Gothis tracto, sibi electionis confirmationem vindicarint, quem ad Carolum M., vel Pipinum usque, retinuerunt. Defuncto Papa, ut modum electionis paulo distinctius tradam, cura sedis tribus Cleri ministris committebatur, Archi-presbytero, Archi-diacono, et Primicerio Notariorum, a quibus mors Papae

 nuncia-

nunciabatur Exarcho Inperatoris, Ravennae residenti. Post justa defuncto persoluta, et tridui jejunium, electio fiebat a Clero, Optimatibus, populo, et militibus Inperatoris, quae, ad Inperatorem delata, ab eo adprobabatur; quo facto electus ordinabatur, et ordinatus fidei confessionem ad omnes mittebat Ecclesias. Quae omnia constant ex *libro diurno Romanorum Pontificum.* Vid. etiam Mabillonius in comment. praevio ad *Ordinem Romanum.* Inpendit vero Pelagius omnem operam decretis Synodi V. propagandis. Episcopos Tusciae, qui nomen ejus inter sacra mysteria propterea recusabant recitare, epistola ad eos data a. 556., increpuit. Sed Africani et Illyrici, qui coactis Synodis in Synodum V. insurrexerant, adducti sunt, cum reliquis fere Italiae Episcopis, ad capitula damnanda: ut habet Victor Tununensis; Venetiarum vero et Istriae nullo modo ad id compelli potuerunt, licet Papa vim voluerit adhiberi per Narsetem, teste Epistola ejus ad ipsum. Tradit quoque Platina, eum *constituisse, ut haeretici et schismatici coerceri etiam secularium manu possent, quando ad sanitatem rationibus non deducerentur*, quod epistolae ejus ad Narsetem convenit, ubi dicit, exempla et constituta plurima evincere, posse a supremis potestatibus schismaticos puniri, non tantum exilio, sed et bonorum confiscationibus, et duris carceribus. Sed vita excessit a. 556. Omisi notare, licet tanti non sit, ipsum vices suas per totam Galliam delegasse Arelatensi Episcopo, misso ei pallio. Quam eandem viam in Synodo V. defendenda tenuit, qui ipsi successit, *Johannes* III., sub quo Antistites urbium, qui consecrabantur, in Synodi istius decreta jurarunt, et fidei suae chirographum ad sedem Apostolicam transmittebant: ut Gregorius M. *l.* III. ep. 2. ad Constantium testatur. Cum vero instituerit, ut oblationes et luminaria in coemiteriis per omnes Dominicas ministrarentur, teste autore *libri pontificalis*, et Anastasio in ejus *vita*, ritum in coemiteriis offerendi nondum obsolevisse, hinc elucescit.

§. CCLXXIII.

§. CCLXXIII. Misso *Benedicto*, de quo nihil memorabile constat, *Pelagius* II. nostram meretur haud uno nomine adtentionem. Praeterquam quod nihil intactum reliquerit ad Transpadanos, Istros, et Venetos, qui soli ex Italiae Episcopis in Synodo V. repudianda perseverabant, seseque sedi Romanae subducebant, ad saniorem mentem reducendos, litteris non tantum scriptis, sed et Exarcho contra eos concitato, qui eos vi cogeret, nihil autem aut parum profecerit: novae sub Ipso coeperunt cum sede CPolitana lites de titulo *Episcopi Oecumenici*. Qua de re distinctius est disserendum. Ex quo CPolitanus amplissimam nactus est jurisdictionem, honoris quoque privilegio supra omnes, post Romanum, evectus, titulis quoque ornatus est peculiaribus, in specie *Oecumenici*, *et universalis*, *Episcopi*, jam a Justiniani non tantum temporibus, qui Mennam, Epiphanium et Anthemium, hoc titulo variis in rescriptis insignivit, ut ex novell. 7, 16, et 42., patet, sed et antea sec. V*to*. Leo enim Inperator Stephanum adpellavit *Patriarcham universalem*, novell. 2. etc. Ipse Justinianus Ecclesiam CPolitanam nuncupavit *omnium aliarum caput*, in cod. l. I. tit. 2. Quid? quod Avitus Viennensis ep. 23. ad Episcopum Hierosolymitanum, ei dicat, *Vester Apostolatus exercet primatum*, *quem Deus ei concessit per praerogativas*, *et in primis merita*, *tenetque primum locum in Ecclesia universali.* In concilio CPol. sub Menna a. 536., a Papa adprobata, Patriarcha CPol. passim hoc titulo fuit ornatus; testibus ejus actis. Dein, Pelagio Romanam sedem tenente, cum Johannes Jejunator, CPol. praesul., eum titulum sibi confirmari fecisset in Synodo CPol. a. 588., in causa Gregorii, Episcopi Antiocheni, coacta; de qua vid. Evagrius H. VI: 7., duarum sedium invidia vel aemulatio lites et discordiam peperit. Pelagius enim, hoc aegre ferens, Johannem non tantum increpuit, sed et Synodi acta, exceptis quae ad causam Gregorii pertinebant, cassavit, et Apocrisiario suo apud Inperatorem interdixit communione cum Johanne, ut refert

ſed nullum unquam tali vocabulo adpellari voluiſſe. Argumenta, quibus titulum illum refutat, per epiſtolas illas ſparſa, huc ſummatim redeunt. 1. Univerſalis ſi ſit Epiſcopus, ipſeque cadat, univerſa ruat Eccleſia neceſſe eſt. 2. Nullus Pontificum Romanorum illum ſibi adrogavit. 3. Univerſi Epiſcopi reliqui, ſi quis, etiam ipſe Romanus Epiſcopus, hoc adpelletur nomine, privarentur honore debito. 4. Praeceptis canonicis adverſus eſt, et 5. publicum parit omnibus ſcandalum, denique 6. honori quoque inperii Auguſti quis ſeſe per hunc titulum privatum ſuperponit. Ut autem eo fortius retunderet adrogantiam Johannis, ſeſeque humiliaret, ſe *ſervum ſervorum Dei* inſcripſit, teſte Johanne Diacono in *vita Gregorii* l. IV. c. 58. Vid. et Beda hiſt. Anglorum l. I. c. 28. Quae inſcriptio nonnullis quoque in ejus epiſtolis comparet, uti l. VIII. ep. 1 et IX: 1. Unde titulus *ſervi ſervorum Dei*, quo Papae utuntur, originem repetiit.

§. CCLXXVI. Quod ad hanc litem adtinet, ut paucis obſervatis mentem exponam, 1. Titulus *epiſcopi univerſalis* jam ante non tantum fuit in uſu, ut modo notavi, ſed et reliquis Patriarchis nihil adfert praejudicii, cum omnes eum, ſecundum Veterum opinionem, ferre potuerint, ſicut omnes Apoſtoli adpellari queunt *univerſales*. CPol. vero Praeſul tantum honoris cauſa eo fuit ornatus, quia ejus erat ampliſſima gubernatio. Perrexerunt quoque ſequentibus ſeculis eo uti: ſicut ſuo loco patebit. Vid. etiam Pfaffius in Tempe Helvet. tom. IV., qui et ſanum, noſtro conforme, de eo fert judicium. 2. Rectius tamen feciſſent Epiſcopi CPolit., ſi ab eo, quippe Epiſcopis minus congruo, abſtinuiſſent. 3. Vidit quoque Gregorius noxia ejus conſequentia, ſed, quod ille non advertit, quae non tam in CPolitanis, quam Romanis Praeſulibus fuerunt conſpicua; teſte experientia. Res vero ipſa 4. titulo, vera ſua emphaſi ſumto, comprehenſa, eſt ab omnibus Epiſcopis alieniſſima; quod probe intellexit ipſe Gregorius: cujus dicta propterea

II. ep. 32. ad Johannem Ravennatens. a. 592. Duravit quoque illud schisma Aquilejense diu post, non nisi sec. VII. in fin. exstinctum, sedente Siricio. Concilium adhuc celebratum est eo seculo Aquilejae contra tria capitula, argumento, tunc nondum defuisse, qui ea fuerunt tuiti. Vid. Paulus Diaconus de *Gestis Longobard.* l. VI: 14. et Anastasius in vita *Sergii.* Singulare est, quod, *una* mersione celebrare baptismum, permiserit Hispanis, ut unam divinitatem profiterentur contra Arianos, qui, convenienter hypothesi suae, *trinam* urgebant, Vid. l. I. ep. 41. ad Leandrum Hispalensem, ubi hoc notabile etiam occurrit, *in una fide nihil officere Ecclesiae consuetudinem diversam.*

§. CCLXXV. Missis, quae ad coelibatum Clericorum, et venerationem sanctorum, ac reliquiarum, etiam ad disciplinam, regimen, et alia similia, spectant, supra suis locis adducta, in quibus, ex Epistolis Gregorii, recensendis prolixus et accuratus est Dupinius in Script. Eccles., de vehementi ejus oppositione titulo *Episcopi Oecumenici*, quam Johannes CPol. sibi omni fere pagina dabat in actis, causa Johannis, presbyteri Chalcedonensis, de quo mox, ad Gregorium missis, facta, distinctius exponam, ex variis litteris Gregorii, ut ad Ipsum Johannem, ad Mauricium Inperatorem, Constantinam Augustam, Episcopos denique Alexandrinum et Antiochenum; quae exstant lib. IV. ep. 32. et sequentibus. Invectus ibi in hunc titulum est ingente cum zelo, tanquam intolerandae superbiae signum, Papis et Patriarchis reliquis injuriosum, Christo, capiti universali Ecclesiae unico, contrarium; adeoque Antichristi, ejusve praecursoris, characteristicam notam. *In quo scelesto vocabulo consentire*, nihil aliud esse dicit, ac *fidem perdere.* Observat praeterea, Petrum, cui *cura universalis Ecclesiae cum principatu est commissa*, adpellatum tamen non esse *Universalem Apostolum.* Adserit quoque, sedis Apostolicae Antistites, seu Papas Romanos, per concilium Chalcedonense *universalis Episcopi* titulo, oblato honore, esse condecoratos,

votionem, etiam ſeveram in Monaſterio diſciplinam tenuit, adeo ut ne proprii quid vel minimum, ne in occulto quidem, habere permiſerit Monachis, cujus notabile exſtat exemplum in Dialog. l. IV. c. 55., attamen haud una ratione nomen ſuum commaculavit. 1. Quanta laboraverit ſuperſtitione, et credulitate, vel ſoli Dialogorum libri manifeſtum faciunt; cujus et alia proſtant indicia, ſuis locis memorata. 2. De ambitione ſatis teſtantur vehementes illae lites cum Johanne CPolitano, ſuper titulo Epiſcopi Oecumenici, quippe inde praecipue natae. Tradit quoque Platina in Gregorio, ipſum Mauritio Inperatori, qui Johannis titulum confirmari voluit, reſpondiſſe, *poteſtatem ligandi et ſolvendi Petro traditam, ejuſque ſucceſſoribus, eſſe, et non Epiſcopis CPolitanis.* Sapit quoque jactantiam, quod ipſe de ſe dicit l. IV. ep. 47. *ſi in Longobardorum morte me miſcere voluiſſem, Longobardorum gens hodie nec Regem, nec Ducem, nec Comitem haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa, ſed, quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido.* Paulus Aquilejenſis Diaconus de *geſtis Longobardorum*, l. IV. c. 30., illud dictum repetens, ſubjicit, *ecce quantae innocentiae vir fuit, qui nec in morte Longobardorum, qui utique et increduli erant, et omnia devaſtabant, ſeſe voluit admiſcere.* 3. Intolerandae adulationis proferri quoque poſſent indicia nonnulla. Phocae, crudeli et peſſimo viro, ad regnum injuſte provecto, adulatus eſt, ut eum in partes ſuas traheret l. XI. ep. 28, 45, 46. In Mauricium, Sede ab ipſo deturbatum, inpotentiſſime detonuit in comment. ad *Pſalmos poenitentiales;* modo ejus ſit opus, quod Benedictini, nuperi editores, volunt, nec interpolatum: de quo valde dubito, cum ſtilus alium videatur arguere autorem. Eodem modo ſeſe erga Brunichildam, Reginam Francorum, geſſit, quia Clericis favebat; habetur enim peſſimorum morum foemina. Inter facinora ejus recenſetur, quod Deſiderium, Viennenſem Epiſcopum, libidinum ejus caſtigatorem, necari fecerit. Quae hiſtoria exſtat in Antiq. Lection. Ca-

iſii

nisii tom. II. p. III. ab Adone sec. IX. scripta. Nec tamen idem de facinoribus Brunichildae sentiunt, nec desunt, qui eam excusant, quod vel ignoraverit, vel post ejus mortem facinora patrata sint. Vid. notae ad Ep. *5tam* lib. VII. Defendit quoque eam Mariana hist. Hisp. l. V. contra Gallicos scriptores, minus solide.

§. CCLXXVIII. 4. Spiritum persecutionis etsi aliquando occultavit, vere tamen gessit, et ejus principia fovit ac sparsit. Judaeos ad baptismum noluit vi cogi l. I. ep. 45., sed vi indirecta censuit gentiles rusticos in Sardinia convertendos esse l. IV. ep. 28., nec non Judaeos pollicitationibus esse incitandos, et haereticos ad Ecclesiam compellendos l. IV. ep. 6. Dicit quoque ibid. ep. 46. ad Leontiam, uxorem Phocae, *quicquid in Deo exceditur, non inultum relinquere, et, si quid in vobis delinquitur, parcendo tolerare.* Sic et Moral. l. XX. c. 7. haereticos omnes tradit a *sancta Ecclesia judicari ipsa vita indignos*: incitat quoque l. I. ep. 74. Patricium Africae ad *reprimendos haereticos*, seu Donatistas. Vid. et l. IV. ep. 34. quin laudat ep. sequente, quod per bellum religionem Christianam promoveat inter infideles. Porro l. V. ep. 8 dicit, Judaeos esse praemiis adliciendos, et *si ipsi minus fideliter veniant, hos tamen, qui de ipsis nati fuerint, jam fidelius baptizari.* Sed l. IX. ep. 6. eos invitos non vult adduci, et l. XIII. ep. 12. principia ponit, *omni* violentae conversioni contraria. Excidit quoque ipsi sententia Christiana l. III. ep. 53. *nova vero ac inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem.* Cui concinit, quod hac occasione non abs re fuerit notasse, Junii Orgelitani in Hispania episcopi, hujus seculi, observatum, in *Cantici Canticorum explicatione*, brevitate commendabili, nec lectione indigna ab iis, qui Mysticum Cantici intellectum, secundum Veteres, cognoscere cupiunt, in Bibl. M. P. tom. IX., quod habet, dictum sponsae, *adjuro vos filias Jerusalem*, idcirco in eo libro repetitum esse, *ne quisquam Doctorum vel muneribus sollicitet, vel minis deterreat credituros,*

 sed

sed tantum quae sancta sunt praedicet, *et voluntarie ad fidem, vel religionem, credituros sive convertendos adducat.* Ipse Gregorius, ut hoc addam, in epist. ad Regem Anglorum Edilbertum, apud Bedam l. I. c. 32. etiam obvia, modum propagandi euangelii his verbis praescribit: *Zelum rectitudinis tuae in eorum*, (subditorum) *multiplica conversione, idolorum cultus insequere, fanorum aedificia everte, subditorum mores ex magna vitae munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, et boni operis exempla monstrando, corrige* etc. Suadet tamen in epist. ad Mellitum, in Angliam cum aliis missum, apud Bedam l. cit. c. 30. ut fana Gentilium non destruantur, sed, sublatis idolis, Deo consecrentur, *aqua* inquit, *benedicta fiat, in iisdem fanis adspergatur, altaria construantur, reliquiae componantur.* Porro permittit, *ut cum boves in sacrificio daemonum multos occidere soleant, die dedicationis, vel natalitiis sanctorum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis solennitatem celebrent, nec Diabolo jam animalia inmolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant. — — — nam duris mentibus simul omnia abscindere inpossibile esse, non dubium est*, etc. Adrogavit denique sibi Gregorius potestatem prohibendi libros l. VI. ep. 66.

§. CCLXXIX. 5. Seculares litteras maxime aversatus est. Habetur quidem lib. V. ad 1 Reg. oper. tom. III. p. II. p. 295. eas ad intellectum Script. S. facere, eoque nomine sectandas esse; sed illud opus ejus non est, seu a discipulo interpolatum. Utique ex litteris ejus constat, eum profanorum, ut adpellantur, autorum lectioni se opposuisse. Vid. l. XI. ep. 54. et ibi notae. Narrat quoque Johannes Sarisberiensis *de nugis curialium*, eum magnam eorum copiam flammis tradidisse, utique bibliothecam Palatinam, ab Augusto conditam, in cineres redegisse. Concludam ejus historiam verbis Rubei, in vita Bonifacii VIII. de Gregorio:

rio: *accusatus fuit effusi sanguinis, et Malchi episcopi in carcere occisi, thesauri Ecclesiae dilapidati, doctrinae non sanae, contendentibus aemulis, ejus libros, tanquam reos haereticorum dogmatum, Vulcano debere tradi.* Quod ultimum ipse Johannes Diaconus in vita Gregorii confirmat, ubi narrat, Petrum Diaconum illud inpedivisse, adfirmando, se saepe columbam vidisse super capite Gregorii, in signum Spiritus S., eum occupantis. Quale figmentum de Basilio M. etiam protulit Ephrem oratione in Basilium in *monumentis* Graec. Cotelerii tom. III. Opera Gregorii novissime et optime sunt a Benedictinis edita, additis excerptis eorum in Vet. et Nov. Test. a Paterio, discipulo ejus, et Alulfo Tornacensi Monacho in init. sec. XII. Ceterum inter notabilia Gregorii dicta, ut illud obiter subjungam, est 1. *in creaturae laudem non debere dari vocem, quae soli Deo convenit*, adeoque scripturae dicta non esse ita adcommodanda l. VII. ep. 7. A quo Papae nimium quantum discesserunt in posterum. 2. Latinorum codices conciliorum esse multo veriores Graecis, et Latinos, sicut Graecorum acumina non habent, ita nec inposturas habere; lib. VI. ep. 14. 3. Notari meretur, Ipsum de miserabili Occidentis, in primis Italiae et Romae, statu per Barbaros, saepe querelas effundere, ut in homiliis ad Ezechielem, ex. gr. in praefat. et l. II. hom. 6. nec non Dialog. l. III. c. 38. et epist. 20. lib. V. De morbis lethalibus, et desolationibus, ubique grassantibus vid. l. IX. ep. 123. et III. ep. 38., ubi 35 annos se a Longobardis adflictum tradit. Denique 4. silentio non est praetereundum, Johannem Diaconum referre, Trajanum fuisse precibus Gregorii inferis ereptum, et coelo adsertum. Quam fabulam Docti jam exploserunt, uti Natalis Alexander diss. I, ad sec. IIdum; licet diu fuerit pro vera habita.

§. CCLXXX. Ex hac Paparum historia manifestum est, eos sese supra omnes Occidentis Praesules elevasse, et jurisdictionem universalem sibi vindicasse. Quod per partes

egregie deduxit Dor. Aſcianus in *montibus pietatis*, etc. p. 40. Quod ejus opus, licet minus tritum, multis nominibus eſt commendabile. *Synodalium legem eſſe*, inquit Alcimus Avitus, ep. 36., *ut in rebus, quae ad Eccleſiae ſtatum pertinent, ſi quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanae Eccleſiae maximum ſacerdotem, quaſi ad caput noſtrum membra ſequentia, recurramus.* Sedem Romanam *univerſali Eccleſiae jura ſua tranſmittere*, adſerit Epiſcopus Ravennas apud Gregorium M. l. III. ep. 57. qui addit, *ſe propter conſervandam ſedis autoritatem multos excitaſſe hoſtes.* Petro claves Eccleſiae eſſe commiſſas tradit l. IV. ep. 43. et V: 20. ubi dicit, *cunctis, euangelium ſcientibus, liquere, quod, voce Dominica, ſancto, et omnium Apoſtolorum principi, Petro Apoſtolo totius Eccleſiae cura commiſſa eſt.* Alibi tamen l. VII. ep. 40. fatetur, Petri cathedram non Romae tantum, ſed et Alexandriae, ac Antiochiae eſſe, quas ſedes inter ſe aequat. Sic et l. VIII. ep. 30. negat ſuum eſſe, *jubere* aliquid Alexandrino. Epiſt. 37. l. II. agnoſcit, primatum Papae ſe non extendere ad jura et privilegia aliorum Epiſcoporum *infringenda.* Quod ſi genuina foret Vigilii Epiſtola ad Profuturum, Epiſcopum Hiſpaniae, Papae jam inceperunt tenere, Epiſcopos vices tantum gerere Paparum, et in partem ſolicitudinis venire, non in plenitudinem poteſtatis. Sed vel ſpuria eſt, vel ſaltem pro ſpurio eſt habendum caput ſeptimum de primatu Papae, quod in nonnullis etiam codicibus deſideratur. Vid. Baluzius nov. collect. concil. p. 1468, ubi epiſtola exſtat, et in *collectione maxima* Conciliorum Hiſpaniae tom. II. Utique regula illa eſt recentior. De poteſtate papali quoque teſtatur, et ad eam promovendam multum contulit, *Vicariatus*, variis jam in locis conſtitutus: de quo ſupra ad ſec. praecedens jam quaedam obſervavi, hic nonnulla addam.

§. CCLXXXI. Titulo *Vicariatus* poteſtatem dabant Papae Epiſcopis cauſas canonica et Apoſtolica aequitate diſcutiendi, et prolato judicio finiendi, exceptis certaminibus de fide,

fide, aliisque negotiis, quae pro sua magnitudine terminari non possent, nisi ab Apostolica sede, cui erant reservanda: ut declarat Pelagius I. epist. 12. Quem in finem moris jam erat, ut vicariis fuerit *pallium* missum Roma a Papis, licet non sine consensu Inperatorum, vel Regum, qui hoc seculo adhuc fuit requisitus, ut ex Gregorii epistolis variis, ex. gr. l. I. ep. 27. VII: 5. et IX: 11. patescit. Jus metropoliticum una cum pallio fuisse Johanni Ravennatensi ab Inperatore Valentiniano concessum tradit Agnellus Ravennas, sec. IX. scriptor, in *vitis Episcoporum Ravennatensium*, in corpore scriptorum Italiae Muratorii tom. III. quod etsi refutet ibid. Dachinius, concedit tamen, illud ad petitionem Inperatoris esse a Papa factum. Ceterum *pallium*, qui vocis est notabilis abusus, Graecis dictum ὠμοφόριον *humerale*, ex lana confectum, et cruces intertextas habens, supremum expingebat pastorem, ovem perditam humeris gestantem; cujus usus apud Graecos fuit quoque Metropolitanorum et Episcoporum, sed in Occidente insigne vicariatus, dein ad omnes metropolitas translatum, sed qui eo ipso Vicarii Papae sunt constituti. Pallium, a Papa Archiepiscopis datum, coepit deinceps haberi pro communicatione partis plenitudinis potestatis Papalis, more ab Inperatoribus Romanis ducto, qui partem quandam majestatis Inperialis deferre solebant per usum *coccinei pallii* et *purpurae*, ut J. a Costa ex Capitolino in Albino observavit ad Decretalia Gregorii IX. p. 98. Ubi, quod notandum, addit, negari non posse, multa recepisse Pontifices Romanos ab Inperatoribus Romanis. Ceterum cavit concilium Matisconense in Gallia a. 581., ne Archi-episcopus *sine pallio missas dicere* praesumat. Quod pallium nonnulli a Vicariatus insigni distinctum volunt: sed pallii usus non erat extra Missarum tempora, Vid. Gregorius M. l. III. ep. 56., qui tamen Ravennatensi Episcopo etiam in Litaniis, sed certis diebus, ibi nominatis, concessit l. V. ep. 11. 56. Vid. et l. VI. ep. 34. Plura qui de Pallio velit, adeat, praeter Can-

telium in historia urbium Metropolit. p. I. diss. 3. et alios; inprimis Ruinartum diss. de *pallio Archi-episcopali*, in operibus Posthumis Mabillonii, et Ruinarti, tom. I.

§. CCLXXXII. In ipsam Ecclesiam CPolitanam sibi multum adrogasse juris Papas Romanos, ex superiore eorum historia satis constat. Gregorius M. l. VII. ep. 67. Ecclesiam CPol. adfirmat esse sedi Apostolicae subjectam, ab omnibus agnosci. Vid. et l. IX. ep. 12. Sed Episcopi CPol iis semper, quantum pote, restiterunt, nec illam ullo modo admiserunt autoritatem: ut ex superioribus constat Mansit quoque Majestas Imperatoria in rebus Ecclesiastici sarta tecta: Synodos enim convocarunt Inperatores, edicta de fide et religione ediderunt, acta Synodorum confirmarunt, nec sine eorum consensu Episcopi, Romano non excepto, ordinari poterant, ut ex dictis et dicendis patet Justinianus in primis hanc potestatem exercuit, qui Ecclesiasticos canones sua autoritate stabilivit, etiam poenis vindicavit. Quando etiam orti sunt *nomo-canones*, a Johanne scholastico, Eutychio in exilium pulso, a Justiniano suffecto in sede CPol., primum collecti. Sed modum hac parte non tenuit Justinianus, quippe qui cum Doctoribus Ecclesiarum de rebus Divinis disputando eos convincere non valens quaestiones Theologicas inperiali fastu, ac vi aliqua tyrannica, decidere fuerit saepe solitus. Agapeto Papae, ex. gr duas in Christo naturas contra Monophysitas adserenti, dixi Justinianus, tunc iis adhaerens, *aut consenti nobis*, *aut exilio te deportari faciam*, teste Anastasio in Agapeto. Episcopos quoque a se in rebus divinis dissentientes in vincula trusit, vel etiam cruciavit, quin poena capitali adfecit, Vic Victor Tununensis in Chron., et Liberatus in Breviario c 34. Qua ratione, ut id obiter addam, saevierit in Arianos, aliosque sectarios, etiam Samaritanos et gentiles, legum et armorum vi ad Christianismum coegerit, refert Procopius hist. Arcan. c. 11. non tantum, sed et Theophane: Ipsos Catholicos quantopere vexaverit propter tria capitula

aliasqu

aliaſque controverſias Theologicas, ex hiſtoria ſatis conſtat, et Procopius l. cit. indicat. Satis pro inperio quoque dixit Chilpericus, Rex Francorum, in *conſtitutione de Trinitate* a. 583. apud Goldaſtum Conſtit. Inperial. tom. I. p. 11. *Sic volumus, ut Archi-epiſcopi, Epiſcopi, et reliqui Doctores Eccleſiarum credant ac doceant.* Inter Francos quoque electionis Epiſcoporum, a Clero et plebe civitatis factae, inſtrumenta ad Regem mittebantur, et ab eo adprobabatur vel rejiciebatur, ita ut nemo ſine regis autoritate hunc gradum nanciſceretur, ſicut ex Gregorio Turon., variis locis, patet; canon quoque concilii Aurelianenſis V. a. 549. indicat, quo habetur, *cum voluntate Regis juxta electionem Cleri et plebis, ſicut in antiquis canonibus tenetur ſcriptum, a Metropolitano — — cum comprovincialibus Pontifex conſecretur.* Imo fuerunt ſubinde nonnulli ſine populi et Cleri electione a Rege *e palatio* conſtituti, quod lege ſancivit Chlotarius II. in edicto, quo Synodum Pariſienſem a. 615. confirmavit. Denique Reccaredus Rex concilii Toletani III. in Hiſpania actis a. 589. hac ratione ſubſcripſit: *Reccaredus Rex hanc deliberationem, quam cum ſancta definimus Synodo, confirmans ſubſcripſi.* Quod Mariana hiſt. Hiſp. l. V. non debebat, tanquam ſingulare et inſolens, adnotare. Denique Reges, ſi leges et canones non obſervent, condemnari ab Eccleſiaſticis non poſſe, ſed Dei judicio eſſe relinquendos, agnoſcit Gregor. Turon. hiſt. l. V. c. 19.

SYNODI.

§. CCLXXXIII. Una hoc ſeculo habita eſt Synodus Univerſalis, CPolitana II., cujus notitiam dedit ſatis luculentam Noriſius, de *Synodo Oecumenica V.*, a. 553. Juſtiniani 17*mo*, ut Noriſius multis probavit, ab Inperatore Juſtiniano, et non a Papa, convocata, ut ex Evagrio H. IV: 37., ipſius Juſtiniani ſacra ad eam collatione prima lecta, et in Actis Synodi obvia, aliiſque teſtimoniis, extra contro-

versiam esse debet. Vid. etiam Launoius p. VI. epist. 5. ne alios memorem. Vigilius Papa tantum abest, ut id fecisset, ut ne quidem adsensum in initio praebere voluerit, et postea tantum, ad multas instantias, eo venerit, ut consenserit, si ex pari Latinorum ac Graecorum numero componeretur Synodus. Quod licet in principio concesserit Inperator, postea tamen, Graecis, qui ingente numero aderant, tumultuantibus, mutavit sententiam, et, invito Vigilio, Synodum indixit. Praesidem egit non Papa, qui ne interesse quidem voluit, licet ei praesidium fuerit oblatum, teste epistola Eutychii ad eum, sed Eutychius, Patriarcha CPolit. Adfuerunt praeterea Patriarchae Alexandrinus et Antiochenus, sed Hierosolymitani legati, cum reliquis Patribus, numero 165. Primasius vero, Byzacen. provinciae Episcopus, Illyriciani, aliique Italiae Episcopi, interesse recusarunt. Habita nihilominus est *Oecumenica* Synodus, qualem se ipsa gessit, ab ipsis quoque dein Latinis, postquam Paparum adcessisset adprobatio.

§. CCLXXXIV. Proximam et praecipuam causam, et occasionem, Synodi dederunt *tria*, ut adpellantur, *capitula*, et motus eorum causa orti. Sunt autem illa capitula scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, et Ibae Edesseni, quae ad Nestorianismum censebantur pertinere, et ei favere. Theodorus enim ejus praelusor habebatur, Theodoretus patrocinatus erat Nestorio in Synodo Ephesina non tantum, sed et Cyrilli anathematismos scripto refutaverat, pessime etiam de Cyrillo locutus, ut in epistola ad Domnum Antiochenum de morte Cyrilli scripta, et in hac Synodo lecta, Ibas denique Edessenus, in epist. ad Marin Persam, Theodorum miris extulerat laudibus, Nestorium praecipite sententia esse damnatum dixerat, et Cyrillum accusaverat Apollinarismi. Exstat epistola in actis concilii Chalcedon. act. X. Sed eorum damnationem Justiniano suggessit Theodorus Caesareensis, acerrimus Origenianismi patronus, duplici usus praetextu, *altero*, ut Acephalos, sectam Eutychianam, in

in gratiam hac ratione cum Eccleſia Catholica adduceret, et Eccleſiae pacem redderet, *altero*, ut Neſtorianis arma eriperet, quibus ſe hoc ſeculo tuebantur. Acephali nimirum aegre ferebant, haec eorum virorum ſcripta, Neſtorianiſmum ſpirantia, non fuiſſe a concilio Chalcedonenſe damnata, imo ſilentio praetermiſſa, autoribus quoque laudatis, et in communionem receptis: unde, illud concilium favere Neſtorianiſmo, collegerunt. Neſtoriani vero, cum, in Epheſina Synodo in Neſtorio damnati, res ſuas eo nomine ſe amplius agere non poſſe viderent, alia adgreſſi ſunt via ſectam promovere, per ſcripta ſcilicet Theodori, Theodoreti, et Ibae, contendentes, eos in concilio Chalcedonenſe eſſe laudatos. Interea vera cauſa, quae Theodorum incitavit, longe alia fuit, ut Origeniſtis patrocinium praeberet, vel ſaltem eorum adverſariis vices rependeret. Origeniſtae enim a Theodoro Mopſueſt. non tantum erant refutati, ſed et hoc tempore a Juſtiniano, ope Pelagii, Diaconi et Apocriſiarii Romanae ſedis, damnati: ut mox narrabo.

§. CCLXXXV. Juſtinianus, his rationibus motus, maxime, quod Acephalos ad Eccleſiam reducere ſe poſſe ſperaret, multum eo tribuente Theodora Auguſta, quae Acephalis favebat, teſte Evagrio H. IV: 10. primum emiſit *edictum* a. 544., quod non ſupereſt, ſecus ac Baronius, et poſt ipſum alii, putant. Deinde, poſt publicatum a Vigilio contra tria capitula *judicatum*, et litteras, ab Inperatore quaquaverſum miſſas, quibus ad ſubſcribendum compellebantur Antiſtites a. 548., celeberrimum illud in lucem prodiit *edictum* a. 551., a Baronio licet ad a. 547. recenſitum, ut Noriſius demonſtrat l. cit. c. 5., in quo Juſtinianus dogmata profert contra Arium, Neſtorium, et Eutychen, quatuor adſumit Synodos Oecumenicas, canones quoque ſancit contra Neſtorianos et Eutychianos; denique tria illa capitula ſub anathemate damnat, et eorum defenſores refutat, ex Auguſtino probans, defunctos in communione Eccleſiae damnari poſſe. Exſtat etiam illud edictum in Chronico Paſchali.

... aliquo in capite
ſpes erat, ut nervi ei
ligi poſſet illud faviſſe
Orthodoxorum movit
endam, quia ab Aceph
tum, ſed et capitula ill
nexa eſſent, nec illa ſin
poſſe. Nec tamen inte
dicam ſcripſerunt, parti
compulſi, partim quod
vere, et ſine concilii inj
ta eorum non probaverit
do ſatisfeciſſent, in comn
Synodo jam finita, cauſa
ut ea ad Synodum ipſam
utrinque diſputatum eſt, d
nari non poſſe, nec eos a
mi, contendebant, alii t
parum juvit, quod Synodus
550. habita, detexerit, Th
mortem fuiſſe diptychis
Cyrilli, quia Theodorum,
rem, detexerat; inveniri q
tychis, ſed eum eſſe recen
laria ...

lis, non obstante etiam Vigilii contra illa judicato, de quo in ejus vita egi. Ipse etiam Papa male audiebat Romae, inpulsore maxime Festo, Monacho Africano, Gillitani Monasterii hegumeno, multumque eo tribuentibus Vigilii Diaconis, Rustico et Sebastiano, qui, primum judicati praecones, sese ei postea acriter opposuerunt, propterea a Vigilio excommunicati: quae sententia Actis Concilii V. inserta est. Praeterea Illyrici Episcopi, Synodo coacta a. 549., damnarunt judicatum, et capitulorum damnationem oppugnarunt, teste Victore Tununens., uno dissentiente Benenato, Metropolita primae Justinianeae, et propterea a sacris prohibito. Ulterius adhuc processerunt Africani, qui, duce Reparato Carthaginense, judicatum non tantum repudiarunt, sed et Vigilium anathemati subjecerunt a. 550., ut Victor Tunun. refert. Omnium vehementissimus capitulorum defensor fuit Facundus Hermianensis, libris etiam pro ea caussa editis. De quo supra suo loco. Unde in oculos incurrit, quantopore fuerit Ecclesia perturbata, simul quam acerrimum Zelotarum, quod hominum genus civitati et Ecclesiae infinita peperit, per omnia secula, mala, pro tantilla causa studium. Cujus et hoc est indicium, quod scriptis, Synodorum decretis, et anathematismis non tantum, sed et armis ac exiliis secum decertarint, ita ut nec a caede abstinuerint. Vigilius utique in sententia, contra memoratos Diaconos lata, conqueritur, *humanum sanguinem in aliquibus locis intra Ecclesiam fuisse fusum.*

§. CCLXXXVII. Ad hanc praecipuam Synodi causam accessit alia, quam Origenis sectatores, et inde orti motus, praebuerunt, qui litibus de tribus capitulis praecesserunt, etiam ex parte eas pepererunt, uti modo notavi; quod nunc distinctius est enarrandum. Vid. Huetius in *Origenian.*, et Norisius l. cit. Cum duobus praecedentibus seculis de libris, et dogmatibus, Origenis varie esset judicatum et disputatum in Ecclesia, nonnullae etiam turbae propterea extitissent, uti tempore Ruffini et Hieronymi, Theophili

Alexandrini et Chrysostomi etc., ita tamen, ut toto fere in orbe Christiano Origenianismus fuerit reprobatus, *hoc tamen* seculo ea contentio in nervos praecipue erupit, et ultima ei proscribendo manus est imposita. Motuum ansam praebuerunt Monachi *novae Laurae* in Palaestina, ad torrentem Thecoum, a Saba in gratiam nonnullorum ornatae, qui erecta ab eo asceteria male deseruerant,) et postea in gratiam cum eo redierant. Qui Origenianismo fuerunt infecti praecipue a Nonno Palaestino, et Leontio Byzantio, Origenistis, in Lauram a Paulo, praefecto ejus, admissis: qui, licet postea sub Agapeto, Pauli successore, ejecti, eo redierunt sub Mama, ejus successore. Dein mortuo Saba, quietem, quam eo vivo tenuerant, palam excusserunt, nec novam tantum Lauram, sed et alia istius eremi monasteria, infecerunt; a. 531. et 532. Vires postea acquisivit Origenianismus, cum duo Nonni discipuli, Domitianus et Theodorus, ille Ancyranus, hic Caesareae Cappadociae, inde Cappadox dictus, creati sunt Episcopi, quando palam non tantum Origenianismum propagarunt, sed et armis *multisque* violentiis usi sunt in eos, quos sibi subjicere nequibant: si credendum sit Cyrillo Monacho in vita Sabae §. 83. etc. Quae a. 540. acciderunt. Deinceps vero sub Cassiano, ipsoque defuncto, sub Conone, Laurae Praefecto, reformata quidem est Laura, jam fere deserta per Orthodoxorum expulsionem, et Origenistarum zelus multum repressus, maxime cum in Synodo, ab Euphraemio Antiocheno Praesule coacta, damnati essent. Sed omnes nervi ipsis succisi sunt per Pelagium, Diaconum Romanae sedis, tunc CPoli versatum. Ipse enim, cum Alexandriae Episcopum *Zoilum* consecrasset, eo a Justiniano missus, a. 543., et CPolin repeteret, obviam in itinere habuit Palaestinos quosdam Monachos, libellos contra Origenem, ejusque sectatores, ad Inperatorem deferentes, qui ejus opem inplorarunt, quam ipsis eo promtius promisit, quod Theodoro Caesareensi, Origenistarum patrono, qui in florente Principis gratia erat, aegre

aegre facere, eumque ex eo favore deturbare posse, videretur. Praestitit quoque id cum Menna, Patriarcha CPol., ut narrat Liberatus in *breviario* c. 23. et Justinianum, qui Ecclesiasticis rebus sese lubens inmiscebat, et haereses promte jugulabat, teste eodem Liberato, facile eo permovit. Decreta itaque mox est Origenianismi damnatio, et Epistola encyclica ad quinque orbis Patriarchas est a Justiniano missa, qua Origenis errores exhibentur, et anathemate percutiuntur. Exstat in Annalibus Baronii a. 538. Jubetur porro, ut omnes anathemati subscribant, nec aliquis, nisi hoc facto, ordinetur Episcopus, aut Hegumenus. A quo tempore infame factum est Origenis nomen, antea tantopere laudatum. Monachi vero cum hoc triumpho reversi, a Petro, Hierosolymitano Patriarcha, adjuti, Origenistarum vires in Palaestina penitus fregerunt, eosque ubique expulerunt: a. 543., exceptis novae Laurae, qui deinceps a. 554. Monasterium deseruerunt coacti.

§. CCLXXXVIII. Haec cum esset per zelotas facies Ecclesiae tristis et turbulenta, Synodus, vulgatum illud litium scilicet finiendarum, vel factionis firmandae, remedium, convocata est, ut et tria capitula, et Origenis dogmata, non tam examinarentur, quam, qui Synodorum passim mos fuit, condemnarentur; sicut factum est, ut *acta*, ad quae pergo, docebunt. In congressibus ante-Synodalibus, sive ante trium capitulorum discussionem, habitis ante Mens. Maj. a. 553. (Synodi enim dies fuit indictus IV. Non. Maji) Origenis dogmata cum ipso autore sunt damnata, vel rectius damnatio jam ante facta, cum epistolae encyclicae Justiniani subscripserunt, solenniter est confirmata. Licet, num a. 552. fin., an. 553. init., id fuerit factum, incertum sit. Origenem hac in Synodo fuisse proscriptum, et ante tria capitula, dubitandum non videtur. Vid., praeter Huetium Origen. l. II., Norisius l. cit. c. 6. Audiendus itaque non est Valesius ad Evagr. H. IV: 38., qui Origenis damnationem anno 538. admitit, cui Garnerius

differt. IV. de *Synodo hac* adstipulatur. Damnatus quidem tunc est Origenes, forte in Synodo CPol. sub Menna, sed in hac Synodo confirmata est, et solennius facta. Praecipua Origenianismi capita fuerunt, *animarum praeexistentia*, *et daemonum futura restitutio*, quae maximas dederunt turbas: sed addita sunt alia, ut de animarum ob peccata inmissione in corpora, magis minusve crassa, animae Christi praeexistentia, carnalium corporum negata resurrectione, Regni Christi termino etc. Quae canones Synodi V*tae* exhibent ex Photii collectione, cum versione Harduini, apud Fabricium Bibl. Gr. vol. XI. Quibus peractis, *tria capitula*, postquam monumenta ad hanc causam pertinentia praelecta essent, quae in Actis prostant, sunt anathemati subjecta, et quatuor concilia Oecumenica praecedentia confirmata. Inter quatuordecim illa anathemata, in actis Synodi obvia, occurrit etiam in nonnullas expositiones locorum Script. S., Theodoro inputatas, ut quod Christus *insufflatione* in Apostolos Joh. XX. ipsis actu non dederit Spiritum, sed figuratim tantum, quodque Thomas Christum non adpellaverit *Dominum meum et Deum meum*, sed, ad miraculum stupefactus resurrectionis, glorificaverit Deum, qui eum resuscitavit. Quando resumta est Origenis causa, propter Origenistas, Evagrium, Didymum, et Theodorum illum Cappadocem, supra memoratum, qui Origenem non cessabant defendere. Justiniano itaque roganti, quid de Origenis sectatoribus statuendum sit, respondit Synodus, se jam damnasse Origenis placita, et damnare etiam quae a sectatoribus dicta erant. Vid., praeter alios, Evagrius H. IV: 31.

§. CCLXXXIX. Quod ad Synodi effecta, et consequentia, adtinet, Origenistae, et motus eorum, brevi quidem repressi sunt, sed non circa tria capitula. Cyrillus in *vita* Euthymii apud Bollandum refert, Origenistas fuisse nova laura, per Anastasium Ducem, ejectos ab Eustochio Patriarcha, *octo* Mens. post Synodum. In vita vero Sabae narrat Cyrillus Scythopolitanus, Ecclesias, post Synodum ab eorum

rum motibus liberatas, in pace hac parte fuisse, a. 554., posteaquam per annos 160, a Johannis Hierosolymitani, et Ruffini Aquilejensis temporibus, fuissent agitatae. Motus, causa Capitulorum, diu post durarunt. Licet Vigilius, ut a Papis Romanis ordiar, sententia, in *judicato* expressa, mutata, stante Synodo publicaverit *constitutum*, quo Synodi gesta exauctoravit, cum quod Theodorus Mopsuestenus in pace Ecclesiae mortuus sit, tum quod Theodoretus et Ibas a Synodo Chalcedonense fuerint admissi; postea tamen, ut supra in ejus vita narravi, in damnationem capitulorum consensit, non exilii taedio, quod nullum demonstrari potest, sed proprio motu, promissis tamen ac minis Justiniani compulsus. Litterae Vigilii hanc in rem exstant, a P. Marça in dissert. de Synodo V., et dein in Bibl. Patr. publicatae, quibus *constitutum* suum retractat, et sese exemplo Augustini, sua retractantis nonnulla, defendit. Successor ejus Pelagius, aeque ac decessor, ex acerrimo capitulorum defensore factus est eorum damnator, sedem Romanam propterea a Justiniano consecutus. Quo facinore licet magnos in initio dederit motus, ita ut ne tertius quidem Episcopus in Italia reperiri potuerit, ad consecrationem, ut moris erat, faciendam: postea tamen, eo sedente, Italia, Africa, et Illyricum Synodo V*tae* sese submiserunt, in Africa *paucissimis*, in Illyrico *paucis*, in capitulorum defensione perseverantibus: ut tradit Victor Tununensis. In Oriente vero omnia sunt composita dissidia, teste Eustathio in vita Eutychii: qui diserte testatur, Synodum esse secutam *summam pacem, et magnam tranquillitatem in Ecclesia Dei.*

§. CCXC. Sed in Italia diu sunt refragati Venetiarum, et Istriae, Episcopi, unde schisma Aquilejense ortum est; cum Episcopi illi, Paulino, Aquilejense Metropolita, autore, Synodo coacta, confirmarint trium capitulorum defensionem, Pelagio frustra obnitente, et Narsetem Ducem quoque ad vim inferendam instigante. Quod Schisma per totum hoc seculum viguit, Papis in eo tollendo nequicquam laboranti-

tibus. Juſtiniano e vivis ſublato, mitius, et Inperatore dignius, hoc negotium tractavit ejus ſucceſſor Juſtinus, qui, emiſſo edicto, haereſes quidem Arii, Sabellii, Neſtorii, ac Eutychetis, damnavit, ſed trium capitulorum non tantum nullam fecit mentionem, ſed rebus, circa quas nullae debent eſſe lites, accenſuit, dicens, ſe *illa credenda propoſuiſſe, ut nemo deinceps ullo praetextu propter perſonas aut Syllabas rixetur.* Vid. Evagrius H. V: 4. Unde rumor per Africam, et Hiſpaniam, a capitulorum defenſoribus ſparſus eſt, edicta Juſtiniani eſſe a Juſtino revocata; ut refert Abbas Biclariens. in Chronico. Sed et aliud Juſtini facinus animos defenſorum illorum erexit, quo Narſetem, fortem Ducem, et Italiae inſtauratorem, domum revocavit: quando ea Provincia in manus Longobardorum incidit, ſub quorum Inperio ſchiſmatici facti ſunt obſtinatiores. Habita eſt, haud diu, poſt anno. 579., Synodus Gradienſis, in Gradi inſula, ad quam ſedes Metropolitica, quae alias Aquilejae erat, conſenſu quoque Pelagii II. Papae, eſt tranſlata, propter Longobardos, qui Aquilejam tenebant. In qua *Synodo*, quam recitat Ughellus, in *Italia ſacra*, opere quantivis pretii, tom. V., juratum iterum eſt in Synodi Chalcedonenſis defenſionem contra Synodum V*tam*. Pelagius quidem in initio leniter cum iis egit, variis tantum litteris eos ad unitatem Eccleſiae hortatus, ſed poſtea, cum eos ſenſiſſet obſtinatos, etiam contra ſedem Romanam elatos, concitare coepit in eos Exarchum, qui minaces ad eos ſcripſit litteras: ſed ad Mauricium Inperatorem, longe melioris animi, confugientes, ab eo inpetrarunt mandatum, ne ipſis aliquid moleſtiae infligeretur. Quo non obſtante, Exarchus claſſe ad Gradum inſulam adpulſa, Severum Metropolitam cepit, varie vexavit, et Ravennam abduxit, ſimul coegit ad tria capitula damnanda. Quod fecit coram Johanne, Archiepiſcopo Ravennat., una cum aliis Epiſcopis, qui cum ipſo erant abducti. Sed cum ad ſedes ſuas eſſent reverſi, et ab omnibus reliquis vitarentur, ita ut, niſi de novo in

capitu-

capitulorum defensionem jurassent, admitti non potuerint, animos resumserunt, et id praestiterunt in Synodo Marani; quod est munitum Venetorum oppidum.

§. CCXCI. Tandem ad motus finiendos sese totus vertit Gregorius M. Statim in principio Romam evocavit schismaticos, addito Mauricii jussu, sed in cassum: schismatici enim, duabus coactis Synodis, repugnarunt, et Inperatorem adpellarunt, libello oblato supplice, qui apud Baronium t. IX. in adpendice reperitur, nec frustra, cum eos turbari noluerit Inperator; cujus hac de re exstant Litterae ibid. apud Baronium. Perseveravit nihilominus in iis Ecclesiae reduniendis Papa, a plebe non tantum, sed et a Mauricii ducibus, ipsi faventibus, adjutus, ut ex epistolis ad ipsos patet. Adcesserunt etiam ad conatus ejus juvandos, duae illustres foeminae, Theodelinda, Agilulphi Longobardorum Regis uxor, et famosa illa Brunichilda, de qua in vita Gregorii, Sigeberti Francorum Regis conjux: ad quas exstant Papae Litterae, quibus eas laudat, et ad schismaticos in ordinem redigendos hortatur. Quibus quoque effectum est, ut Episcopi illi sensim redierint ad unitatem Ecclesiae, ut Prudentius et Petrus, Istriae Episcopi, aliique, sub finem Mauricii: absque tamen ut schismati fuerit finis inpositus a Gregorio, obnitente Mauricio Inperatore, et Severo Aquilejense, seu, quod idem est, Gradiense Metropolita. Illud tamen inpetratum est, ut, post Severi obitum, Aquilejensis dioecesis fuerit in duas divisa, cum Gradenses voluerint Catholicum, sed Aquilejenses schismaticum, Episcopum: quando duo sunt electi, Agilulpho fovente Aquilejensi, et Exarcho Gradiensi; Gradus enim Inperatori, et Aquileja Longobardis, parebat. Denique defuncto Agilulpho, et Theodelinda Ecclesiae Romanae bene volente, Episcopi Synodum *Vtam* receperunt, exceptis Aquilejensibus, qui, sub rege Longobardorum Adolvaldo perseverarunt in schismate. Vid. Jonas Monachus in vita Eustasii, apud Bedam tom. III. et Baronium in Annal. a. 617. Sed schisma tan-

 dem

dem est abolitum, non quidem, ut putatur, demum sub Sergio Papa, a. 678., sed jam antea, Vid. Noris. l. cit.

§. CCXCII. Ceterum, licet schismatis fundamentum, in eo situm, quod Synodus V*ta* fuerit Synodo Chalcedonensi visa contraria, sublestum fuerit, secus ac et nunc vulgo putatur, cum in Synodo Chalcedon. admissi quidem sint Theodoretus et Ibas, sed scripta eorum contra Cyrillum etc. non probata, nec nisi postquam Nestorium condemnassent, ut supra observavi: trium capitulorum damnatio laudanda non est, multo minus res illa erat tantis motibus digna. Sed et hinc, ut et ex multis aliis similibus, colligi potest, quantis animorum motibus controversiae Theologicae tractari soleant, ut nec mortuis parcatur, quamque damnanda principia animos inflamment. Pelagius enim in Origenistas insurrexit, ut Theodorum Caesareensem deturbaret, hic vero in tria capitula, ut par pari referret Origenis adversariis. Quod cum mente aliquando volveret Theodorus, dixisse fertur, *se et Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum*, teste Liberato in fine *breviarii* sui.

VITA ET MORES.

§. CCXCIII. Agendum quidem restaret de conciliis particularibus et nationalibus, partim causa fidei, ut contra Arianos, Semi-pelagianos, et alios, partim schismatum, partim rituum et regiminis et disciplinae causa, habitis in Hispania, Gallia, Africa, Italia, et per Orientem; sed cum illorum, ubi opus erat, mentio suo loco sit facta, et omnibus recensendis, brevitatis ergo, inmorari non liceat, ad Synodorum collectores, satis notos, harum rerum studiosos, mitto, ac ad *vitam et mores*, quartam Ecclesiae partem essentialem, pergo. Tractationem vitae monasticae antequam adgrediar, non possum, quin praemittam, nomen *religionis* fuisse jam vitae monasticae adligatum, unde *religiosorum et religiosarum* fluxerunt

fuerunt tituli, sic Radegundis Gregorio Turonensi alibi dicitur ad *religionis* normam transiisse. Adpellantur quoque Christianorum *εὐφροσύνη temperatissimi*, vel moderatissimi, eximii, a Procopio bell. Perf. l. X. c. 7. Ubi etiam Jacobum eremitam, prope Amidam Mesopotamiae, insigni ornat encomio, et ejus miraculum narrat; praeterea de *vita Monastica*; *et triennali probatione*, exstare notabilem Justiniani constitutionem in *novella* V., quam egregie illustravit Boehmer. Jur. Eccles. l. III. tit. 31., et Mauricium Imperatorem *milites* fieri Monachos prohibuisse; quod reprehendit Gregorius M. l. III. ep. 65. Praeterquam, ut in rem veniam, quod *Stylitae* adhuc non defecerint, cum duo ejus instituti memorentur cultores, *alter Simeon* Junior Stylites, rigore vitae, ita ut pro cibo et potu ei fuerint rami cujusdam fruticis, miraculis, aliisque donis, celeberrimus habitus, per totos 68 annos, quos in statione super columna trivit, mortuus a. 594., de quo legendus est Evagrius H. VI: 23 *alter* in dioecesi Trevirensi *Ufilaicus* Diaconus, de quo vid. Mabillonius Annal. Benedict. l. VI., qui tamen, jussui Episcoporum obsequium praestans, ab eo instituto destitit, ut refert Gregorius Turon. hist. l. VIII., novus et famigeratissimus Ordo *Benedictinus* hoc seculo ortus est, cujus paulo distinctior est danda notitia, fusius ex scriptoribus de eo ordine, et claris Benedictinis, quos recensuit Fabricius Bibl. med. et infimae Latinit, petenda.

§. CCXCIV. *Benedictus*, ordinis autor, e regione Nursiae, quae Umbriae in Italia urbs est, oriundus, a. 480., ut vulgo putatur, natus, quo tempore Odoacer, Herulorum Rex, Italia potiebatur, adolescens admodum, vitae monasticae desiderio, quo flagrabat, ferendo inpar, abiit a. 494. in secessum, prope Sublacum, unius diei itinere Roma distans, sesequе in arctissimam subdidit speluncam, ubi triennium latuit, et ordinem suum parturivit. Deinde a. 510. Abbas monasterii inter Sublacum et Tibur factus, cum motum ejus severitatem ferre non possent monachi, ipseque

ab illis veneno peteretur; paulo post, statione hac deserta, repetiit secessum: quando ab a. 520. duodecim condidit in solitudine Sublacense monasteria, quae singula suos habebant Abbates, cum duodecim monachis, sub ipso generali Magistro. Sed, cum nec hic invidia careret vicinorum, praecipue Florentii, vicinae Ecclesiae Presbyteri, qui Ipsi et monasterio ejus insidias struebat, Ipse, monasteriis suis duodecim totidem Abbatibus relictis., a. 528. discessit, quo abiret nescius. Venit tandem Casinum, Campaniae Felicis celebrem locum, ibique haerens exstruxit monasterium, non quidem in loco, ubi urbs Casinum erat; sed prope urbem in ipso montis cacumine, in cujus latere decliviore erat Urbs. Aedificavit itaque ibi, incolis, qui gentiles erant, conversis, et ritibus paganicis, quibus plenus erat locus, destructis, celeberrimum illud monasterium Casinense, et regulam suam instituit, quam *discretione praecipuam*, *sermone luculentam*, adpellat Gregorius M., ipsa vero concilia postea aequarunt Scripturae S. Exstat in *Codice regularum* Holstenii, et Bibl. Patrum tom. IX. Imo ipsum Benedicti autographum in monasterio Casinensi superesse, tradit Mabillonius Itin. Ital. p. I.

§. CCXCV. Secundum hanc regulam, 73 capita complexam, ut brevem ejus conspectum praebeam, 1. omnis generis et conditionis homines admittebantur, ipsi quoque pueri a Parentibus oblati: *Votum*, dixit jam Ambrosius *exhortat. virginitatis* c. 8. est *voluntas Parentum*, indicio, jam tunc liberos fuisse per Parentes oblatos et adstrictos: quod hoc seculo, et deinceps, magis viguit. Adulti vero confessione edita recipiebantur, qui hoc tempore nuncupati sunt *conversi*, quo nomine postea insigniti fuerunt *Monachi laici*, externis tantum ministeriis addicti: quales ante sec. XI. non sunt admissi. Vid. Mabillon. Annal. Benedict. t. I. l. 3. et ad *Acta* Benedictin. sec. VI. p. II. in praefatione. 2. Pueri, *novitii*, *conversi*, in distinctis dormitoriis noctu jacebant, sub suis singuli Magistris. 3. Omnibus praeerat Abbas,

ut *ordinationis* praerogativam consequeretur, quam in Ipsum contulit Virgilius, Arelatensis Episcopus, et Papae per Galliam Vicarius. Unde in Angliam redux *decies mille* baptizasse fertur, autore Gregorio M. l. VII. ep. 30., qui initio sec. sequentis ei quoque *pallium* misit, et ad quaesita ejus respondit; ex quibus de indole Augustini, admodum simplici, et ad superstitionem prona, judicium ferri poterit. Extat vero ejus ad Gregorium epistola inter Gregorianas: et Quaestiones ac responsa apud Bedam l. cit. c. 28. In responsis Papae notatu dignum est, quod adserat, *Romanorum semper ab antiquioribus usum fuisse, post admixtionem propriae conjugis et lavacri purificationem quaerere, et ab ingressu Ecclesiae paululum reverenter abstinere*, non quod *culpa sit*, ut ait, conjugium, sed quia *voluptas*, *sine qua*, post lapsum, *admixtio fieri non potest*, *sine culpa esse nequit*. De quo multis differit.

PERSECUTIONES.

§. CCCXXI. Continuavit hoc adhuc seculo aliquandiu persecutio *Vandalica* in Africa. Gundamundi successor Trasamundus, qui ad annum sec. 22*dum* usque regnavit, etsi blandius, vexavit tamen Catholicos, Ecclesias in stabula vertendo, sacerdotes ludibrio habendo, et contumeliose tractando, ut refert Procopius Bell. Vandal. I: 8. et ex eo Evagrius H. IV: 15. Sunt quoque sub Ipso Episcopi in Sardiniam relegati. Quae persecutio jam a. 505. viguit, incertum num antea, et paulo ante mortem ejus cessavit. Cum enim a Mauris, duce Cabaone circa Tripolin degentibus, qui longe majorem reverentiam erga religionem Christianam demonstrabant, magna clade esset adfectus, haud diu post e vivis excessit, teste Evagrio. Sub successore ejus Hilderico, qui usque ad a. 530. praefuit, longe benignius tractati sunt Catholici, et pace gavisi, exulibus revocatis, et rebus Ecclesiarum instauratis. Vid., praeter Procopium l. cit.

l. cit. c. 9. Victor Tunnunensis, et fragmentum Augustanum, a Canisio editum. Celebratum etiam sub Ipso *est* concilium Carthagin. a Bonifacio Primate a. 525., in quo *Monasteriorum* privilegia sunt confirmata, et antiqua regiminis forma renovata est, ita ut singulae provinciae habeant primae sedis Episcopos, et omnium Primas sit Carthaginensis. Quo in statu res manserunt, donec Vandalorum regnum in Africa fuerit per Belisarium, Ducem Justiniani, destructum a. 534., ultimo eorum rege Gelimero, postquam per annos 95 stetisset in Africa. Ceterum, ad hanc Vandalicam persecutionem illustrandam, observari 1. velim, eam ad exemplum Catholicorum fuisse institutam, licet pro gentis feritate atrociorem. Ipse Hunnericus ad hoc exemplum provocavit in edicto suo apud *Victorem* Vit. l. IV., cujus ad sec. V. jam memini. Quo in edicto omnes similes violentias a Catholicis in Arianos, et alios haereticos, commissas fuse recenset. De quibus ex historia etiam satis constat. 2. Hunnericum in initio declarasse, edicto publicato, se Catholicis concessurum liberum religionis exercitium, si et illi Arianis in suis ditionibus idem permiserint, cui conditioni adsurgere recusarunt Catholici. Vid. idem Victor l. II. Nec illud 3. notatu indignum est, eundem autorem c. V. §. 11. testari, Arianorum Episcopos, Presbyteros, et Clericos crudelius quam Regem, et Vandalos, saeviisse. Quo etiam facit, quod, Gundabundo licet persecutionem vetante, ea tamen non cessaverit penitus, Clericorum, et aliorum hostium, culpa. Vid. Ruinart. de *persecutione Vandalica* cap. 10. Denique 4. addatur, plurimos fuisse, tanquam occultos regiminis hostes, et regni insidiatores, vexatos. *Multis*, inquit Prosper in Chronico, *regis suspicio exitio fuit.* Relegati etiam multi narrantur in Corsicanam insulam, quod juramento noluerint profiteri, se filium Hunnerici, post obitum ejus, desiderare Regem et successorem. Vict. Vit. l. IV. fin. Quo etiam facit, quod in ipsos Arianos eo praetextu saevierit, ut Idem ibid. l. II: 5. refert.


§. CCCXXII.

§. CCCXXII. Memoratur quidem Gothica aliqua in Italia persecutio sub Theodorico, qui, Justini edicto contra Arianos offensus, et ejus abrogationem, saltem Ecclesiarum, Arianis ereptarum, restitutionem, cum frustra per Johannem Papam, ad Justinum missum, petiisset, a. 525., Catholicos, ut par pari referret, vexasset. Sed haec aliter se habent, ut in vita Johannis narravi, et vix ulla fuit persecutio. Johannes quidem in carcerem conjectus, et minus humaniter tractatus est, et ibi mox mortuus; sed aliam longe ob rationem, ut ibid. supra observavi; et de persecutione fidei causa nihil legitur. Fuit quoque Theodoricus a vexandis Catholicis adeo alienus, ut hostem sese iis praebuerit; qui regis gratiae ambiendae causa ad Arianismum deficiebant. Refert utique Cedrenus, et Zonaras, aulicum aliquem fuisse hanc ipsam ob causam ab eo morte punitum, his notabilibus prolatis verbis: *si Deo fidem sinceram non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam praestabis?* Boethii quoque et Symmachi caedes, licet injuste, ob alias tamen causas factae sunt, ut in vita Boethii narravi: acciderunt etiam ante legationem Johannis, illius a. 524. et hujus a. 525. Mortem Theodorici, brevi secutam, a. 526. ex *fluxu ventris*, Anonymus Valesianus, ad calcem Ammiani, qui eam narrat, cum simili Arii quidem comparavit; sed satis inepte.

§. CCCXXIII. Nomen persecutionis, licet haud gravis, rectius meretur, quam Leovigildus, Visigothorum Rex, in Hispania instituit a. 580.; et Gregor. Turonens. H. V: 39. enarravit, occasionem praebente Herminigildi, filii ejus, conversione ad fidem Catholicam, per uxorem Ingundin, sororem Childeberti, unde in Patris indignationem incidit. Vid. etiam Gregorius M. Dialog. l. II. c. 31. Sed Biclariensis in Chron. indicat, eum etiam in Patrem rebellasse, cum *filium rebellem* eum adpellet. Bellum filii cum Patre fusius descripsit Mariana Hist. Hispaniae l. V. Sed scena brevi est mutata per Reccarredum, cum ipsa gente factum

Catholicum, ut supra narravi. Illud addo, Biclariensem in fine Chronici tradere, *fidem Catholicam, post longas Catholicorum neces, et innocentium strages, penitus triumphasse.* Ceterum obiter, quod suo loco neglexi, observetur, a Synodo Ariana Toletana sub Leovigildo fuisse, teste Biclariense, constitutum, ut a fide Romana ad Arianam, quae Catholica ibi adpellatur, conversi non, ut antea, rebaptizentur, sed per inpositionem manus, et perceptionem eucharistiae, tantum abluantur, praeterea, ut diceretur, *gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.*

§. CCCXXIV. Missa persecutione *Persica*, quam in historia Nestorianorum memoravi, tumultu etiam Samaritanorum in Palaestina, et inpetu in Christianos, quo multum passi sunt a. 29*no*, sed anno sequente, oppressis Samaritanis, a ducibus Justiniani sedato, verbo tantum memorato, vid. *vita Sabae* c. 70. *Anglo-Saxonica* in Britannia paucis restat perstringenda. Irruperunt initio seculi in eam duo fortissimi Anglo-Saxonum Duces, Cerdicus, ejusque Filius Kenricus, et, post crebra cum Britannis certamina, fundarunt regnum *West-Saxonum.* Indigenas autem misere obtruncarunt, vel regno expulerunt, Monachos, qui Wintoniense incolebant monasterium, trucidarunt, et ipsum monasterium in Templum idolorum converterunt. Deinde, novis copiis e Germanico littore advenientibus, totam fere Insulam vastarunt. Denique *East-Angli* Christianos quoque ubique vexarunt, et plura inter Anglo-Saxones erecta sunt regna in Britannia. De quibus, et eorum ad Christianismum conversione, agam seculo sequente.



ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	Leg.
16	28	*audeat*
110	24	*συστασιν*
354	ultima	Themiſtio
426	18	epiſtola
445	ultima	. Secundum
446	1	ſententiam
485	18	mundana
493	3	ſecundo
548	penultima	admiſerit
610	1	revocavit
669	7	Vid. Gregorius loc. cit.
701	1	miſerabiles

